
WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ANTONII DE HAEN

Consiliarii Aulici, & Archiatri, Medicinæ Practicæ, in Alma ac Antiquissima Universitate Vindobonensi, Professoris Primarii, Societatis Harlemensis, & Physico-Botanicæ Florentinæ Socii,

RATIO MEDENDI

IN

NOSOCOMIO PRACTICO VINDOBONENSI.

VOLUMEN SECUNDUM.



LUGDUNI BATAVORUM

Apud PETRUM VANDER EYK,

MDCCLXIV.



LECTORI.



In præfatiuncula parti Quintæ præfixa rationem reddidi, quare non differre novam editionem horumce opuſculorum ad numerum quaternarium eorum licuit, ſimulque promiſſum fuit, de ſequentibus me idem acturum: Steti promiſſis, at vero quum Collectio primarum quatuor Partium in unum Volumen plurimis arriſit, viſum fuit non diſpliciturum, ſi idem ad editam Octavam Partem iterum fieret: Quare

* 2 has

has ultimas quatuor Partes denuo ſic adornavi, ut unum inde exſurgat Volumen. Elenchus Capitum continuatus iterum adeſt, ut uno proſpectu contenta in hoc volumine pateant, deinde ad calcem Index, ordine Alphabetico, præcipuarum rerum habetur, factus ad normam Indicis Primi Voluminis: Tandem mendis typographicis quam maxime proſpectum eſt: ſic denique utiliſſima hæc Opuſcula Uſui quoque magis accommodata reddita ſunt. Annus 1760, continet priora Capita ſex, ſequens ſeptem, tertius quinque, quartus eundem numerum, ut ex Elenchis cuique parti præfixis videre eſt.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM.

ANTONII DE HAEN

Consiliarii Aulici, ac Medicinæ Practicæ, in Alma ac Antiquissima Universitate Vindobonensi, Professoris Primarii,

PARS QUINTA

RATIONIS MEDENDI

IN

NOSOCOMIO PRACTICO

VINDOBONENSI.



LUGDUNI BATAVORUM,

SUMPTIBUS SOCIETATIS.

MDCCLXI.

LECTORI.

Non diu eſt, quod quatuor priores hujus operis partes certo ordine digeſtas, & indice locupletatas in lucem prodire fecimus, ſimiliterque cum ſequentibus pergere tum temporis in animo habebamus, quum vero multorum ſciendi ardor non ſivit ad integrum tale alterum volumen differri editionem adeo utilium obſervationum, non potuimus non huic laudabili deſiderio ſatisfacere; itaque mox ad edendam hanc partem quintam nos accinximùs ſimiliter de reliquis acturi.


Vale!

ELENCHUS CAPITUM.

RA-



RATIO MEDENDI IN NOSOCOMIO PRACTICO VINDOBONENSI.



CAPUT I.

De Febribus cum exanthematibus quæ petechiæ & miliaria vocari solent.

§. I. *Historiæ XVII. Ægrorum, hæc Exanthemata plane symptomatica esse probantes: ostenditurque hac occasione perfectæ criseos in Acutis certitudinem nos sæpe non habere; sanguinem in morbis, quos malignos vocant, & crassissimum sæpe, & maxime esse inflammatum; tandemque communicatur notabilis observatio circa prædictionem in Acutis ex pulsu intermittente.* §. II. *Ex omnibus horum ægrorum exemplis concluditur exanthemata similia rarius observari oportere, si legitima curandi methodus adhibeatur; eaque, si contingant, pravæ potius medicationi, quam Aëri, aut Climati, originem debere; paucis exceptis casibus, in quibus aut sponte, aut contagione, nascuntur.*

§. I. icet in ultimo de *Febrium Divisionibus* tractatu de exanthematibus Petech. & Miliar. fuse egerim, tamen cum nova exinde observata colligere licuerit, pondus rerum tantarum me adigit, ut nova hæc cum publico communicem, unaque ex Nosocomii

Diariis, omnium illorum, qui ibidem unquam hæc passi sunt, fidelem historiam tradam; quibus eorum, quæ in eodem Tractatu posui, evidentia, ni fallor, veritasque, patescet.

1. Hoc verno tempore proxime elapso femina 22. annorum febre valida laborans, quinto sui morbi die ad nos delata est; extantibus jam tum Petechiis. Vere ardens febris erat, tertiam eo die habens exacerbationem. In summa omnium cruditate Petechiæ extabant. Igiturne hæ Criticæ? Certe cum nullum symptoma mitesceret, quin ingravesceret potius, Symptomaticæ duntaxat vocari merentur. Sanguis hoc die vena missus, crustam formabat portionem rubram densitate superantem. Die septimo ad quartam, eamque prioribus longe mitiorem, exacerbationem, febris sudore & urina maximam partem judicata; ad nonum vero diem, in quinto, eoque omnium levissimo insultu, urinis ac transpiratione integre judicabatur. Novem diebus perstabant Petechiæ.

Sana octiduo vixit; die autem 17. post morbi principium, ad primas carnes vitulinas degustatas, licet tenerrimas, in febrim æque vehementem incidit: cujus altero die Miliaria alba, numero pauca, comparuere. Sanguis bis missus corio densissimo tegebatur. Nec numero Miliaria augebantur, nec diu perstabant. Imperfectum judicium contigit 23. morbi die, prægresso intermittente pulsu, per alvum; integrum vero 27. die, eodem modo, eodemque pulsu.

Die 29. nova febris vehementissima oritur, in qua sanguis bis vena missus, singulis in vasis, æque magnam, densamque habet, quam olim, crustam. Nulla vero hic Exanthemata. Die 4. & 5. judicium alvo, urina, sudore.

Ex data historia nihil evidentius est, quam utrumque hoc Exanthematum genus minime criticum fuisse. Summa morbi cruditas; ejusque, postquam hæc efflo-

floruissent, validum incrementum; critica aliunde contingens posthac evacuatio; evidenter, arbitror, hæc demonstrant.

Quod eo magis notandum, quia hic casus ex rarioribus est, in quantum nobis adparet, in quibus nulla arte producta Exanthemata erant. Frigido quippe in loco, frigida tempestate, primis quatuor morbi diebus ægra jacuerat, remediis calidioribus minime usa. Ita ut hæc ne critica quidem fuerint, licet prava arte non producta. Confirmat id sententiam, quam egregius *Paulus de Sorbait* annis abhinc 90. ex cathedra *Viennensi* docebat, *Petechias esse motum noxium & symptomaticum.* Med. Pract. Tract. 3. pag. 541. & 545.

Advertimus quoque Exanthemata putridæ sanguinis solutioni proprie non deberi, cum post eorum exitum idem sanguis, etiam iterato missus, densissimus fuerit.

Tandem febris tanto cum furore tertio repetens nos docet, id quod toties ad lectos ægrorum advertimus, perfectam non haberi, judicio jam facto, certitudinem morbi ita devicti, ut non fiat recidiva. Equidem quo omnes functiones perfectius, celeriusque, in integrum restituuntur; quo motus critici diebus judicatoriis exactius fiunt; quo denique evacuationes perfectiores, constantioresque, cum virium incremento, contingunt; eo minor adest relapsus metus: at vero hucusque non habetur ejusmodi certitudo, quæ excludat omnem omnino relapsus formidinem. Vidimus sane & in hac muliere, & in pluribus aliis, nihil judicio defuisse, attamen iisdem successisse relapsum. Nisi forsitan quis novum potius morbum, quam recidivam, appellandum idem esse arbitretur: sed difficulter profecto admittetur hæc opinio, si succedentis febris cum præcedente similitudo attentius ponderetur. Itaque merito jure Medici omnem adhibeant diligentiam, ne in sex rebus non naturalibus quid committatur, quo re-

repetat morbus: juvatque hujus incertitudinis ſerio monitum eſſe ægrum, monitosque ejusdem familiares; ne morbo male curato adſcribant, quod a quopiam regiminis errore, aut etiam abſconditis plane de cauſis, poſtliminio forte contingit.

2. Juvencula 20. annos nata, tertio Hemitritææ die Petechias jam habuit, noſtrumque in Noſocomium die quarto illata eſt. Multæ ſane hoc die conſpiciebantur in jugulo, pectore, humeris, dorſo, lumbis, femoribus, cruribus.

Notabile porro 1mo. quod hæc femina die morbi tertio, ipſo Hemitritææ acceſſu, ſummo mane, in frigido ad 27. gradus aëre, extra civitatem pedes iverit, nec motu per horam producto ullatenus incaluerit. 2do quod poſt meridiem intropulſos frigore humores, eosdemque plane crudos, valido ſudorifero moverit; hincque crudis hisce ad ambitum corporis pulſis, Petechias conſciverit ſibi. Miri ergo nihil, quod ad 5. diem, cum valida Hemitritææ exacerbatione, Exanthematis intropulſio obſervaretur. Quare etiam illico, maligni quidpiam hic præſagiens, Cort. peruvianum dedi. Confeſtim inde convaluit, extra ordinem fluentibus menſibus, mox a Petechiarum receſſu.

Hæ certe peſſimo more expulſæ, penitus ſymptomaticæ fuere; eædemque ſuo ſubito receſſu alioquin nocituræ, jam & dato cortice, & profluis catameniis, ſubitam reconvaleſcentiam non retardarunt.

3. Femina 39. annum vitæ agens, Cardialgia acida crudeliter per annos vexata, totaque inde cachectica, gravi demum Peripneumonia corripiebatur, & ex Noſocomio, in quo multa Exanthemata graſſabantur, die morbi quinto ad nos deferebatur. Maculæ in collo, dorſoque, rubræ, eæque, quod profundius hærerent, quaſi eruptioni impares, ſuſpectæ; omnium cruditas; morbique augmentum; ſuaſere venæ ſectionem. Sanguis cruſta facile transſcindenda tectus fuit, rubra autem

tem parte dissolutus. Crescente ad diem 6. febre cum anxietatibus, verisque Pulmonis inflammati signis, iterata V. S. est. Sanguis eductus priori similis, nisi quod ultimo in vase, sub alba tremulaque crusta, juste compactus cerneretur. Die 7. una pustula alba Miliaris visa ad jugulum. Febris pravis cum symptomatibus perpetuo stipata, pulsuumque exploratione Homotonos quidem appellanda fuit, sed calore ad Thermometrum mensurato minime Homotonos. 9. & 10. die pauca, die 11. copiosa, eaque alba, in pectore Miliaria. 12. die paulo minus conspicua. 13. eadem iterum, ac nova præterea, in pectore conspicua. 14. die mortua est. Febris ab initio ad finem usque horrifica fuit.

Historia mali docet 1mo. Petechias contagione susceptas, nec sufficienter propulsas, morbi cum augmento adparuisse. 2do. Miliaria eadem origine nata, quo copiosiora, eo & graviora, & magis fuisse letifera. Unde concludimus Exanthemata hæc, non a Natura, sed a contagio genita esse; eademque minime critica, sed mere symptomatica habenda fuisse.

Hic in transitu noto hoc Exanthematum Contagium, ut illud Variolarum, Morbillorumque, se sæpe habere, non nisi prædispositos afficiundo. Præter alia exempla, memorabile illud Ancillæ est, quam susceperamus eo momento ex ædibus eductam, in quibus cubiculo, jubente Medico, arcte clauso, calidissimoque, inservierat Patri nobili, filiabusque duabus, Exanthemate Miliari omnibus successive enectis: Febre continua hæc apud nos decubuit, & sine Exanthemate brevi convaluit.

4. Juvenculæ, mensibus terrore suppressis, ingens brachii dolor, brevique post acuta febris oritur. Die 11. Peripneumonia adest, albaque Miliaria confestim prodeunt, continuoque augentur. Die 14. Gangræna brachii & mors. Eo tempore nondum sciveram, quod posthac expertus sum, in febre continua non remit-

tente, ac vere inflammatoria, si Exanthemata adsint morbusque rebellis sit, corticem peruvianum egregie prodesse.

A resorptu ichoris gangrænosi nata pectoris anxietas, nata copiosa Miliaria, criseos nullam, ni fallor, suspicionem faciunt.

5 Femina vehementi ira excandescens, gelidamque affatim hauriens, febre corripitur; & continuans interim ancillares labores, vagos ejus insultus per octiduum sæpe experitur. Tandem in continuam incidit, cum gravi pectoris anxietate, vehementi cephalalgia, multa siti, prostrato appetitu, vertigine, vigiliisque continuis. Eo in statu omnis auxilii inops, calida admodum tempestate, per integram septimanam, jacuit, jure carnium, & frigida aqua usa duntaxat. Accessit angina biduo durans, & sic demum octavo die continuæ suæ febris ad nos delata est Quo ipso tempore catamenia ipsi octiduo maturius, fluere ceperunt. Febris validos artuum dolores sibi junctos habebat, vires autem nondum prostratas. Die 11. Miliaria maximam partem alba, pauca vero rubra, apparuere; signis coctionis in alvo prægressis. Ab 11. ad 14. diem bene procedente Exanthemate, vomitus glutinosus vexabat, vel copiosæ pituitæ tremulæ, pellucidæ, vitreæ, per alvum secessus, vel noctes insomnes, pectorisque anxietates, imo novi, simulque feroces, artuum dolores. Alvo cocta partim judicata est 14. die, sed eâdem demum integre ad diem 17.

Morbus neglectus per 14. dies, humores crudi, ancillaribusque laboribus intempestive moti, & cum per angustiora vasa transadigerentur, dolores rheumaticos excitantes; deinde decubitus per tantos calores in parvo squalidoque cubiculo, vix renovata athmosphæra, corpus ad Exanthemata necessario disposuere. Morbus vero post exorta Exanthemata, cumque eorundem non interturbato progressu, diris symptomatibus,

cru-

cruditatem ſpirantibus, increſcens, poſteaque demum alvo judicatus, hanc profecto eruptionem minime criticam, ſed penitus ſymptomaticam, declaravit.

6. Juvenis febre continua putrida, gravi cum delirio, laborans, in Noſocomium inferebatur. Diem morbi primum exacte reſcire non potui, cum ex ejus incerta, ac variata, enarratione, ſextusne ab illo tempore dies, an octavus eſſet, ambigeretur. Saltem eo tempore crudam morbi materiem Emeticis & Purgantibus vehementer moverat, ingentem præcordiorum gravitatem, anxietatemque, perpetuo expertus.

Præterea ex Noſocomio alio, ubi Exanthemata fere perpetua erant, in noſtrum ductus erat. Interim ſenſim ad coctionem morbus tetendit, alvoque, & leni ſudore, ad judicationem pervenit: urina interim ſæpe enæoremate, & nubecula, carente, nec hypoſtatica unquam.

Judicio prægreſſo, incredibile quam cito, perfecteque, ſaneſceret; ita ut integris noctibus, idque ſponte, dormiret, belle comederet, totasque obambularet per ædes. Sed biduo poſt, Miliaria totum pectus obſiderunt; quibus tum prodeuntibus, tum triduo poſt exſiccari ceptis, mirum quam bono ſomno, quam grato appetitu, quam facili corporis exercitio, integraque prorſum valetudine, frueretur.

Neglectus igitur, peſſimeque tractatus, morbus; decubitus primo pro Patriæ more in calida atmoſphæra, idque in fervida tempeſtate, tandem infectus priore in Noſocomio aër, labem aliquam ſanguini conciliare potuerunt; quæ demum criſi prægreſſa, & recuperata ſanitate, expulſa fuerit. Unde certe nec origine, nec effectu, hæc Exanthemata critica fuerunt.

7. Juvenis femina ex eodem Noſocomio ſuſcepta, hanc nobis anamneſin formavit. Tribus integris ſeptimanis laſſitudine ſpontanea, cruribusque nonnihil tumidis, laboraverat, eamque ob cauſam illud Noſoco-

mium adiverat. Ibidem porro tum præstantissima cura, tum blanda quiete, se ita refocillatam experiebatur, ut repeteret famulatum: at vero eidem sustinendo inepta, in quotidianam febrim inciderat, ad quam curandam quendam sibi pulverem coëmerat, qui decies & novies alvum, vomitum autem ter, vehementer, ciebat, posteaque venam sibi tundi curaverat. Tandem in continuam acutam intermittente conversa, quarto ejus die ad prius Nosocomium, quinto ad nostrum, delata est; Petechiis, dum nobis afferebatur, jam prodeuntibus.

Septimo morbi die subito hæ evanuere, datoque cortice, paucæ die 8. repullularunt. Die 9. pauca Miliaria alba visa sunt. Vomuit eo die pluries cum euphoria; ut & die 10. cortice interim uti perrexit, paucisque opacis Miliaribus, quæ ad posteriora colli perennabant, exceptis, intra octiduum integre convaluit.

Morbus dudum neglectus, contagium, intempestivus crudæ materiæ motus, ægram hanc quarto febris continuæ die Petechiis macularunt. Crevit postea morbus. Cortice sanatus est, licet retrocedentibus Petechiis pauca Miliaria successissent. Iterum nihil hic criticum.

8. Juvenis 17. annorum in neglecta per sex dies febre continua ad nos adfertur. Die 14. febris alba Miliaria erupere. Crevit iisdem erumpentibus vis morbi; & qui eo usque bonus fuerat, æqualisque, pulsus, inæqualis nunc rythmo, temporeque, factus est. Unde mox cortex datus; cujus sub usu pustulæ ad 5. diem disquammari incipiebant, & integra sanitas octavo post eruptionem die succedebat.

Die quanvis critico erumpentes papulæ miliares, nullam criseos, sed præcipuam symptomatis notam, gesserunt; morbo tunc admodum calamitoso facto.

9. Adolescens, qui a septennio spina ventosa, fœde

exul-

exulcerata, laboraverat, in Nosocomium demum susceptus, diætam lacteam, & corticem peruv. spatio bimestri, idque bono cum effectu, adhibuit: at vero ulcere tandem sponte siccato, febris continua acuta eum aggressa est. A 4. usque ad 9. diem cutis rubebat, ac si expectanda scarlatina eruptio foret. Die autem ipso nono Miliaria solitis in locis comparebant; unaque vehemens ac sicca tussis, quæ eo usque diu noctuque ægrum vexaverat, nunc & mitior, & pulcre humida, reddebatur. Hucusque Exanthema istud, ut criticam evacuationem, facile quis salutaret; at vero ad sequentia attentus symptomaticam audacter pronuntiabit.

Etenim 11. die observabamus 1mo. eam in pulsu inæqualitatem & intermissionem, ut quandoque, sed sine ordine, per integrum unius pulsationis spatium differret, moxque insolitam repeteret celeritatem. 2do. Nauseam, vomitumque. 3^tio^. Ulcus, quod eo usque siccum fuerat, jam fluidum, suoque postmodum in fluore continuum. 4to. Subito turbatas urinas, quæ pluribus diebus limpidissimæ fuerant.

Igitur judicium proprie fiebat die undecimo. An integrum? Equidem dubitabam, propter notabilem pulsuum, in diem 20. usque, intermissionem; Febris tamen acutæ absentia, ac virium reditus, citra aliam, quam ulceris, evacuationem, judicium perfectum ostenderunt.

Quid igitur intermittens ille pulsus? Sane ex eo, & circa criticum tempus, & cum prægressis quibusdam coctionis signis, observato, sæpius, autore *Solano*, evacuationem criticam, vomitu aut alvo futuram, prædixi ad ægrorum lectos in Nosocomio; id quod etiam in hoc ægro, eodem undecimo die, exacte confirmabatur. Attamen cæteris octo diebus, cum nulla per vomitum, alvum, hæmorrhoidasve, evacuatio, pulsu continuo intermittente, contingeret, experimen-

mentum fallere visum est. An quia cocta morbi materies, in corpore superstes, & ratione intermittentis pulsus aut vomitu, aut alvo, aut hæmorrhoidibus, eliminanda, ulcere effluxerit aperto? Numquid hic pulsus, si materia per vias a *Solano* indicatas non effluit, etiam ulceris, si adest, fluorem præsagiat?

10. Adolescens 17. annorum, ob nimii ponderis gestationem febricitans, bis secta vena ad nos adducitur, finiente jam die sexto, & jam tum in pectore brachiisque variegata, præ rubedine, cute. Crevit pessimis cum signis, & symptomatica maxime alvo, morbus. Die autem 11. alvus pulti similis, ac flava; simulque ad pectus maculæ plures, ad nullum certum eruptionis genus sese determinantes, conspectæ sunt. Quæque a nucthemeri spatio defuerat urina, copiosa nunc illa, & cum enæoremate fundum brevi petente mittebatur; Febris modica; flava, pultique similis alvus; &, projectus qui fuerat, renatus appetitus. Die 12. perseverantibus bonis hisce signis, vires majores, lingua nitidior, nox optima fuit. Die 13. veniam per conclave ambulandi, cibosque tum mutatos, tum copiosiores, rogavit. Die 14. vero juveni per omnia sano Miliaria alba erumpunt, paucas intra horas iterum sicca; eodemque plane modo, spatio 5. dierum, continuo renascentia, & eodem die exsiccantia sese ac disquammantia, absque ulla vel minima labe sanitatis. Ita ut brevi Nosocomio exiret, constantique postmodum sanitate gauderet.

Maculæ rubræ ad sextum diem, adeoque per morbi augmentum, adparuere: pustulæ Miliaribus forma similes, crisi jam perfecta, ac sanitate recuperata, effloruerunt. Criticum ergo neutrum fuit.

11. Maligna admodum febre Juvenis decubuit, variolas nunquam passus, easdemque valde metuens. Ad sudores validos, eosdemque continuos corpus, patrio errore, disposuit, quotiescunque non aderam.

Hinc

Hinc die 5. maculæ rubræ in collo ac manibus visæ sunt, mox vero iterum evanidæ. Itidem die sexto. Posthac illum, ægrotans ipse, non vidi. Ab aliis autem rescivi rubris illis maculis alba Miliaria sensim accessisse, profusissimosque toto in corpore sudores. Ad diem 15. totus Miliaribus scatens, periit.

Nimio athmosphæræ, parvo in cubiculo, calore, coactisque sudoribus, utrumque Exanthematum genus genitum est; neutrum sane criticum.

12. Femina 24. annos nata, nono morbi acuti die ad nos defertur, maculis rubris in collo, facie, pectore, summo humero, jam a biduo deturpata, & ab earum eruptione in pejus lapsa: Porro ipso hoc 9. die duo observabantur: 1mo. Retrocessio macularum, 2do. intermittens pulsus cum torminibus ventris, cum tenesmo, & dein cum alvo cocta, multaque, ad tertiam usque vicem repetita. Mitis exinde illico febris.

Judicium factum multa suadebant; sed insolita admodum debilitas post subitaneum macularum retrocessum, maligni quid portendebant. Unde corticem extemplo dedi. Mox inde recreata bis similem alvum posuit. Die 13. tria visuntur in collo Miliaria, quæ perstant triduo. Die 17. pauca alia accedunt. Ut & die 18. 20. 21. Sed, ut dixi, mox a sumto cortice mire recreabatur, subitoque reddebatur sana; ut cum paucis hisce papulis egredi domo, si opus fuisset, potuisset.

Enarratione tota arguitur rubras maculas, crescente morbo natas, plane symptomaticas fuisse; Miliaria vero post crisin quandam, postque plenarum virium reditum, nata, Criseos certe normam non habere. Forte prius illud symptomaticum Exanthema subito evanescens, viresque prosternens, posthac bonitate corticis, paucorum forma Miliarium, effloruit.

13. Vir 27. annorum sexto febris continuæ die Miliaria habet, quæ nunc plus, nunc minus, extabant, usque

usque ad 12. diem, quo nova, pellucidaque eadem & alba, prodiere. Continua febris nunc in remittentem, bis exacerbantem, abivit. Die autem 16. & 17. æger copiosissimis scatuit Miliaribus. Febris inde exacerbatio major, viresque projectiores. Cortex ad 20. diem dari ceptus; cujus sub usu papulæ novæ. Sanitas integra brevi sequuta est.

Prodiere prima Miliaria cum morbi incremento, imo morbo posthac in longe periculosiorem mutato; posteriora itidem. Nulla proinde criseos similitudo.

14. Eodem tempore mulierem, ulcerosa scabie sponte fere curatam, ceterum arthriticis obnoxiam insultibus, jamque universorum pene artuum rheumatismo laborantem, suscepi in Nosocomio. Febris acuta fuit, pustulæque nonnullæ rubræ in facie, unaque insignior ad nasum, aderant. Die 13. rubra Miliaria copiosa prodiere in facie, collo, brachiis, cruribusque universis; una hora conspicua admodum, hora altera vix visibilia. Die 15. & 16. bene prostant. 17. adhuc magis. 18. maxime, sed cum intolerabili cephalalgia. Die 19. ipsi pedes Miliaria habent. Die 20. Miliaria rite quidem prostant, sed magna præcordiorum anxietas adest. 21. & 22. die cum copiosissimis Miliaribus enormes pedem, quo præcise olim loco Podagra, excruciant dolores. Die 24. cum Miliaribus & copiosis, & magnis, valida Febris. Miliaribus jam in facie siccescentibus ad 27. diem febris magna. Decem postmodum dies elapsi sunt, priusquam ultimæ pustulæ exsiccarentur. Rheumatici dolores, Febre & Exanthemate jam evanidis, diu adhuc perstiterunt.

Contagium hæc femina vel jam habuit, cum ad nos duceretur, pustulis in facie rubris tunc jam maculata; vel in Nosocomio, Miliaria ægro mox descripto habente, contraxit. Ceterum, nemo, credo, criticas has eruptiones esse autumabit, qui cum iisdem videt morbi durationem, febrim validam, judicium imperfectum.

15.

15. Mulier 27. annorum sexta die suæ continuæ ac putridæ febris numerosas acquisivit circum labia pustulas, ut & die 7. Ad finem autem hujus diei siccescentibus illis alba, eaque copiosa, successere Miliaria ad scapulas, humeros, faciem, ac demum ad brachia universa, die 10. ac 11. pulcre prostantia, 12. numerosiora, 13. in toto dorso atque abdomine conspicua. Die autem 14. hæc omnia rubris Miliaribus plurimis interspersa, tam in priore, quam in posteriore corporis parte, inveniebantur. Die 15. his cunctis rite extantibus valida admodum febris cum cephalalgia per integrum diem intolerabili, ægram vexavit. Die 17. ingentes anxietates adsunt. Cum 19. die examinaremus an diuturniore decubitu, licet omnis adhibita cura fuisset, postica corporis haud excoriarentur, vidimus totum dorsum lumbos, nates, crura, pedes, pedumque digitos, confertissimis Miliaribus scatere. Hoc die incipiebant exsiccari, exsiccatio tota brevi successit, integraque sanitas.

Quia eodem tempore cum binis posterioribus ægris hic decubuit, natum contagione Exanthema facile credimus; symptomaticum autem fuisse dies 15. 16. 17. abunde evincunt.

16. Femina Petechiis, antequam ad Nosocomium deferretur, fere enecta, altera die mortua est.

17. Peripneumonicus in Nosocomio casu & neglectu Exanthemata passus, brevique inde curatus, crisi Peripneumoniæ posthac rite absoluta, Tom. 1. hujus operis, ut & alibi, descriptus fuit.

§. II. Ægri ergo numero septendecim spatio sex cum dimidio annorum Petechias, aut Miliaria, aut utrumque, in Nosocomio practico habuerunt, adeoque quinque circiter omni biennio. Pars media horum, Exanthemata, antequam ad me adferrentur, jam habuerunt; pars altera iisdem in Nosocomio practico correpti sunt: ergo inibi spatio trium annorum Exanthe-

themata hæc quatuor duntaxat ægris eruperunt. Omnium vero duo tantum fuere, quibus id ſponte contigerit; reliquis quindecim aut contagium, aut pravum regimen, medendive methodus, aut combinatæ hæ cauſæ, Exanthemata produxere. In nemine vero illorum ea critica fuiſſe, ipſa cujusque morbi hiſtoria abunde evicit. Ad hiſtorias autem illas quod ſpectat, exacte profecto eas ex majoribus Noſocomii Diariis contrahere valui, quod in hisce quidquid ægris noſtris omni die quavis hora, ſingulo momento, contingit, exactiſſime, ampliſſimeque, adnotetur: unde etiam fit, ut ipſa hæc Diaria baſin ponant dicendorum Medicinæ Studioſis ad ægrorum lectos.

Igitur irrefragabili experientia convictus, aſſero nemini meorum critica hæc Exanthemata fuiſſe. Imo ſi nunquam Petechiis, Miliaribusve laborantes vidisſem, & nudam modo horum 17. ægrorum hiſtoriam legiſſem, quo, amabo! jure criticum id vocarem, quod ſæpe diebus neutiquam criticis, ſed admodum infidis, contingat? quod cum morbo & multum, & diu ingravescente, auctoque proinde periculo, fiat? vel etiam quo erumpente, criticæ evacuationes, in morbis acutis citra Exanthemata conſuetæ, eæque ſufficientes, prodeant?

Hinc concludo 1mo. Si in aëre *Viennenſi*, in quo Medicinam facio, adeo rariſſima mihi hæc Exanthemata ſunt, ut ſpatio $6\frac{1}{2}$. annorum vix 17. exempla coram centenis teſtibus potuerim producere; ſi præterea plerisque ægris meis, citra Exanthemata, integræ contingant, felicesque criſes; tunc Exanthemata illa, aliis Medicis adeo frequentiſſima, critica utique appellari non poſſe.

2do. Si iisdem acutis in morbis Exanthemata mihi rariſſima ſunt, in quibus alii Medici ea frequentiſſima vident, ea ſane ab aëre, ſeu noſtro, quod vocant climate, neutiquam generari; at vero potius a certis quibus-

busdam causis, quas ad ea generanda ponere soleant illi, ego autem non soleam. Quænam porro causæ illæ sint, has in Tract. *de Febr. Divis.* satis superque, ni fallor, ex pluribus, imo etiam ex celebrioribus *Germaniæ* Autoribus, demonstravi.

Ut igitur multa paucis dicam, differentia exercendi praxin tanta est, ut differentia in morbis inde necessario generari debeat. Mistura, *Hofmanniana* Practicis *Germaniæ* dicta, eive similis, nunquam adhuc cuiquam nostrorum acuto in morbo, data fuit. Deinde 2do. Pulveres absorbentes, sive testacei, ac præcipitantes, nec non bezoardici, & cinnabarini, nunquam iisdem in morbis in Nosocomio præscribuntur; puerperas, infantes, & præterea ex centenis forte hinc inde unum alterumve, cui ab acido febris, excipiatis. Tertio Emetica aut Purgantia nunquam adhuc debui principio Acutorum dare. Ita ut *Hippocrates* Aphor. I - 22. & maxime in *Libro de Purg.* sive in fragmento dicto *Heurniano*, recte monuerit oppido raros esse casus illos, in quibus aut emetico, aut purgante, initio Acutorum, uti oporteret. Quam utique doctrinam in *Epidemiorum* libris, passimque alibi, exemplo confirmavit. Quarto in calida, non renovata, putridis exhalationibus inquinata, athmosphæra, nunquam ægri includuntur, & fere suffocantur, in nostro Nosocomio.

Unde tam certum mihi videtur, quam quod certissimum, Exanthematum frequentiam a quatuor hisce causis positis oriri, ac perennare; & e contrario a Medicina *Hippocratica* eorundem observari raritatem. Hujus observati veritatem partim jam confirmarunt edita, partim brevi confirmabunt edenda in lucem variorum Diaria Nosocomiorum, in quibus demum modernorum hæresin antiqua *Hippocratis* Medicina pepulerit. Merito igitur concludere mihi videor, quamdiu moderni morem obtineant, eos Exanthematum perpetuare crebritatem; eorumque conscientias gra-

viter

viter oneratas manere, tum ea majori moleſtia, quam ſuis ægris fruſtra faceſſant; tum graviore periculo, in quod conjiciant eosdem; tum denique multorum ſtrage, quos Exanthema, dedita opera provocatum, quotannis e vivis tollat.



CAPUT II.

De Hydrope & Tympanitide.

§. I. *Viri Hydrops aſcites cum monſtroſo Omento, ceteraque Abdominis pinguedine mire degenerante. Varia circa ejus cauſas, & effectus. Obſervatio pertinens ad hiſtoriam vomitus, qui ſecundum communes Pathologiæ leges inevitabiliter hic adeſſe debuiſſet, adeſſe tamen haudquaquam potuit.* §. II. *Hydrops feminæ cyſticus, aſcitesque, Abdominis; una cum hydrope pectoris, & inferioris corporis intercute. Saccus ex Ovario ipſo, ejusque Hydatide, ortus, ventrem explens fere univerſum.* §. III. *In alia muliere Hydrops & cyſticus, & aſcites: ſaccus autem tam ab Ovario, quam a toto ſiniſtro uteri latere, natus, in eoque una cum aqua aër contentus. Parvus admodum Thorax; pulmonumque pars notabilis aquæ, in quam injecta, fundum petens. Ad trinos hos caſus impoſſibilitas* Pariſinos *imitandi oſtenditur.* §. IV. *Oſtendit idem hiſtoria Hydropicæ ex Tom. I. reſumita, atque in præſentem diem producta.* §. V. *Proſecutio alius exempli ex Tom. I. curam cyſtici tumoris, natura viam monſtrante, enarrantis.* §. VI. *Tympania improprie dici poteſt Aqua, & Aëre, gigni; unde Veterum quorundam, id ita affirmantium, mens intelligitur: quanvis eo in caſu alio potius, quam Tympanitidis nomine, morbus inſigniendus eſſet.*

De hoc argumento fuſe egi Tom. I. cap. 31. variasque curandi methodos examinavi, ut conſtaret

ſtaret qua demum ratione ejusmodi calamitates ſive percurare nonnunquam, ſive ſaltem tolerabiliores reddere, poſſimus. Verum cum proxime elapſus Academicus annus novas ſuppeditaverit, easdemque notabiles admodum, obſervationes, operæ precium erit hasce nunc recenſere, fuſiusque diſſerere ſuper hac quæſtione.

§. I. Scriniorum faber 36. annos natus, ſanus perpetuo, vino licet deditus, calidiſſimo die 25. Julii 1759. domicilium mutans, transferenda ſuppellectili plurimum occupabatur, gelidam procul dubio plurimam ingurgitans. Nocte inſequente collo, lumbisque, dolere, ſimulque tumere ventre, cepit. Variis remediis fruſtra uſus, ad *Fratres Miſericordiæ*, menſe Novembri, ſe contulit. Hydrope intra octiduum immenſe creſcente, libras medicas aquæ limpidæ, flavæ, utcumque flocculentæ 68. Paracenteſi eduxere: renato autem ſubito malo, 48. libras, elapſo vix a prima Paracenteſi octiduo, iterum evacuarunt.

Ventre hinc egregie depleto, expertiſſimus hujus monaſterii Medicus *D. Guarin* minitantem morbi reditum aptis ſemper retudit medicamentis. Interim manifeſto deprehendebantur in ventre tumores, qui prominentes globos hinc inde referrent. Perpetuosque fere & dolores & ardores miſer, ad umbilici regionem, conqueſtus eſt. Unde demum collapſis viribus 13. Dec. periit.

Fratres Miſericordiæ lymphæ 2. aut 3. ut putant, menſuras cavo abdomine eduxere: cum vero ceterum totum inibi confuſiſſimum cernerent, attulere mihi exemtam totam quantam viſcerum ventralium molem, cohærentem ita, ut in corpore fuerat. Cujus en publice factam Anatomen!

Ingens ventriculus adparuit, lieni arcte connatus; hepar autem mediocre. A fundo autem ampli, latique, ventriculi, durum, craſſumque ſcutum naſcebatur,

tur, univerſum explens abdomen, usque in latera, imaque pelvis; viſcerum proinde omnium conſpectum velans, peritonæo hinc inde connatum. Eodem elevato inteſtina nuda patebant. Ut manifeſto conſtaret ingentem hanc molem degenerans Omentum eſſe. Accuratiore examine patuit ſubſtantiam ejus conſtare tuberculis innumeris, majoribus minoribus; hinc omnino informem, & inæqualem; lamellis Omenti ambabus, intime connexis, conſtantem. Cartilagineam naturam plura tubercula induerant. Parvumque ita *Winslowo* dictum Omentum pariter degenerans, cum Omento magno, cum gibbo ventriculo, cum cava hepatis regione, ante ſinum venæ portarum, intime concreverat. Pondus autem Omenti totius 5 ½. librarum fuit.

Omnes præterea productiones adipoſæ, quæ, totidem Omentulorum inſtar, ad Colon, Rectumque, enascuntur, eodem modo degeneraverant; ad Rectum vero adeo, ut inde tota pelvis repleta cerneretur.

Meſenterium, ac Meſocolon, iisdem quidem tuberculis ſcatebant, ſed aliter diſpoſitis; ramoſis nimirum, eumque productis in modum, quo in fodinis, vel ſubterraneis ſpecubus, Stalactica.

Sub duro Omenti tegmine compreſſa locabantur, interque ſeſe ligamentis, facile tamen dilacerandis, connata Inteſtina. Omnis pinguetudo, quæ tria ad hepar ligamenta comitari ſolet; omnis ea, quæ veſicæ felleæ, ejusque ductui, circumfuſa cernebatur, nil niſi ſimilem induratam, atque globoſam, referebat ſubſtantiam. Pylorus intus bonus, exterius tumorem gerebat, qui & durus, & ſemicircularis, & plus quam tres digitos latos craſſus, inventus eſt. Diaphragma tota ſua inferiore facie duros hos ſebaceos tumores, ſemidigitum craſſos, gerebat.

Suſpicaremur fere calore nimio fuſam Omenti, Ventrisque pinguedinem, ſubito frigore, dum veſpe-

re

re a laboribus quiescebat homo, ad ventrem externum admisso, frigore quoque potus gelidi intro suscepto, coaluisse, induruisse, in irresolubilem hanc massam abivisse; sensimque appulsis humoribus auctam esse; atque hinc positam demum, quod in ejusmodi degenerationibus assolet, Hydropis causam fuisse. Utique dies fuit totius æstatis calidissimus, themometro post meridiem in loco a reflectione radiorum immuni 90. gradum notante. Si in tanto calore ponderetur labor, quem vehementem, quem continuum, sustinuerit, & conferatur cum observatione *Ruischii* fusam a motu pinguedinem in equo describentis, conjectura verisimilitudinem adipiscitur.

Nunquam, quod notandum, homo in hoc morbo vomuerat. Attamen præter alias vomitus causas, irritatio perpetua Ventriculi, tum & Pylorum premens, arctansque moles, vomitum frequentem, ac vehementem, ex iterata experientia anatomica, excitare debuissent. Verum in hoc homine Ventriculus & utrinque, & toto fundo suo, tam duræ, tam crassæ, tamque ponderosæ massæ, adeo intime adnatus erat, ut videretur, ne a fortissimo quidem Emetico in convulsivos vomendi motus contrahi, agitarique, potuisse. Bilis in Cystide copiosa, aurantia, tenax.

§. II. Mulier 52. ætatis annum agens, adhuc menstruans, a 12. retro annis tussi vexata, alvo perpetuo segnis, curat sibi pro consuetudine majali venam tundi, ex eoque tempore fluore menstruo caruit. Brevi postea dolorem in Hypogastrio quidem toto, sed sinistro ejus in latere intensiorem, percepit; ut ultra in illud incumbere nullatenus posset. Crevit sensim abdominis moles, ita tamen, ut cutis & musculi semper flaccidi manerent, prehendique ac complicari, possent, præterquam ad umbilicum. Dolorem deinde in dextro hypochondrio conquesta est, versus costas ac ventriculum se extendentem; qui tamen posthac mi-

nus obſervabatur. Quinque ſeptimanarum ſpatio ventrem ego ſæpe ſollicite tangens, dura omnia deprehendi, præcipue utroque Hypogaſtrii in latere; fluctuationem vero liquoris nunquam. Tandem contigit, ut dum incederet per plateam, acutum ſiniſtra in abdominis parte dolorem, cum quodam dilacerationis ſenſu, perciperet. Ex illo die manifeſta humorum undulatio ab utroque umbilici latere, in Epigaſtrio potiſſimum, percepta eſt. Jamque integumenta, & musculi abdominis, olim adeo flaccidi, vehementer tenſi, expanſique obſervabantur. Ventris crurumque Hydrops intercus hisce ſe junxit.

Qui cyſticus olim Hydrops fuerat, eum nunc, dilacerato ſacco, Aſciten produxiſſe rati, ad Paracenteſin devenimus, apertura ſolito altius facta; quia infra nulla undulatio, ſed magna potius durities. Unde nobis videbatur calloſus, craſſusque ſaccus, licet infirmiore quadam plaga crepuiſſet, multisque eſſet evacuatus aquis, tamen dura ſua mole, lympha forte multa adhuc circa ejus fundum exiſtente, hanc efficere hypogaſtrii duritiem.

Paracenteſis 7. Nov. 1759. inſtituta, 22. propemodum libras medicas fusci, turbidi, ſpiſſi liquoris eduxit. Ventre inde plurimum evacuato, femina veluti reviviscere tridui ſpatio viſa eſt. Verum brevi adeo tempore liquor undulans recrevit, ut propter anxietates auctas, ſuffocatamque reſpirationem, cogeremur 31. Nov. repetere Paracenteſin: qua tamen haud ultra 16. libras educere potuimus.

Vix inde perceptum ſolamen, quod anxietatum alia longe, quam olim, ſe cauſa prodiderit. Decubitus in dextrum latus commodior, ſubita a primo ſomno excitatio, & ſuffocans eo tempore anxietas, Hydropem dextri thoracis lateris innuerunt. Ita tamen, ut ſiniſter thorax haud omnino ab aquis videretur eſſe immunis: diutius enim in dextrum latus jacentem ſubor-

ta nonnunquam nova anxietas in sinistrum latus convertit.

Diuretica & ante, & inter, & post Paracenteses, cujuscunque generis, etiam varia Purgantia, nullam opem tulerunt. Exigua alvus, & pauca atque lateritia dicta urina, tantum prodierunt. Conamina nostra ad aquas exulceratis, aut scarificatis cruribus educendas, palliarunt quidem aliquantisper, symptomata autem non abstulerunt. Ad 15. Jan 1760. obiit.

Cadaveris venter valide fuit, æquabiliterque, tensus. Aperto prudenter Peritonæo, corpus ingens, fuscum, durum, totum quantum explebat abdomen, ab ima pelvi, ad usque lienem & hepar. Idem illud, variis in locis, expansionibus firmis, membranosis, & adiposis, cum Peritonæo concreverat, præsertim circa umbilicum, & in eadem cum umbilico latitudine, sinistro in latere, idque transversim, latitudine quatuor digitorum; deinde & per tres, quatuorve digitos deorsum, ut cum prima transversa adhæsione angulum fere rectum componeret; etiamque hinc inde ad latus dextrum.

Examine eo usque producto patuit vel Ovarium dextrum esse, vel ex Ovario Hydatidem natam, quæ totam hanc expansam molem produxerat; intus plenam subrubra aqua, quæ 24. libras ponderabat, quæque igni imposita, in scissilem abibat materiem. Saccus porro totus facie sua interna mire exulceratus, & hinc tuberculis, seu sebaceis, illinc ichorosis, iterumque alibi cartilagineis, aut etiam saniosis, plenus.

Quod vel Ovarium, vel ex eo natam Hydatida, hunc saccum formare dixerim, id ideo dixi, quod ambigui hæserimus utrum corpus quoddam, quod ad sacci radicem inveniebamus, Ovarium ipsum, an vero separatus parvus saccus esset? Sinistrum Ovarium in varios degeneraverat tumores. Uterus mutatus fuerat in duram substantiam, eamque carnosam, & difficulter per-

ſcindendam; craſſam adeo, ut vix in utero cavitas, niſi prope ejus orificium, ſupereſſet.

Univerſa pene Inteſtinorum moles verſus lienem truſa erat. Ventriculus pro more ingens; cum is, compreſſis adeo inteſtinis, vehementer diſtendi, inflarique, ſoleat.

In thoracis cavo dextro rubicundior adhuc aqua, quam ea, quæ in magno ſacco hæſerat, ad trium librarum pondus inerat, verum non ut illa, in duram maſſam ad ignem mutabatur; pauca namque pellicula ſuperſtite evaporabatur tota. In ſiniſtra thoracis camera, in qua aliquam, ſed copia minorem, aquam, vivente femina, ſuſpicati eramus, nulla aqua inventa eſt. Pulmo lateris dextri vix mediam ejus altitudinem occupans, adparuit condenſatus, ac veluti ad ignem criſpatus. Idemque inferiore ſua tota media parte, dum in aquam conjiceretur, ejus fundum petebat; innatabat vero ſuperiore. Interna pulmonis ſubſtantia ſat bona, ſed lata ejus in dorſo cum pleura cohæſio.

Tota ſuperficies inferior Pulmonis, Pleura, Diaphragma, Mediaſtinum, id eſt, quævis partes aquæ contiguæ, plenæ fuere tuberculis variæ magnitudinis, ſemiſcirrhoſis, purulentisve, aut ſanioſis. Lien quadrifariam, profundaque inciſione dentatus; durus. Hepar albeſcens & compactum. Veſiculæ bilis profundiſſime tinctæ copia duas pondere uncias ſuperabat: ineratque veſiculæ calculus, quadrangulus fere, trium linearum diagonalem habens, ſpiculis innumeris, ac parvis, ſplendidisque lapillis concretus, exuſto carboni rudiore adſpectu haud abſimilis. Nulla ſeri in encephalo redundantia, & quæ pauca aderat ventriculorum anteriorum lympha ad ignem non coaluit.

Ex hiſtoria morbi, & ſectione cadaveris, id videtur colligi oportere, quod mulier iſta primum Hydropem cyſticum paſſa fuerit; quod deinde ſaccus parva quadam in plaga crepuerit, & Aſciten effuſis produ-

xerit aquis; deinde quod paracenteſes aquas Aſcitis duntaxat eduxerint; præterea quod lapſu temporis concidentis ſacci apertura, cujus veſtigium invenire non potuimus, conſolidata fuerit, ſicque regenerata aqua ſit, quæ ſaccum in eam, quam in cadavere deteximus, extenderit molem. Probabileque admodum, eam ſacci craſſitiem impediviſſe, ut vel morbi principio, vel ſub finem ejusdem, undulantem perciperemus Lympham. An ideo, quod femina a 12. retro annis ſicca, eaque valida tuſſi laboraſſet, Hydrops thoracis eo, qui abdominis, longe annoſior? Nunquid, quod poſteriore anno menſes adeo irregulares, ac paucos, habuerit, & tamen Plethorica exiſteret, uterinum ſyſtema obſtructum, atque induratum, habere ceperit?

§. III. Sub idem tempus aliam, quinquagenariam ſuſcepi, quæ bona ſemper, ut ajebat, valetudine uſa; niſi quod febre intermittente, ſeu quotidiana, ſeu tertiana, laborare conſueviſſet. Quas quidem febres largiore vini potu, quem impenſe amabat, ſemper ſe dispuliſſe aſſeverabat. Catamenia tarde incepta, maturius finita, pauca perpetuo & irregularia, habuit. Quinquennium elapſum eſſe ajebat, ex quo ſemel urinam mittere, præ adſtantium verecundia virorum, impediretur: elapſis aliquot deinceps horis ſe ventre doluiſſe, urinam vero, quum mittere geſtiret, nullatenus mittere potuiſſe: fomento tamen ad Hypogaſtrium veſpere adhibito paucas reddidiſſe guttulas: remediisque poſtera die a Medico acceptis iterum guttatim eam prodiiſſe, poſtea autem ſenſim abdominis tum tumorem tum dolorem ſe percepiſſe. Adjungebat porro elapſo ab illinc menſe ſe, vehementer ſitientem, copiam gelidæ immenſam hauſiſſe; cumque tota inſequente hyeme admodum ſiticuloſa foret, plurimum bibendi neceſſitati parere ſe debuiſſe; nec unquam niſi ſtranguerioſe reddere potuiſſe urinam.

Porro ventris mole crescentis extensionem, eo usque æqualem, ut ait, perceperat; cum vero plurimorum Medicorum opem frustra esset integro triennio experta, & tandem Decoctum Juniperi diu affatimque hausisset, ventrem quidem multum concidisse, sed etiam admodum inæqualem tactu, figuraque, redditum esse deprehendebat: relicto autem eo Decocto, advertit antiquam ventri molem, antiquam rediisse æquabilitatem.

Ex hac sæpe repetita, eodemque semper modo enarrata, ac confirmata Anamnesi, conclusimus cysticum Hydropem adesse; cujusnam visceris incerti quidem, probabiliter tamen obstructione systematis uterini natum; eique demum ascitem junctum esse. Quippe Catameniorum modus hoc ipsum systema dudum laborasse indicaverat nobis: annosusque vini abusus, frequentiores quoque narium hæmorrhagiæ ad caussam proegumenam accedentes, morbum præsentem gignere potuisse nobis videbantur; ita tamen, ut continuus aquæ abusus eundem vehementer auxisset.

Urinosusne Hydrops forsan non fuerit si quis suspicetur, respondeo Hydropem urinosum celeriter perimere, hunc vero jam integro perstitisse quinquennio. Sed præterea Hydropis causæ pridem in corpore extitere, antequam urinæ retentio nasceretur.

Decoctum Juniperi multam sane ascitis lympham diuresi eliminavit, quum venter ita detumesceret; sed ascite evanido cysticus Hydrops cum omnibus suis tumorum inæqualitatibus eo manifestior adparuit. Confirmavit hanc phænomeni hujus explicationem ventris renato ascite æquabilitas.

6. Nov. 1759. Paracentesi eduximus 56. libras liquoris, qui fuscus, atque instar potus Chocoladæ spissus deprehensus fuit, integraque septimana asservatus non fœtuit; igni autem a principio eductionis impositus, pauca sui massa coagulabatur, plurima sui parte

in

in auras evanuit. Principio,ut fit, ab operatione recreata, viribus solito citius decrevit, perpetuisque tum anxietate, tum pertinaci diuturnoque singultu, 19. ejusdem mensis obiit.

Venter monstrose inflatus. Musculi abdominales tenuatissimi. Peritonæum denso cum sacco, in cavo ventre contento, hinc accretum, illinc liberum. Sacco levi vulnere pertuso, mox venter, flatu sibiloso erumpente, multum detumuit.

Saccus ex ima pelvi supra umbilicum, ac per totam ventris latitudinem adscendens, fundo suo terminabatur latis circiter quatuor digitis infra cartilaginem xyphoideam. Omentum supra saccum sub hepate locabatur, & hinc inde ad ejusdem lobi majoris crepidinem, tum & ad totius sacci fundum, adhærebat, & connatum erat. Thorax minimus fuit,nam hepar tam alte sub costis recondebatur, ut gibbo suo ultra tertiam (ducto a superioribus numero) adscenderet; eodemque modo diaphragma medio sui. Cellulositate quidem facile dilaceranda saccus pluribus in locis cum peritonæo connexum; ad latera vero, & in Ilibus, ligamentosis productionibus, non nisi cultro separandis, cohæsit. Origo ejus ab Ovario sinistro, totaque uteri sinistra parte; fundi sui postica plaga cum intestinis tenuibus unitus ope ligamentorum membranosorum, non tenacium, sed digito facile solvendorum. Tenuia intestina omnia fere in Epigastrio sinistro convoluta: suo Colon loco. Jamque in inguine dexto, iisque cunctis in locis ubi saccus a cohæsione cum peritonæo liber, ac toto abdominis cavo, ascites erat. Aqua ascitis minime fœtens; ea autem sacci, fusca & fœtida fuit. Ipse autem saccus inæqualiter crassus, intus tuberosus, saniosus, semipurulentus, tota sua interna substantia. Aër, qui sibilo exiverat, ad anteriora sacci locatus fuisse videtur, hincque, facto vulnere, exitui aptus. Substantia sacci hic semilineæ, ibi lineæ, alibi 2. 3: linearum; in

latere vero sinistro digiti, imo pollicis, crassitudinem inæqualem ac tuberosam, habebat.

Circa uterum nihil non confusum. Examine tamen patienter instituto, patuit Ovarium ipsum, dum extendi inciperet, cum laterali uteri superficie cohæsisse; Tubam Fallopianam implicuisse sibi, eandemque ad sesqui spithamæ longitudinem extensam, secum duxisse, sic demum occupasse ventrem fere totum. Habebatque ad suam originem appendiculum, aqua similiter repletum. Dextrum Ovarium diametri sesqui pollicis, lympha gelatinosa repletum erat.

Igitur Paracentesi eductus fuit liquor turbidus, non fœtidus, in cavo abdominis ascitem faciens; qualis etiam a morte ibidem deprehendebatur. Libere enim effluere sub Paracentesi potuit e locis a cohæsione cum peritonæo liberis. Hincque factum, ut etiam in vivente undulatio perciperetur aquarum.

Docent porro hi tres casus, me, *Tom.* 1. *Rat. Med. cap.* 31. haud immerito aliquas, easdemque haud leves, adnotasse difficultates, in exsequendo erudit. *Paris. Chirurgorum* systemate, quo statuerant, eductis Paracentesi aquis, vulnus insigniter dilatandum esse, apertumque servandum; ut & omnis posthac renascens liquor, abdomen alioquin iterum extensurus, inde extillaret perpetuo, & saccus ita concideret, complanaretur, convolutusque concresceret; ut deinceps ultra extendi nunquam posset.

In I. enim historia Hydrops renascens præcaveri quidem potuisset, lata servata ventris apertura; sed Omentum ita monstrosum non modo inde mutatum non fuisset, sed aëris allapsu in sphacelum dirum, subjecta sibi omnia destruentem, abivisset.

In historia II. & III. saccus in Paracentesi perscissus non fuit; perscindendus ergo fuisset. Ecquis vero pollicis forte densitatem offendens, nescius proinde quid forte perscinderet, cultro penetrare ausus fuisset?

Haud

Haud enim id in vita, ut quidem in cadavere, illico patescit. Nec concidisset saccus, sustentaculis quippe & adhæsionibus validioribus cum peritonæo cohærens. Quid vero in substantia ulcerosa, scirrhosa, saniosa, adeo crassa, vulnus effecisset? Quid demum aër? Dira certe carcinomata, quæ mutuus binorum pendentis sacci laterum affrictus auxisset vehementer. Quodsi demus aperturam forte fortuna in tenuiore sacci substantia, ut latis in plagis anterius, posteriusque erat, penetraturam fuisse, quid inde non timendum ab Intestinis? Compressa hæc olim, jamque libertatem nacta, & flatibus distenta, aut colicis expansa doloribus, versus locum minime resistentem, saccum, seu ejus parietem posteriorem, protrudere, extrudere, & ventrem extra ventrem, monstrosamque formare Herniam, potuissent. Mitto nunc, quæ de degenerascente Ovario exscindendo, etiam ab iisdem claris viris proposito *Tom.* 1. dixi. Utique in tertio hoc exemplo patuit Ovaria, dum extendunt sese, quandoque utero primum adplicari, eidemque arctissime uniri: Ovarii proinde extirpationem majoribus difficultatibus premi, quam quidem theoretica ejusdem contemplatio suggessisset.

§. IV. Prosecutio historiæ mulieris, de qua *Tom.* 1. *cap.* 31. difficultates confirmat easdem. Sic enim res nunc cum illa se habet. Tumor abdominis post Paracentesin semper recreverat, undulans nunquam. Hydragoga vitam hyeme præcedenti, bonaque veris parte, tolerabilem ipsi reddiderant. Maji vero 10. proxime elapso, motum exercens validum, pondusque elevans, crepitum in ventre percepit, veluti quid intus sibi dilaceraretur, simulque subitum ventris incrementum. Fluctuationem nunc manifestam iterum deprehendebamus.

Ut anno præterito præter cysticum tumorem habuerat asciten, Paracentesi eductum, ita etiam nunc, vel sacco ipso vi lacerato, ut in historia II., vel alio tumore

more hydatico rupto, ascitem adesse rati, 14. Maji Paracentesi eduximus libr. 20. liquoris turbidi fusci, tenacis, haud fœtentis, vix imminuta abdominis mole. Unde potius alterum a primario sacco disruptum ea vi fuisse credimus, cum primarius ille, intra octiduum a percepta dilaceratione, æque magnus, extensusque, quam olim deprehenderetur. Liquor eductus secessit in gelatum, quod lumini admotum pellucet, & in liquorem fuscum, fere limpidum, qui ad ignem omnino coagulatur. Toto eo tempore notavimus ejus urinas nunquam habuisse lateritium sedimen, ut alias id hominum genus habet; sed tale, quod a bona in acutis hypostasi haud facile interstinguas.

Post hanc Paracentesin aliud quid, præter descriptam formam, extensionemque, venter notandum exhibuit. Circumscriptus quippe tumor ab Hypogastrio ad umbilicum, & ultra, extensus, durusque idem, atque ovalis, deprehenditur; haud sane aliter, ac si ultimam graviditatis metam attingeret. Maritata cum sit, graviditatis datur una cum Hydrope, tum cystico, tum ascite, possibilitas. Id vero incertum. Casus famosus *Drelincurtii*, cui similem etiam *Tom.* 1. descripsi, abunde evincit uterum posse, dum privato turget Hydrope, simulare graviditatem. Tempori utique hoc concedendum. Interim præter alias sufficientes rationes haud imitandi *Parisinos*, nova hæc nobis, eaque urgens sane ratio, saccum haud aperiundi, sistebatur.

Dies interim docuit diem. Elapsis nunc fere quinque mensibus, dum hæc sub prœlo sudant, ex quo subdubitare ceperimus, mutatio figuræ, incrementumque abdominis, plane arguunt, personatam graviditatem fuisse. Quamvis igitur graviditatis metus haud existat ultra, subsistunt tamen graves aliæ rationes abstinendi a cura proposita.


§. V. Anno proxime præterito innueram casus nonnunquam dari, ubi id ipsa per sese natura facit, quod in pro-

proposita methodo & difficile deprehenderamus, & periculosum, & sæpe impossibile. Videatur hist. mulieris *Tom.* 1. *cap.* 31. *pag.* 276., quæ scilicet in graviditate, præcipueque deinde a partu, ab umbilici dextro latere tumorem gerebat, qui manifestam puris, arctiore spatio contenti, fluctuationem exhibens, aperiebatur, pusque copiosum per multos dies fundebat, cum imminuta duritie, & ceteris bonis inde sequentibus signis. Quandiu potuimus, locum in illa servavimus apertum, quia purulentus saccus peritonæo accretus esse detegebatur, nec admodum magnus ille, ut stylo flexili & incurvo patebat. Mense Octobr. & Nov. 1759. vulnus sponte coëuns, aliquoties dilatavimus, eo quod superstitem duritiem deprehenderemus. A partu, qui ineunte Junio contigerat, defuerant menses; finiente vero Octobri rediere; ex eoque gravida facta, mense Augusti 1760. feliciter peperit. Locus affectus sine ulla duritie relicta, aut tumore, coivit. In ejusmodi casibus verum illud Manilii: *Artem experientia fecit, Natura monstrante viam:* præter naturam magistram, res semper periculosæ admodum aleæ.

§. VI. Antequam hoc caput finiam, unum monendum habeo. *Tom.* 1. *p.* 87. & 273. de Tympania agens, in eorum sententiam abivi, qui aëri soli, eique intestinis cavis contento, adscribant eandem. Quippe capta in cadaveribus experimenta, præter *Dureti & Littræi*, aliorumque, auctoritatem, eo me adduxerant. Historia tamen III. hujus Capitis, pag. 25. demonstravit posse ex putrido liquore aëra in sacco gigni, pertusoque sacco exire sibilando. Ergo si Veterum nonnulli simile quidpiam forte observantes Tympanitidem dixerint aqua & aëre gigni, hancque partim aëream, partim aquosam, haudquaquam in Intestinorum cavo, sed in ventre, contineri, non est quod obloquar. Verum enim vero nec in vita, nec in cadavere, hic, de

quo

quo agimus, morbus, ipso Tympanias nomine recensendus venit, si totam ejus historiam attente pervolvamus. Utique nulla in eo Hydropis sicci signa.



CAPUT III.

De Hydrope Pectoris.

§. I. *Signa & Symptomata morbi ex* Hipp. *Sequentium ævorum Scriptores parum aut nihil ejus meminerunt.* §. II. *Sæculo autem XVII. ut & præsenti, plures de eo ex professo egerunt.* §. III. *Diagnosis & curatio ex autoribus formantur. Ea occasione Paracentesis tum in genere, tum ea Thoracis in specie, examinatur, ac remediis ceteris præstantior declaratur Inquisitio fit quibusnam, & quandonam, prosit.* §. IV. *Examen evacuationum in Hydropicis per Cauteria, Scarificationes, Vesicantia, &c. & qua lege usui venire queant.* §. V. *Problema proponitur cur laudata in Hydrope pectoris Paracentesis adeo raro instituta fuerit, adeo raro adhucdum instituatur? Responsum petitur ab inchoantis morbi incertitudine, & a rebus ejus, dum probe cognoscitur, conclamatis.* §. VI. *Fallacis morbi historia practica traditur, qua dicta probentur. Incertitudo signorum ejus probatur historia Hydropicæ, multisque aliis practicis exemplis. Confirmatur ulterius alia historia notabili, & sectione anatomica. Conclusio medica.*

§. I. Femina, de qua Cap. proxime superiore pag. 19. actum, præter Hydropem cysticum & asciten, Pectoris quoque Hydropem habuit. Hunc, vivente ea, dudum suspicati eramus, ut ibidem innui. Attamen quæ signa pathognomica morbi vocari solent, non aderant omnia; & quæ etiam in eadem Hydropem sinistræ thoracis cameræ indicare videbantur,

tur, nos plane fefellere. Fallacem sane morbum plura nobis experimenta jam evicerant; ita ut eum incertissimorum morborum in classe locari oportere, cum Auditoribus meis sæpius doluerim. Quum tamen adeo & frequens morbus sit, & difficulter cognoscendus, operæ precium erit eum ab incunabulis repetere, adeoque examen instituere quorumvis signorum, quibus cujusque ævi Scriptores Medici illum nobis depinxerint, cognoscendumque, ut indubie præsentem, dederint. Inquiram deinde num incipientis morbi signa propiora artis usus forte non suggerat? Ex omnibus practicas regulas deducere conabor.

Ad signa morbi tum communia, tum pathognomica examinanda ab *Hippocrate* ordiri convenit. *Lib.* 2. *de Morb.* pag. apud *Foës.* 483. Tom. 1. apud *Charter.* Tom. 7. pag. 575. vocatur morbus Ὕδερος πλεύμονος.
„ Si Hyderos, inquit, in pulmone nascitur, febris,
„ & tussis, vexat, confertim respirat, pedes intu-
„ mescunt, ungues omnes contrahuntur, & iisdem,
„ quibus suppuratus, afficitur; verum remissius, ac
„ diutius. Quod si Infusum, aut Fomentum, aut Suf-
„ fitum adhibeas, pus non sequitur; indeque cogno-
„ veris non pus, sed aquam intus esse. At si diutius au-
„ re ad latera admota auscultaveris, intrinsecus velut
„ acetum olet. Et aliquandiu his afficitur, sed postea
„ in ventrem erumpit: confestimque sanus, & mor-
„ bo liberatus esse videtur. Verum procedente tem-
„ pore venter incenditur, eademque illa, & graviora
„ patitur. Quibusdam etiam venter, & scrotum, &
„ facies, intumescit. Et nonnulli istud ab inferiore
„ alvo, provenire existimant, cum ventrem mag-
„ num, & pedes tumere, videant. Quæ certe intu-
„ mescunt, ἢν ὑπερβάλλῃς τὸν καιρὸν τῆς τομῆς, si sectio-
„ nis tempus oportunum prætervideris.

Libr de Aff. int. apud *Foës.* Tom. 1. pag. 544. & 545, apud *Charter.* Tom. 7. pag. 655. 656. morbi de-
scrip-

ſcriptionem & curationem eodem modo, ſed fuſius, proſequitur. „ Hic Hydrops, ait, ex his oritur. „ Quum æſtatis tempore, ſiti premente, copioſam „ aquam biberis, quandoquidem inde maxime gigni „ ſolet, & pulmo expletus fuerit, rurſum in pectus „ dimittit. Quumque in pectore extiterit, vehemen-„ tem ardorem excitat, ita ut pinguedinem, quæ in „ arteriis ineſt, liquefaciat. At ſi ſemel pinguedo „ multo magis liquefieri ceperit, Hydropem brevi „ efficit. Gignitur etiam ubi tubercula, φύματα in „ pulmone exorta fuerint, eaque aqua repleta in pec-„ tus eruperint. Quod etiam a tuberculis oriatur Hy-„ drops, mihi argumento ſunt Boves, & Canes, & „ Sues. In his etiam quadrupedibus maxime pulmo-„ nis tubercula oriuntur, quæ aquam continent. Sec-„ tione namque facta id illico cognosces; aqua quip-„ pe effluit. Talia autem multo magis in homine, „ quam in pecoribus fieri videntur, quanto morboſa „ magis etiam victus ratione utimur. Plerique vero „ exortis tuberculis purulenti etiam extiterunt.

„ Hæc igitur per initia oboriuntur morbo: tuſſis „ ſicca, & fauces exaſperari videntur, & rigor & fe-„ bris ſuccedit, & orthopnœa; cutis totius corporis „ tumefit, tument pedes, ungues contrahuntur; & „ quandiu quidem in ſuperiore ventre Hyderus exti-„ terit, extat acutus dolor: cum vero ad inferio-„ rem ventrem devenerit, melius habere videtur: „ deinde progrediente tempore impleto ventre, ea „ quæ prius patitur. Interdum vero ad latus tumes-„ cit, & qua parte ſecandum ſit, indicat. Quod ſi non „ indicet, multa calida lotum, humeris comprehen-„ ſum, concutito, deinde quonam in latere materia „ magis fluctuat, auſcultato.

Hippocrates igitur cauſam Hydropis Pectoris deducit 1mo. ab aquæ potu, & nimio, & celeriter ingurgitato. 2do. A ruptis pulmonum tuberculis, (Hydatidibus)

bus) quæ, si versus externam pulmonum superficiem perrumpuntur, suam utique lympham in cavum thoracis effundunt.

Morbi signa & symptomata ait 1mo. Tussim siccam. 2do. Faucium raucedinem. 3tio. Rigorem. 4to. Febrim. 5to. Respirationem citiorem. 6to. Orthopnœam. 7mo. Totius corporis, pedumque præsertim, Hydropem intercutem, seu ἀνὰ σαρκά. 8vo. Thoracis dolorem. 9no. Hydropem ventris, cum remissione omnium symptomatum, quum pectus ad tempus evacuetur. 10mo. Recrescente pectoris lympha, quod ejus sit scaturigo perennis, tunc ascitem ultra non levare morbum pectoris. 11mo. Unguium curvationem, qualis fieri solet suppuratis: addit & alia suppuratorum signa, quæ mitius tamen ait, & diutius, ipsis evenire. 12mo. Absentiam sputi purulenti, etiamsi medela ad sputum provocandum adhibita sit.

Symptomatum horum plura etiam signa vera morbi sunt, sed addit *Hippocrates* aliud quid. Hominem nempe in sedili collocatum humeris valide concutit, movetque; ut sic aure mox ad latus admota, undulantem percipiat aquam. Addit pro alio signo, *Lib. 2. de Morb.* quod eadem pectoris aqua, dum sic aurem pectori admoveris, veluti acetum olet.

Errorne aliquis hic exemplariorum? *Foësius*, & *Charterius*, & *Lindanus*, hic legunt ὄζει, *Cornarius* vero ζέει, nempe, *fervet*. Juxta hoc exemplar sensus bonus est, non vero lectione alia. Nunquid enim *Hippocrates* juberet non nares, *sed aurem*, pectori admovere, ut odorem aceti perciperemus? Sed si *fervere* intellexit, tunc aurem admovere oportune præcipit.

Cum magnus *Hippocrates*, adeo in ceteris Laconicus, judicaverit hunc morbum adeo fuse describi oportere, expectare quis posset *Galenum*, *Cælium Aurelianum*, *Aretæum*, posteriorumque ævorum scriptores, & fusos, & perspicuos esse, cum de eodem agunt.

 Sed

Sed nihil minus. Plures in transitu meminere illius; nonnulli ne meminerunt quidem. Quo quid in obvio adeo morbo mirabilius? *Platerus*, *Hollerius*, *Goræus*, *Capivaccius*. *Hier. Mercatus*, *Salius Diversus*, *Jacotius*, *Ballonius*, *Duretus*, &c. obiter modo de Hydrope pectoris locuti sunt, eorumque, quæ adeo fuse *Hippocrates*, signorum pauca modo raptim tetigerunt: unde concludere nos cogunt morbum ipsis minus in viventibus ægris, quam in denatorum cadaveribus, patuisse. Idemque judicium sit de *Cardano*, *Coïtero*, *Donato*, *Cratone a Craftheim*, *Casparo Bauhino*, & reliquis omnibus, ex quibus optimus *Schenckius*, utilissimas suas adornavit collectiones.

§. II. Ineunte autem Sæculo XVII. tres magni in arte Viri simul hoc argumentum pro aliqua ejus dignitate tractarunt. *Prosper Martianus*, Romæ; *Carolus Piso*, Nanceii; *Daniel Sennertus*, Wittenbergæ. Paulo post etiam *Lazarus Riverius* utcunque fuse de eodem egit. *J. B. Helmontius*, quanvis de eo parum habet, in tractatu tamen, qui vocatur *Ignotus Hydrops*, & morbum in ægri vita præsentem cognovisse, & in cadavere demonstrasse, videtur. Post illum *Sylvius de le Boe*, & cum *Lowero Willisius*, ex professo de eodem egere. Plures tamen post illos, ut *Juncken*, *Etmuller*, &c. solo vix nomine morbum recensuerunt. Egregius *Wepferus Libr. de Affect. Cap. Obs.* 60. anatome potius illum, quam ægro vivente, cognovisse videtur: cumque ipsemet hoc morbo laborasse post mortem inveniretur, minus tamen id credidisse legitur apud *Brunnerum*, eo quod urinam egregie redderet, matutinisque gauderet sudoribus. *Wratislavienses N. C. Medici* ad Ephemeridas suas ann. 1699 -- 1702. Tractatum de Hydrope Pectoris adjecerunt, in quo ejusdem causas, signa, curamque, erudite tractant. Exinde *Academiæ N. C. Paris. Lond. Edimb.* varia ejus dedere exempla: Immortalis *Boerhaave* Cap. de *Hydrope* §. 1219. Hydro-

dropem hunc deſcribit Empyemati multis ſignis ſimilem, ſola cauſæ antecedentis obſervatione ab illo discriminandum. Nobiliſſ. Ruſſiæ Archiater *de Gorter*, in *Med. Comp. Tract.* 35. morbum obſcuriſſimum vocat, ejusque ſigna ex *Hipp. Piſone*, *Sennerto*, tradit.

§. III. Porro ſi ex quibuscunque recenſitis hisce autoribus cauſas, ſigna tam communia quam pathognomica, diagnoſin quoque, & curam, diligenter colligamus, notanda ſequentia invenimus.

1mo. In cauſarum enumeratione paſſim conveniunt omnes. Cauſas enim Hydropis generales recenſent, quæ vel in aliis corporis plagis Hydropem primo conciliant, deinde pectori; vel pectori primum, deinde reliquo corpori; vel denique pectori ſoli. Cauſas præterea peculiares quasdam nonnulli addidere: v. g. maturiorem vulneris in thorace curationem, rupturam ductus chyliferi, diruptionem hydropici pericardii, vaſorum in oſſeam ſubſtantiam degenerationes, &c.

2do. Signa morbi multi haud alia enumerant, quam quæ *Hippocrates*; nonnulli vero ſingularia dedere, quæ vel pathognomica, vel illis ſaltem proxima appellarunt: v. g. ſubitaneam prima nocte excitationem, cum intentata fere ſuffocatione; alterutrius, vel utriusque, manus ſive paralyſin, ſive œdema; hypochondriorum tumorem; pulſum debilem, tardum, inæqualem, haud raro intermittentem; fœtentem animam; urinam paucam, craſſam, & brevi ante fata ex atro rubentem, cum furfuraceo, aut lateritio, ſedimine.

3tio. In Diagnoſi multi, gravesque Viri, difficilem, obſcurum, ambiguum, morbum eſſe fatentur: varii e contrario tanquam communi omnium more propriis ex ſignis cognoscendum, atque ab aliis interſtinguendum eum deſcribunt.

4to. Curam ejus varii, vario admodum modo, auſpicati ſunt, *Hippocrates* textibus, ex *Libr. 2. de Morb.* & *Lib. de Aff.* ſupra recenſitis, „ Hunc quidem, ait,

,, ſi exteriore parte intumeſcit, inter coſtas ſectione
,, facta, curare oportet. Sin vero minime intumue-
,, rit, etiam multa calida lotum tunc, veluti purulen-
,, tos, in ſella collocato, & qua parte ſtrepitum edet,
,, ea ſecato: tertiam ab ultima coſtam ad os usque ſe-
,, cato: deinde terebra acuta ulterius perforato: vo-
,, tumque eſt, quo ſane facile effluat, ut quam infimo
,, loco id fiat.

,, Ubi autem ſecueris, oportet ulcus cavum, in in-
,, terna patens, efficere, impoſito lino crudo; craſ-
,, ſum autem, & extremo acutius, oportet hoc li-
,, num, ſive linamentum, facere. Quam pauciſſimam
,, aquam parce emittas. Impoſito igitur linamento
,, mollem ſpongiam ſupra imponito; deinde ne peni-
,, cellus decidat, deligato. Et ſi quidem 5to. die pus
,, in ulcere circumnaſcitur, ut plurimum evadit: ſin
,, vero circumnaſcitur nihil, poſtquam aquam edu-
,, xeris, ſitis prehendit illum, ac tuſſis, & moritur.
,, Per 12. autem dies ſemel die aqua educenda: poſt
,, 12. vero dies, id eſt, 13. die, tota aqua educenda eſt:
,, & reliquo tempore, ſi ab aqua diſtenſio fiat, exhau-
,, rienda, venterque cibis ſiccis reſecandus.

,, Hæc autem poſt ſectionem exhibenda: ſuccum
,, laſeris dragmæ pondere adparatum, & Ariſtolo-
,, chiæ tali cervini magnitudine fruſtulum deraſum,
,, & lentium, ervique, torrefactorum polentam; u-
,, triusque purgatæ chænicis dimidium: hæc melle
,, & aceto ſubigito. Deinde 60. trochiſcis formatis,
,, unum tritum quotidie vini nigri auſteri quam ſua-
,, viſſimi heminæ dimidio maceratum, mox jejuno
,, potui exhibeto. Reliquam vero victus rationem,
,, & exercitationem eandem, quam priore tempore,
,, habere jubeto. Et ſi pudenda, ac femora intumue-
,, rint, audacter ſcarificato. Hunc ſi ita curaveris,
,, certiſſime ſanum reddes.

Monitos Lectores hic velim me 1mo. utrosque lau-
da-

datos *Hippocratis* textus dedita opera confudiſſe, & commiscuiſſe, ut continuata oratione integra ejusdem ſententia pateret. 2do. Me *Hippocratis* μότα, & ἔμμοτα, eo modo latina reddidiſſe, quo *Tom.* 1. *cap.* 31. neceſſe eſſe demonſtraverim.

Haud omnibus æque arriſit hicce curandi modus. *Proſper Martianus* Paracenteſin *Hippocratis* ut primum, ut præſtantiſſimum auxilium, commendavit. Magnus *Boerhaave* Aph. 1219. & 1238. *Hippocratem* & *Martianum* preſſe ſequitur. At vero Auctorum plerique hanc eo duntaxat caſu laudarunt, quo remedia conſueta minime juvarent. Ita *Piſo*, *Sennertus*, *Wratislavienſes*, *De Gorter*, &c. Imo dantur haud contemnendi in arte Viri, qui hanc operationem, cum bona *Hippocratis* venia, condemnarunt, ut v. g. *Ludovicus Mercatus*, *Petrus Salius Diverſus*, & pene etiam *Sylvius de le Boe*.

Hinc ultimæ penultimæque claſſis Scriptores, ut quenvis paſſim Hydropem, ita & hunc evacuantibus docuere debellandum. Unde purgantia hi leviora, illi draſtica, tum omnis generis diuretica, ac ſudatoria, præſcripſere. Fonticulos quoque, & ſetacea, veſicantia, ſcarificationes, inuſtionesque crurum, femorum, tumentisque ſcroti, ad revellendam de pectore lympham, unanimiter commendarunt.

Et ſane quoad Paracenteſin in genere, in quovis Hydrope, notamus eam ab omni retro ævo male audiiſſe, & a multis tanquam periculoſam, a nonnullis tanquam quosvis indiſcriminatim occidentem, proſcriptam fuiſſe. Quos egregie *Cælius Aurelianus*, primi ſæculi æræ Chriſtianæ, ut videtur, autor, refutavit; ut & ſæculo 16. finiente *Ambroſius Paré*, aliique. Præcedenti ac præſenti ſæculo frequentiorem in uſum vocata eſt. Notabilia exempla *Acad. Reg. Sc. Pariſ. Theſes Pariſinæ*, obſervationes omnium regionum, multas Hydropis aſcitis curationes, ut vocant,

radicales, aut semel, aut iterum, aut pluries instituta Paracentesi, referunt: tum & curas plures morbum egregie palliantes.

Numerosi, qui mihi obtigere, casus me docuere, palliantes curas, numero plures, quam integras, Paracentesi perfici. Quare examinare confert quandonam integre, & quandonam tantum palliative Hydropici ejus ope curari queant: sponte tunc liquebit quibusnam Paracentesis, & quousque, prosit.

A causa quacumque homo potest notabili tempore eam suis in humoribus tenuitatem, eam cutaneis in vasis laxitatem, & anastomosin, habere, ut perpetuo fere sudet, sudorque guttatim defluat, & vestes madefaciat, lectosque. Sed & idem homo, seu bonitate naturæ, sed diætæ mutatæ, mutatæve athmosphæræ, medicamentorumque, auxilio, ita potest compingi humoribus, vasis ita constringi, ut ultra non sudet, viresque sudore confractas brevi recuperet. Hic homo tunc integre curatus est.

Verum ponamus exhalantium vasorum debilitatem minus ad corporis ambitum peccare, quam ad pleuram, ad peritonæum, ad viscerum in thorace, ac ventre, superficiem; ita ut potissimum per harum partium exhalantia vasa tenuati humores Hydropem transsudando creent. Ut priori, ita & huic naturæ, regiminis, artis, auxilio, diathesis ita tolli potest, ut internus ille sudor cesset. An autem ita hic, quam ille curatus? Neutiquam. Prior ille vasis roboratis, inspissatisque humoribus, jam curatus erat; posterior cum omni hoc beneficio aquæ dolium manet. Hæc porro aqua si bonitate medelæ, aut maxime Paracentesi, evacuata fuerit, cum mutata in melius jam antea diathesi, perfecta aderit ac firma sanitas.

Etiam hoc in casu contingere potest, ut Paracentesis, nondum mutata diathesi, colluviem aquarum auferat; ac deinde optima roborantia & inspissantia re-

media

media integram efficiant, conſtantemque ſalutem.

Si nunc homo a ſubito, ac copioſiore potu aquoſo, poſt diuturnam ſitim hauſto, in Hydropem inciderit, quemadmodum olim totus pene exercitus inviĉtiſſimi Imperatoris *Caroli V.* in expeditione *Tunetata*; utique potus abſtinentia, motus, elater conſervatus vaſorum, ejusmodi innumeros reſtituere poſſunt. Sin vero abundantior lympha, in corpore effuſa remanſerit, homo hic aut aptis medicamentis, aut paracenteſi, ab illuvie aquoſa liberandus erit: liberatus, reĉte valebit.

Sed alia longe res eſt, ſi diſpoſitio in corpore perſeveret, qua ſublatis aquis, perpetuo ſuccedant novæ. Si eduĉtis aquis vaſorum humorumque vitia corrigi nequeant, cauſæ perſiſtentes novas continuo regenerabunt aquas. Si aperta hydatis aquam ſtillaverit, eduĉta ea, novam abundantius, ablata reſiſtentia, dabit. Ergo paracenteſis ad tempus modo levabit; ſed & medicamenta belle evacuantia etiam tantum ad tempus proderunt. Igitur cum medicamenta ſæpe nihil aut vix agant, prætereaque corpus defatigent; ipſa vero paracenteſis vires vix projiciat, nec corpus exagitet, ſecure autem ſemper, certoque evacuet; merito *Proſper Martianus*, & *Boerhaavius*, paracenteſin medicamentis prætulerunt. Tandem in aſcite, cui Hydrops cyſticus junĉtus, etiam ceteris paribus eſt Paracenteſis medicamentis anteferenda; quia medicamenta ibi vix unquam efficaciter agunt, & Paracenteſis ſemper evacuat.

Diffiteri equidem non poſſumus mortem Paracenteſi preſſo pede nonnunquam inſequi: cum tamen eo modo in caſu tunc adhibetur, ut vitam lymphæ abundantia jamjam ſuffocandam fortaſſis aliquantiſper producat, dubiumque tunc auxilium, quam nullum, adhiberi præſtet; neque etiam hic condemnanda Paracenteſis erit. Hujus erat mentis *Hippocrates* Lib. *de Loc. in hom.* pag. apud *Foëſ.* 417. τῶν νοσημάτων ὅ, τι ἂν

ἐπικινδυνότατόν ἐστιν, ἐν τούτοισι παρακινδυνεύειν χρὴ· ἐπιτυχὼν μὲν γὰρ ὑγιᾶ ποιήσεις, ἀτυχήσας δὲ ὅπερ καὶ ὡς ἔμελλε γίνεσθαι. In morbis, in quibus periculum ingens adeſt, aliquid audendum eſt: ſi enim ſucceſſerit, poteris ſervare ægrum; ſi non profeceris, fit modo id, quod ſine tuo molimine brevi contigiſſet.

§. IV. Atque hæc de Paracenteſi. Sed quæ commendatur evacuatio in quacumque Hydropis ſpecie, cauteriis, ac ſcarificationibus, peragenda, illa etiam, ſubſequa brevi gangræna, diſcrimine non vacat. Paſſimque omnes poſt *Hippocratem* Medici Hydropicorum ulcera curatu difficillima, ne dicam impoſſibilia, notarunt. Interim qui hoc primus notavit *Hippocrates*, ille etiam ulcera Hydropicis arte excitanda eſſe primus monuit. Sibine igitur contradixit? Minime; ſed neceſſariam adhibuit, quam negligere ſolemus, cautelam. Ἀεὶ τὸ ἐξοιγόμενον χρίειν θερματηρίῳ φαρμάκῳ. Sicque averruncare gangrænam potuit. Unde bene *Proſper Alpinus*. finiens ſuum 7. Lib. *de Med. Methodica*. „ Hocque, inquit, præſidii genere ſcimus „ nos complures Hydrope fuiſſe ſanatos; at quia cu- „ rationem vulnerum neglexerunt, alio morbo quam „ Hydrope interemti ſunt: quippe vulnere in gan- „ grænam abeunte". Quare, dum in Noſocomio ſcarificationes, Hydropem palliantes, inſtituimus, ſaturato corticis peruviani fomento gangrænam averruncavimus. Ultra nunc progrediemur. Hydropem & aſcitem, & intercutem, curatum vidimus in cancroſa femina, cui cortex adverſus cancrum dabatur. Cancer quidem non curabatur; ſed vaſa corporis, cortice roborata, omnem aquarum colluviem alvo & urinis expulerunt. Quid ergo impedit, quo minus Hydropis, ſine viſcerum interiorum ſcirrho obtinentis, curam cortice & aſſumto, & ſcarificatis admoto locis, tuto tentemus? Duplex ſane cauſa nos eo adigit: altera egregius effectus in ipſo morbo; altera ejusdem,

ad morbi proegumenam caufam haud raro tollendam, exploratiffima virtus.

Atque hæc de ejusmodi evacuationibus in genere dicta funto : fupereft eam, quæ de ipfo thorace directe inftituitur, nunc contemplari.

§. V. Dudum quidem acceffi ad fententiam *Hippocratis*, *Martiani*, *Boerhaavii*, Paracentefin thoracis five in Hydrope pectoris recentiore, five viribus utcumque conftantibus vetuftiore, palmarium auxilium effe ftatuentium : attamen abftinere nequeo, quin medicum hoc problema proponam; fcilicet : *Cur ita laudata Paracentefis, five ut primum, five faltem ut alterum in hoc morbo adhibendum auxilium, fpatio XXIII. Sæculorum theoretice commendetur, & vix unquam inftituta legatur?* In Empyemate hiftoriam operationis, fateor, habemus : in Hydrope autem pectoris, forte unus alterve me cafus fugit, fed vix illam inftitutam novi, nifi a *Lowero* & *Willifio*, idque modo femel. *Willif. op. omn. in fol. tom. 2. Phar. rat. part. 2. fect.* 1. *c.* 13. Quid igitur caufæ, quod nulla operatio univerfalius commendata, nulla rarius inftituta fuerit?

Si conjecturare liceat, fufpicor morbum inchoantem difficulter fæpe ægrorum in vita cognofci; morborumque aliorum, in quibus Paracentefis haud conveniat, fub larva fallere : dumque demum cognofcatur, adeo jam provectum effe, ut eandem haud ultra admittat.

§. VI. Morbum apud *Batavos* haud infrequentem fæpius in denatis, quam in vivis, cognoviffe me fateor. Quod cum Veteranis in arte quoque contingere cernerem, phænomena obfervata in illis, quorum me morbus fefellerat, animo volvi, cum phænomenis fimili morbo deinceps laborantium fedulo comparavi, atque ita tandem fæpius eundem citius præfentem detexi; haud tamen ita, ut nonnunquam illum non, nifi conjectura affequerer, imo vix rite, nifi defperatis fe-

re ægri rebus, cognoscerem. En igitur quæ attentior obſervatio me docuit!

1mo. In plena ſanitate omnium prima obſervatur Dyſpnœa levis, vix notabilis, ut & vix advertenda Tuſſicula; quæ a communi Dyſpnœa inchoante nullo ſigno diſtinguitur. Ejicitur nihil tuſſiendo: unde Medici totum incommodum pulmoni utcumque debiliori adſcribendum rati, roborantia cum effectu aliquoties bono, ſæpe autem nullo, exhibent. Neque tantillo debilior pulſus, aut vix perceptibilis ad motum defatigatio, anhelitusve, aliud ſuadent. Nulla enim ratio ſubeſt vomicas, aut abſceſſus, ſuſpicandi. Lento interim paſſu crescit malum, interea dum non raro fallaci curatione Medico imponat. Quippe ſicciore dudum tempeſtate, moderatiore forte motu, curatum, læto ægro, lætis adparet Medicis: quiescente vero ægro, aëreque diu valdeque humido, non curatus morbus, ſed auctus adparet. Tuſſis paulatim increſcens, glutinoſa pauca ac ſpumoſa producens, cum ſonticam cauſam non agnoscat, prognoſin vix videtur gravare; quia in debiliore paululum pulmone quid glutinis generatione facilius? Malleoli poſthac pedisque œdema leviſſimum conſpicitur, vagum quidem primo, poſtea autem conſtantius: ſed vix inde augmentum inquietudinis; quid enim in deſidioſa vita frequentius? Hic primus mali gradus, diuturno tempore ſic in pluribus obtinens.

2do. Interim fiunt ægri corpore haud modo, ſed & animo imbecilliores, ſpasmis flatibusque, ac levioribus anxietatibus magis obnoxii, ſomnum ægrius capientes, exiguosque, leves, vix inchoantes, Aſthmatis ſpasmodici patientes inſultus. Cum hucusque nulla cujuspiam visceris labes ſe manifeſtet, perſiſtit nobis imbecillioris pulmonis idea, ſolidaque roborandi, ac fluida inſpiſſandi indicatio. Si autem gluten paucum pulmone ejectum Medicis eo usque imponat, ut ad at-

tenuandum illud accingant ſeſe, morbi cauſa facile adaugetur.

3tio. Creſcunt mala pedetentim; obſervantur quidam noctu inquietiores, & conqueruntur quadam anxietate ſe a prima ſomni blanditie capta expergefieri; erectos ſe eſſe oportere, poſtea vero nonnihil tranquillitatis ſe denuo percipere. An id quia jacentibus, truſo altius diaphragmate præ mole viſcerum abdominis, thorax anguſtior? An vero iis modo fit, quibus venter effuſo intra illum liquore turgidior? Practica obſervata has rationes omnino non per omnia admittunt. Obſervavimus has nocturnas anxietates in his, quorum cadavera abdomen aquis inane exhiberent. Obſervavimus eaſdem cum *Piſone*, licet ægri illarum evitandarum cauſa in ſedili obdormiviſſent. Utique res explicatu difficilis! ſed quid tunc Medici concludunt indicari? Si gluten aliquid copioſius ad has anxietates exſpuatur, Aſthma glutinoſum; ſi vix tale quidquam, ſpasmodicum concludunt. Præſertimque dum dato paregorico, & antiſpasmodico ad noctem remedio; ſubitaneam mali furentis remiſſionem ægri ita lætantur, ut ſequenti, altero, tertiove die, noctes agant tranquillas; imo obliti ærumnarum, in publicum prodeant, ſuiſque cum amicis ſe exhilareſcant. Ergo antiſpasmodica vel expectorans medela continuatur; morbus in pejus ruit.

4to. Caducam ſuam machinam interea adhuc miſeri trahunt, donec ad tragicas illas noctes deventum ſit, quibus decies minantur ſuffocationem; unde tandem leipothymia, ſyncope, debilitate, vitam ducant ipſa morte miſerabiliorem; ſicque, quanquam mortem effugere ſæpius viſi, tandem ſubito ſuffocentur. Lepida catarrhi ſuffocantis adplicatio Medicorum ſervat ſartum tectumque honorem; & ſi forſean Medicus affuerit, qui morbi præſentiam ante fata ſubolfecerat; utique non niſi ut immedicabilem pronunciaret, cognoverat illum.

Hæc

Hæc nunc hiſtoria miſerandi morbi, ut plurimum ignoti, quo plures extincti in una, alterave, aut etiam in utraque thoracis camera collectas exhiberent aquas. Unde quidem crebrior nata poſtliminio ejusdem in vita ſuſpicio, ſed ſufficientium defectu ſignorum, quibus a morbis, quos ſimulabat, quosque ars ſæpe feliciter tollit, discriminaretur, nulla certitudo.

Quamobrem ad invenienda propria morbi ac pathognomica ſigna variorum adhibiti animi; eorundemque demum is adornatus catalogus eſt, cujus cum pag. 33. meminerim, hic non repetam, ſed ad ſingula ejus capita ordine reſpondebo.

Ac primo quidem reſpondeo, ſubitam a prima ſomni dulcedine excitationem, cum intentatis ſuffocationis minis, ſemel mihi octiduo ante fata quondam apparuiſſe, & pluries quidem maturius, at vero ſemper provecto ita morbo, ut omnem reſpueret curationem Pathognomicum proinde hoc ſignum non adpellabo.

Secundo dico Hydropem pectoris aliquoties adeſſe poſſe citra hoc ſignum. En evidens exemplum! Sexagenaria mulier hoc ipſo anno, ineunte Majo menſe, ad *Pasmannianum* Noſocomium transferebatur, aſcitem habens, tumidisque, atque hinc inde ulceroſis cruribus lympham ſtillans. Pectoris quidem nonnulla anxietas, ut in ascite conſuevit, aderat, ſed admodum exigua: quodque in provecto ascite mirandum, nulla tuſſis. Nulla præterea peculiaris de nocte anxietas, aut ſubitanea e ſomno excitatio. In dorſum quidem ſæpe incumbens viſa ægra, frequenter autem etiam utrumvis in latus. Vino herbis amaris medicato, cui Oxym. Squill. Spir. nitr. dulc. Tinct. Millep. &c. adjuncta, tota fere, idque iterata vice, detumuerat, ſed aqua furtim capta continuo ſe replens, relapſa eſt. Tandem manu ac brachio ſiniſtris quatriduo ante mortem tumentibus, 3. Julii expiravit.

In cadavere invenimus asciten ventris cyſticique prin-

principium: ſcilicet duas ovarii hydatidas, quarum una pellucentis lymphæ ultra libram gerebat. Deinde ovarium dextrum in cellulas cartilagineas degenerans, oſſiculum magnitudine pilulæ duorum granorum, membranula cohærens, ſuo in fundo continebat. Uterus vix diſtentus, glabro, carnoſoque corpore repletus, quod cum uteri fundo poſteriore ita unitum, ut non niſi unam eandemque cum eo formaret ſubſtantiam.

Sed quis mortalium credat hanc feminam utrumque pectoris cavum copioſiſſima lympha repletum geſſiſſe, ita ut arcto in ſpatio compreſſi pulmones, pluribus in locis aëre vix ultra permeabiles eſſent, magnisque ſui portionibus aquæ, in quam injecti, fundum peterent? Utque Pericardium, undique preſſum, cum cordis maſſa, nullo cavo relicto, in unum coiviſſet, albitudine modo ſua, duas circiter lineas craſſa, a cordis ſubſtantia diſtinguenda? Obiter hic noto Pericardii abſentiam, ab Anatomicis notatam, ſimilibus forte cauſis deberi.

Si ergo nocturna orthopnœa omnino deeſſe in graviſſimo pectoris Hydrope potuit; ſi in aliis paucis modo ante funera diebus adparuit; ſi denique ubi adeſt, provectiore adeo morbo pateſcit, ut quodvis fere reſpuat auxilium; non videtur illa pathognomici ſigni nomine venire debere.

2dum. Signum, œdema ſcilicet, aut paralyſis alterutrius, imo etiam utriusque brachii, manusve, priore vix multo certior eſt. In quo viro dixi nocturnam orthopnœam octiduo priusquam periret, me obſervasſe, in eodem quoque manus non niſi eodem die œdematoſa apparuit. In femina, cujus hiſtoria mox data fuit, quatriduo tantum ante obitum. In ea vero, cujus caſus Cap. 2. pag. 19. deſcriptus fuit, tale œdema adfuit nunquam. Caruit quoque eo clarus *Wepferus*. Ergo quod vel deeſt aliquando, vel morbo ad interitum

ritum proximo sæpe advertitur, pathognomicum non est.

3^{tium}. Signum, aquæ nimirum fluctuatio, pluribus defuit meorum. Adesse tamen sæpe illud, & ratio suadet, & Hippocrates tradidit, & nostra femina Cap. 2. pag. 19. experta est, & plures memorant Autores. *Hippocrates* sedentis hominis comprehendens humeros, valide ejus corpus concutiebat, ut audire fluctuationem posset. Autorum nonnulli corpore inclinato id explorant; imo ægro toto corpore superiore de lecti crepidine deorsum pendulo. Verum vel non adest multis, vel sero tantum adesse percipitur fluctuatio; & in casus *Hippocraticis* similes incidere oportet, ubi auditu percipi possit. Quod ergo sæpe deest, aut sero nimis advertitur, pathognomici morbi signi conditione caret.

4^{tum}. Signum, Hypochondriorum, vel alterutrius ejus tumor dicitur; sed cum tumere id variis de causis queat, non est pathognomicus hic tumor. Contingere quidem potest, ut aqua in diaphragma gravans, hepar v. g. premat, trudatque extrorsum; cui signo, si forte fluctuatio simul adest, morbi major certitudo nascitur: sed in multis & tumor deest & fluctuatio. Ergo.

5to. Pulsus debilis, tardus, sæpe intermittens, inter hujus morbi signa recensetur. Erat quidem talis *Wepferi*, testante *Brunnero*, pulsus; sed cum *Wepferus* etiam osseam habuerit Aortæ substantiam, pulsus ejus non potest Hydropis pectoris pathognomicus adpellari. Deinde talem pulsum multi Autores non recensuerunt. Tandem pluribus nostrorum defuit. Sane febricula, individua multis comes, pro tarditate celeritatem habet.

6to. Fœtentem animam meorum nemo habuit.

7mo. Urina pauca, crassa, Hydropicorum passim esse solet, sed non immutabili lege. Hydropica Cap. 2. pag.

pag. 28. eam reddit pulcre coloratam, limpidam, cum ſedimento fere acutorum bonorum. *Wepferus* ideo minus credebat ſe pectore hydropicum eſſe, quod *urina copioſa, naturalis matutinusque adeſſet ſudor*. Deſcripta *Wratislavienſibus* urina, qualis prope mortem ipſis obſervata fuit, etiam ſic in Noſocomio adparuit: ſed quod lethi inſtantis, id morbi ipſius ſignum dici non poteſt.

Quam parum ergo certi, ut morbum initio præſentem dicamus, ex recenſitis nanciscamur! Provoco etiam ad quotidianam Praxin. Quid incertius concilio Medicorum, quos ſimilis convocaverit morbus! Examine per horam producto ſæpe uni horum malum aſthmaticum audit; alteri dyſpnœæ ſimilius; tertio Hypochondriorum affectione natum; quarto peculiari nervorum irritabilitati, cum aliqua acritudine juncta, adſcribitur; cuiquam forte etiam Hydropis pectoris ſuſpicio nascitur. Ac profecto ſi talis revera eſſe deprehenderetur, idoneum Paracenteſeos tempus nunc forſitan eſſet. Sed ſuſpicio morbi duntaxat eſt, eaque cum aliorum morborum ita intricata, permiſtaque, ſignis, ut certi quid concludi nequeat; rarusque ſane ille Medicus foret, qui operationem hanc ex mera hac ſuſpicione in ſe ſuſcipere vellet, rariorque æger, qui incerta de cauſa permitteret thoracem ſibi terebrari. Unde ad maxime veroſimile concilium concludit, donec ſigna evidentiora elucescant; utinam modo, iis elucescentibus, conclamatum non eſſet!

Nunquam e mente excidet caſus viri, quinquagenario majoris, qui ſpatio quinquennii ſæpius meam imploraverat opem. Cardialgiis ab immemorabili pene tempore obnoxius, nullum demum ſolamen habuit, niſi vel ab opio audacius dato, vel, quando digeſtionis tempore doloribus ferendis ultra non erat, compreſſo valide epigaſtrio. Ita ut aliquoties invenerim eum in terram pronum, ſubſtratis ſoli ventri pulvina-

vina-

vinaribus. Sponte enim noverat vehementiores ſopire dolores, nervis abdominis prope ventriculum & pancreas compreſſis. Semianno ante mortem veſpere tempus ſuaviter cum amicis fallens, crudeli cardialgia afficitur, brevique poſtea anhelitu, demum aphonia; anhelans autem ac vocis expers, cardialgia liberabatur. Vena ſecta, immiſſo enemate, veſicante inter ſcapulas adhibito, inſultus ille mirus tridui tempore integre ceſſavit; ſed quæ eo triduo plane ſiluerit cardialgia, mox rediit. Quindecim diebus elapſis idem paroxysmus rediit, ut inſtar aſthmatici reſpiraret æger; at miſtura Neurotica ſumta brevi convalesceret. Octiduo poſt repetens priore ſævior inſultus, eidem remedio actutum ceſſit.

An hic, amabo vos! pectoris hydropem ſomniare, qui in conſilium vocati, Medici potuere? Quid aſthmatico inſultui ſimilius? Potiſſimum ſi conſideremus 1mo. quandam affuiſſe materiem, quæ in ſingulo Paroxysmo ſedem conſuetam reliquiſſe doloris, & ad thoracem videretur transmigraſſe. 2do. Idem ita creditum Aſthma conſuetis diſcutientibus & antiſpasmodicis auſcultaſſe. 3^tio^. Sed auscultaſſe nunquam, niſi prius dolor antiquam ſedem occuparet. 4to. Per integros quinque deinceps menſes pectus nihil ſimile paſſum eſſe. Interea tamen toroſus eo usque homo, ac perfecte quadratus, indies collabascere animadvertebatur.

Octiduo tandem ante fata plura ſubito ſigna manifeſtabantur, quibus Hydrops pectoris ſubdole dudum latuiſſe, jamque adeo provectus eſſe videretur, ut immedicabilis eſſet. Improviſa ſcilicet e ſomno excitatio, orthopnœa, oculorum vultusque livor, ac ſimul manuum inflatio ambarum: conſueti vero in Epigaſtrio dolores hac vice minime ceſſarunt. Pridie autem mortis omnibus ſymptomatibus tam in ventre, quam in pectore, liberatus, pulſum bonum, vultum mire

re-

recreatum, ac veluti vegetum, præ ſe tulit, ſuaque repetere negotia jam meditabatur. Nocte autem inſequente in lecto invenitur cum matula in manu veluti vomiturus, ſedens, ſed jam mortuus; atro, eoque plurimo cruore, ſub utraque albuginea, ſuffuſus.

In cadavere præter ingentem totius pancreatis ſcirrhum, præter lienis craſſam cartilagineam ſuperficiem, invenimus diaphragma utroque in latere abdominis, ſacci inſtar, prominens; & lympham enormi copia explentem ſiniſtrum thoracis cavum; eodemque modo, ſed paulo parcius, dextrum; coſtarum denique cartilagines plane oſſeas factas.

Priorum anamneſis, morbi finis, inſpectio cadaveris, videntur demonſtraſſe colluviem in pectore aquarum diu adfuiſſe; quæ cum larvata, complurium Medicorum aciem fugerit, ſimul evicit, quam in proclivi ſit hic falli. Præter orthopnœam nocturnam, œdematoſaſque manus, etiam convexum verſus ventrem diaphragma a gravante lympha inveniebatur: ſed craſſitudo ventris notabilem non exhibuit in vita differentiam. Ita ut hoc ſignum pag. 45 ex Autoribus recenſitum in graciliore ventre evidentius, quam in craſſo, adverti poſſit, debeatque.

His omnibus ita penſitatis, veram capimus, arbitror, cauſam, cur centeni Scriptores practici Paracenteſin vel in morbi principio, vel ſaltem poſt irritum remediorum uſum adeo laudantes, eam tamen nunquam inſtituerint: morbus quippe in principio non manifeſtus, eam non ſuaſit; cognitus poſtmodum, eam ultra non admiſit. Qui vero illam inſtituerunt, ut *Hippocrates*, *Lowerus*, *Williſius*, & forte pauci alii, hi cenſendi ſunt in ejuſmodi ægros incidiſſe, in quibus ſigna morbi oportuno tempore manifeſta erant.

Unde ea proficiſcitur concluſio, ut 1mo. ſubdolus hic morbus raro, dum curabilis eſt, cognoſcatur; cognoſci incipiat, dum ultra vix admittat medelam.

2do. Ut si cognoscatur mature, nihil sit Paracentesi potentius. 3tio. Ut in posterum, dum ambiguus inchoantis mali se exhibet casus, diureticis, purgantibus, sudatoriis, diaphoreticis remediis minime parcamus; cum ex effectibus brevi patescat subsitne, quem suspicemur, an alius morbus?



CAPUT IV.

De Epilepsia & Convulsionibus.

§. I. *Impossibilis alias Epilepsiæ cura non raro obtinetur sedula causarum procatarcticarum expiscatione, quanvis proegumenæ haud auferantur. Gravidæ Epilepticæ id demonstrans exemplum.* §. II. *Multiplices viæ, casu detectæ, enarrantur, quibus aut sopitus morbus, aut sublatus fuerit. Hunc in scopum simplicia quædam laudantur.* §. III. *Exemplum mirabile curatæ in adolescente Epilepsiæ. Mors ejusdem alia de causa orta; & inspectio cadaveris.* §. IV. *Epilepsiam vafri homines varias ob rationes plurimum simulant. Bina, quæ id ostendant, exempla enarrantur.* §. V. *Variæ leges dolos eorum malos expiscandi, & demonstrandi.* §. VI. *De Dæmoniacis fictis, eosque palam prostituendi methodo. Magna prudentia Medicis opus esse ostenditur.*

§. I. Epilepsia morbus est omnem artis opem haud raro eludens, sæpius tamen vel curandus integre, vel ita saltem moderandus, ut, causa procatarctica ablata, proegumena veluti sopita maneat, atque ita certo quodam sensu morbus plane abactus esse videatur. Unde plurimum juvat, quæ symptomata aliquandiu, aut mox, ante insultum præsentiat æger, apprime nosse; nota autem tollere, aut saltem suffocare posse. Experimentis enim constitit horum felici ac prompto

prompto moderamine, haud raro totum averruncari Paroxysmum. En ex pluribus unum! Inexpugnabilis multis ab annis Epilepsia tandem & ante paroxysmum nauseas, & in paroxysmo vomitus, exhibet violentos. Illustrissimus Baro *Van Swieten*, egoque, ad Emeticum ante futurum paroxysmum, deinde, ne Emetici turbæ nocerent, ad Paregoricum exhibendum, facile devenissemus, ni graviditas obstitisset. Considerantes tamen postea & prægnantem, & fœtum, paroxysmis vehementissimis gravius lædi, quam Emetici actione, Emeticum dedimus, Emeticum repetivimus: idque eo cum successu, ut morbus integro decennio siluerit. Præsentiebat quidem illa aliquoties quædam veluti futuri insultus inchoamenta, sed & hæc usu sequentis remedii penitus compescuit. ℞. Spir. sal. ammon. Tinct. Cast. Suc. Asæ fœt. a dr. ʒ. ter, quater, die 60. gtt. cum vino. Exacto vero decennio, summis animi mœroribus confectam repetens Epilepsia occidit.

§. II. Dum vero aut nihil horum ab ægro præsentitur; aut etiam præsensum auferri nequit; aut denique ablatum, effectum causæ latentis non sopit: sæpe immedicabilis morbus haberi solet. Attamen ne tunc quidem absolute conclamatum pronunciare oportet. Fuere quibus excitatus ille, & nutritus, opipara ac desidiosa vita, subita fortunarum jactura per omnem vitam, haud contemnenda plane compensatione, siluerit. Alii, quibus casus ab alto in cranium, vulneraque ejusdem, aut contusiones, morbi aut moderamen, aut integram effecerint absentiam. Etiam mutatione domicilii, diuturniore peregrinatione, vitæ genere prorsum permutato, quidam leguntur se etiam ab ipsa gentilitia labe præstitisse immunes. Ars hæc, similiaque, contemplata, ac imitata, stupendas nonnunqnam curas perfecit. Sed & simplicia usu detexit, quæ summæ ad hunc morbum refrænandum efficaciæ sint.

Hæc inter *Pœonia*, *Viscus Quercinus*, & *Radix Phy*, five *Valerianæ*, *foliis omnibus pinnatis* dictæ Botanicis. Vidimus ſane rebellem dudum morbum aut hisce mitigatum, ant ſilentem penitus. Experimenta noſtra dudum facta confirmavit nobis doctiſſimus Vir *J. Scopoli*, Phyſicus *Idrienſis*, *Flora* ſua *Carniolica* clarus, qui binis dragmis pulveris Radicis *Valerianæ* quotidie datis, deinde ejusdem decoctæ libra poſt ſingulam pulveris dragmam exhibita, Epilepſiam triennem, ex terrore, (peſſima ſane origine) natam, & quovis fere die adorientem, jam per decem ſeptimanas, dum hæc ad me ſcriberet, ſuppreſſerat.

§. III. Sed præterea dum polymorphus hic morbus nos per hæc omnia tentantes, prorſum eludit, nonnunquam nobis, animo ad cuncta attentis, ſui amotionem veluti furtim indicavit. En notabile ejus, quod habuimus, exemplum!

Sexennis puer, ſaniſſimus, inſiliente in ſe cane moloſſo ita terretur, ut integro triduo convellatur, horrendosque poſtmodum Epilepſiæ inſultus fere quotidie patiatur. Morbus ad omnia rebellis, ac per ſexennii ſpatium perdurans, ignoto Parentibus remedio paululum mitescebat; ſed novo irritatus pavore, nec ultra ignoto remedio moriger, puerum vario modo, quotidie, eodemque die multoties, adoritur. Tandem inter pauperes, qui mane Noſocomium conſilii cauſa petunt, mihi ſiſtitur.

Radicem *Phy* trium ſeptimanarum ſpatio ipſi dedi, ſed ab eadem deſiſtere increscens vis morbi me compulit. Quo autem ſecurior medicina eſſet, illum in Noſocomio locavi. Sedulo examine conſtitit vigeſies & ultra, die, inchoari paroxysmos, ſed ſemel tantum, bisve, compleri eosdem; idque hoc modo ſingulis diebus ac noctibus. Virus *Caſtorei* copioſioris me explorantem, itidem effectus eluſit. Quemadmodum etiam aliorum fœtidorum, & acrem ſpiritum rectorem

torem habentium, uſum. Morbus varietate terribilis nunquam graviores ſuos inſultus modo perficiebat eodem. Alio enim tempore totum corpus, medium autem alio, convellebatur, altera ſui parte obrigescens. Nunc Opiſtotonos; Emproſtotonos utcumque alio tempore fuit. Jamque una vice vehemens calcitratus, alia vice manuum in proprium pectus, caputve, tanta agitatio, jactatio, vibratio, ut, ni cautum fuiſſet, ſibi nocuiſſet vehementer. Sudor perquam fœtidus inſultum comitabatur, copioſus ita, ut induſium, lectusque, plurimum maderent; tenax itidem adeo, ut corpori, ceu quopiam glutine, adhæreret. Mugitus, ululatus, rugitus, gemitus, vultusque omnem in modum horridus, & urinæ profluvium, Paroxysmum frequenter concomitabantur.

Interim morbo quotidie in pejus verſo, nascuntur ſigna vehementis humorum rarefactionis, quam ipſa natura haud levi narium hæmorrhagia teſtabatur. Sed ſæpius me Mater monuerat, nunquam ipſi graviores fuiſſe, frequentioresque paroxysmos, quam qui hæmorrhagiis ejusmodi ſucceſſiſſent. Re nihilominus crescente, admodumque urgente, ſanguinem pede bis detraximus, diluimus, moderavimus, ſed morbum hinc vehementer augeri doluimus.

At vero dies diem docet. Animum quippe quamcumque in partem vertentes, conſtanter demum obſervavimus puero jacenti, frequentique ſomno obrepto, morbum frequentiorem eſſe, quam aut ſedenti, aut vigili. Hanc ob cauſam majore diei parte illum in ſedili locavimus, vigilemque variis objectis mentem grate occupantibus ſervare anniſi ſumus. Senſim hinc inſultus rariores.

Verum ſoporoſus erat. Et tandem ſomno quidem capto paroxysmum accedere, nunquam autem vigili, advertimus. Ergone cauſa tetri mali latens aptiores in ſomno nervos, ut agitaret, invenit, quam vigiliarum

tempore? Utique experientia convincebamur, quo Adolescentem diutius vigilem servabamus, eo rariores contingere paroxysmos. Sic liberos quidem dies integros nanciscebamur; nocturnos vero insultus, cum tamen dormiendum erat, averruncare non poteramus.

Aliud igitur consilium arripuimus. Vigili insultus ultra non fiunt: fiunt autem, dum stertorosus eum somnus capit. Ergo causa latens invenit nervos somni stertorosi, quam vigiliarum tempore, ad Convulsiones, ad Tetanos, ad Spasmos, aptiores. Ipseque ille stertor somnum minime naturalem esse demonstrat. Quid igitur si opio nervos insensiles redderemus, ne causa illa, ignota nobis, irritare eosdem posset? Sed contra: Nunquid opium in dispositione adeo comatosa somnum non posset æternum facere? aut per omnem vitam stupiditatem? Sed periculo saltem vacabit minima dosis. Igitur tentavimus. Jamque minima dosis in corpore, opio neutiquam assueto, nec soporem augebat, & tamen boni præstabat quidquam. Dosin ideo prudenter auximus; omnem omnino Paroxysmum averruncavimus; pro sopore somnum naturalem produximus; puerum brevi agilem, alacrem, sanum, salutavimus; Matri reddidimus.

Usus Adolescens integra per tres menses valetudine, ad Nosocomium rediit; tumorem sponte in inguine natum mihi exhibiturus. Herniosusne esset, an alius generis tumor, ambiguum fuit. Ventre primum liberato, emolliens Cataplasma appositum est. Sed paucis postea diebus nuntiavit mater Dysenteria, quam mihi non indicaverat, sed commiserat Balneatori, filium periisse.

Cadaveris examinandi copia fuit. Patuit tumorem in inguine ante aliquot dies exhibitum, ingentem fuisse abscessum. Nodus durus nervo diaphragmatico in medio suo itinere arcte circumcretus inveniebatur; aliusque similis illi ejus loco, ubi in diaphragma abiturus erat. Thalami Opticorum emarcidi. Nun-

Nunquid vitia enarrata nervorum, medullæque, diu post Epilepsiam nata sunt? An vero dudum præsentia, causam proegumenam posuerunt, cui terror accedens, causam Epilepsiæ proximam cum illis formaverit? Incertum! Saltem aut Idiopathica Epilepsia a terrore genita, excitatave, aut Idiopathica a terrore cum male affecta medulla cerebri orta, aut demum invincibilis Deuteropathica, ex male affecto nervo diaphragmatico & terrore nata, arte medica si non curabilis, sopiri saltem ita, ac si penitus abesset, se posse ostendit.

§. IV. Sed tœdiosa causa ingratam observationem, Tyronum in gratiam, adjungere jubet. Quippe nulla re turpius decipimur, quam Epilepsia, aut Convulsione, fictis. Vix morbus datur, quem & frequentius, & artificiosius simulare Mendici norint, quo transeuntium animos in commiserationem commoveant. Pueri ac puellæ hanc vafram fingendi artem a se mutuo discunt, ne vapulent; vel ut mollius tractentur; vel ut nihil cogantur addiscere: quemadmodum vident cum pueris, quos in paroxysmis forte viderint, a parentibus, tutoribusque agi. Maturam Virginem Procorum penuria torquet, angitque. Forte casu audit a garrientibus inter sese matronis Epilepsiam matrimonio nonnunquam curari. Ergo eam artificiose fingere discit, quo cogat Parentes se viro jungere. Monachus, quo a Choro, a jejuniis, aliaque monasticæ vitæ asperitate se vindicet, se fingit convulsum. Quin & sine peculiari intentione ipse malus animus eo nonnullos seducit. Tandem etiam in scenam diabolus adducitur, quo obsessos se fingunt, intentione sontica varia, etiam, quis credat! superstitionis roborandæ causa. En aliquot, quæ habuimus, exempla!

Adducebatur mihi puella gravi auditu laborans. Quo revellentibus, & factis in aurem injectionibus, restituto, Convulsiones suboriebantur, quas hoc or-

dine contingere Mater narrabat. Incipiebat tremere puella, angi, anhelare, clamare, brachia agitare, totumque corpus, humi cadere, pollices fortiter intra pugnos firmare, vociferari, cantare, ore tandem producere spumam. Principio bis, ter, die, id contigisse; jam autem quavis ferme hora.

Commodo meo morbum examinaturus, puellam jussi in Nosocomio servari. Vidi illam, eadem die, in lecto decumbentem, convulsam, mediisque in Convulsionibus pollices adeo fortiter intra pugnos firmare, ut maxima vi vix solvere valerem. Oculos horrende agitabat. Attamen dolum subesse suspicabar 1mo. quod oculi durante Paroxysmo non connivendo, sed sano prorsum modo, aperirentur. 2do. Quod pulsus fere naturalis esset. 3^{tio}. Quod cortinis lecti clausis pupilla dilataretur, vicissimque apertis iisdem contraheretur. 4to. Quod pupillæ admota candela vividissime se contraherent, & puella quasi nocumentum inde percipiens, caput rotaret. Igitur e lecto statim exemi: minitantem ipsam lapsum Custos ægrorum minis, si caderet, intentatis, erectam servavit, & baculo munitus, eoque veluti vibrans, Convulsionum progressum stitit. Convicta demum puella, fatebatur & surditatem olim, & nunc Epilepsiam, finxisse sese, ne cogeretur munus ancillare obire, cui eam Mater destinaverat.

Hanc in fingendi fallendique artificio crassiorem, sequebatur astutior Adolescens, quem vaframento suo pluribus me lusisse diebus fateor. Mirifice convellebatur toto abdomine, tumque vehementer singultiebat. Ortum porro id asseverabat Mater, quod Emeticum ipsi datum fuisset. Adjungebatque Paroxysmum non raro etiam invadere dormientem. Detentus aliquot diebus in Nosocomio, enemate, epithemate, neuroticis ac paregoricis, sanitati, ut videbatur, restitutus, Parentibus redditur. Vix vero tantisper pa-

ternas incoluerat ædes, quin repeteret Paroxysmos, & a Matre in Nosocomium reduceretur. Fucum suspicatus, privato eum cubiculo inclusi, ubi se solum credens, nobis eum per rimam contemplantibus, tranquille sedebat, nobis intrantibus in Convulsiones Singultusque prorumpebat, nobis egressis iterum sedatus. Imo idem in Paroxysmo contingebat, dum adstantes aliorsum cerneret occupatos; nam fictis tandem motibus defatigabatur. Patri arcessito veritatem fateri coactus, ideo se simulasse hæc confessus est, ut a Magistro, apud quem carpentariam artem discere cogebatur, dimitteretur, ædibusque reciperetur paternis. Igitur vel Mater cum Filio collusit, dum etiam dormientem malo invadi affirmaret, vel ipse novit se dormientem vaferrime fingere.

§. V. Versati in hisce Practici ea passim experiri solent, quæ jam enarravi, quo doli latentis fiant certiores: ac præter hæc omnia, bonis unguibus norunt prehensam cutim rudissime vellicare; imo ignem manui, aliisve corporis partibus admovere, & si ne id quidem juvat, ignem immediate adplicare solent. Exempla docent fictas Epilepsias ejusmodi tentaminibus se prodidisse.

Attamen & morbum fictum esse, & ne igne quidem posse detegi, non caret exemplo. Scelestissima femina 20. annorum, quæ animi gratia vetulam truculenta manu occiderat, fassa in carcere est horridam Epilepsiam, qua longo tempore laborasse credita fuerat, se impio animo finxisse; id quod etiam experimento confirmavit. Morbum enim simulare jussa, ita simulavit, ut quivis fere crederent fictum morbum in verum demum abivisse; jussaque medio in paroxysmo surgere, & tranquille ambulare, surrexit, ambulavit. Hanc nos, Illustrissimus Præses, Spectabilis Decanus, & Clarissimi Professores, supremo jussu, nomine Inclytæ Facultatis Medicæ examinantes, eadem audacter

proferentem, & repetentem audivimus. Et quod res est, ostendit nobis tres fœdas in manu cicatrices, quas ipsi igne Chirurgus, urendo veritatem exploraturus, olim inusserat, quasque inuri sibi adeo tranquille pertulerat, ut ultra nemo de certitudine Epilepsiæ dubium moveret. Quis crederet remedium, adeo ceterum infallibile, quandoque turpiter fallere posse? Melius profecto in hac scelestissima muliere Parisinum successisset experimentum. Cum enim quisquam ad Epilepsiam in platea adstantium fucum subolfecisset, jussit convulso paleam substerni, ne sibi læderet: quo facto, utrumque paleæ extremum flamma incendit, effecitque, ut vaferrimus homo fulmine citius fugam capesseret.

§. VI. Sed & aliud Convulsionum genus hic memorandum est, quarum autor, horresco referens, Sathanas dicitur. Utroque in sexu id expertus sum. Plures feminas, quas a diabolo obsessas vulgus non modo, sed & Sacerdotes jurabant, Augustissima Imperatrix ad Nosocomium practicum deferri jusserat, examinandas. Examinavi porro easdem eo munitus principio, quod homines a dæmonibus revera obsideri, ut ajunt, queant; quodque id invictis argumentis tum ex Novo Testamento, tum ex genuina Historia Ecclesiastica, & SS. Patrum doctrina, petitis, indubitatissimum sit; ut meridiana luce evidentius Illustrissimus Præses, cap. de Epilepsia, demonstravit: sed simul eo principio, quod sæculis posterioribus, præsertimque corruptissimo nostro, millenæ fingantur fallaciæ, quas utinam Simpliciores Monachorum, Sacerdotumque, haud ita foverent! Horum porro principiorum ope fraudem facile detexi, detectam revelavi. Ubi igitur res mihi constabat, sic egi: Custodes ægrorum, singulos bona aquæ amphora munitos in acie collocabam, ut mox, dum ad auditum venerabile DEI nomen, nominave Sanctorum, rerumque sacrarum,

fictus

fictus diabolus corpora pro more agitaret, integram amphoram unico ictu in faciem, pectusque profunderent; idque ita, ut si ad primam profusam insultus non cessaret, suam ordine omnes evacuarent. Prima utique vice amplo satis aquæ dolio indigebam. sed cum intelligerent omnes deinceps Convulsiones hanc sortem habituras esse, non habuerunt postmodum ullas, sed integre sanæ apparuerunt.

Nemo in nos, confido, quod rude adeo & incomtum experimentum tentaverimus, tanquam in profanos, indignabitur. Eramus aliis argumentis plane convicti de fraude nefanda; sed ejus fabricatores publice convincendi erant. Ad exhibitam v. g. sanctæ Crucis imaginem, aut ad alias res sacras, quas corpori adplicatas illico diabolum revocare ferebant, videramus quidem statim id, quod prædixerant fieri: sed quando easdem res sacras involveramus, ut, quid essent, non adpareret; involutasque eisdem applicueramus, Convulsio nulla excitabatur. Si quoque rude lignum aqua sacra aspersum esse dicebamus, eoque corpora tangebamus, furebat diabolus; itidemque si ipsa corpora aqua lustrali aspergebamus; sed æque valide etiam, dum aqua mera utentes, tantum fingeremus eam aquam sacram esse. Igitur fraudis certi, reliquum experimentum duntaxat instituimus, ut dolus omnibus patesceret.

Igitur sanctissimæ nostræ Religionis veneratione & amore ducti, debuimus ea confundere, quæ illam adeo dehonestent: & ex corde vovemus, ut ii, quorum est Catholicam Religionem tueri, propagare, & ornare, a depravata aut malitiosa hominum idea fovenda, statuminandaque, abstinerent; & sive per se, sive per alios, eadem, quæ nos, tentamina instituerent. Utique haud tam sæpe res ad Religionem spectantes, ludibrio & irrisioni exponerentur, nec ipsi illi, fraude postmodum detecta, ignominia confunderentur.

Pro-

Profecto si ad doctos hominum dolos, eruditamque vafritiam, Medici se non aliquantulum cautos; atque subargutulos præstent, & artem suam, & se ipsos, ludibrio continuo exponunt. Casus quotidiani sunt. Haud ita pridem femina aderat, quam ipse Confessarius, tanta Religione pollere, tanto eminere pietatis exercitio, asserebat, ut si Sancti in hac tellure haberentur, hæc saltem Sancta habenda foret. Anxietatibus, & plane singularibus faciei convulsionibus viciniam totam in commiserationem ducebat. Hinc illam in Nosocomio suscepi, & bona fide aliquantisper deceptus, tandem attentior in rem detexi pulsum & ante insultum, & sub insultu, postque eundem, nunquam non optimum esse; dum de prostrato prorsum appetitu conquereretur, eam integram suam portionem avide abligurire; & durante paroxysmo me manibus meis ita vultum ejus componere posse, ut Convulsiones plane cessarent. Convictus doli ego, turpitudinis eam suæ, suæ hypocriseos, convincere annitebar, sed incassum. Alio ergo modo convincenda erat. Cura per aquam, ut in dæmoniacis fictis instituta, effecit, ut Convulsiones redierint nunquam, licet adhuc per 12. dies in Nosocomio detineretur. Sed ne tunc quidem finis fingendi. Quippe a facie malum in pectus delapsum esse; continuumque creare anhelitum conquerebatur. Fraudem ipsa prodidit dum liberrima, & longe producta respiratione fruebatur, quando per horæ quadrantem mentem ejus grato, quem cum illa miscebam, sermone, a decipiendi studio abduxeram.

De Calculo, Uva Ursi, Lithontripticis Dictis, &c.

§. I. *Historia hominis a diuturnis calculi doloribus Uva ursina liberati; eaque occasione describitur remedium, quo sibi olim multum profuerat.* §. II. *Alius Calculosus, qui quodam remedio multum levatus, deinceps vero minime, ab Uva Ursi juvabatur; viribus autem penitus extenuatis moriebatur. Miranda ejus Anatome. Non curat Uva ursina, quos Lithotomia non curasset. Recensio multorum, quæ vocant, Lithontripticorum; quæ probantur Uvæ Ursi viribus minora.* §. III. *Uva tamen quosdam non nisi tarde admodum juvat, imo nonnunquam Recidivam post se relinquit, si non continuatur: his sectio suadenda, ne degeneratio partium immedicabilis fiat.* §. IV. *Congenitus verosimiliter calculus felici sectione curatus. Anceps hæc curatio, cum omnibus eam suadentibus, dissuadentibusque, argumentis enarratur, acutissimusque illi mox subsequus morbus: tum etiam urinæ phænomenon, Uvæ Ursi necessitatem, etiam post sectionem indicans. Subjunguntur, intermiscenturque observata circa Lithotomiam, & incommoda, quæ illa nonnunquam post se relinquit.* §. V. *Urinam Calculosus reddit, in qua, dum in vitro quiescit, lapilli generantur. Homini huic Uva Ursi mirifice confert. Puer calculosus, quo toto tempore* Stepfenianum *remedium sumit, calculosa ramenta cum urina copiosissima emingit; sectione nihilominus liberandus. Non fuere soluti Calculi ramenta, sed corpora genita a materia terrea copiosa, in vesica præsente. Forsan generalis Calculosorum ejusmodi Dispositio est. In contrarium autem affertur Historia Rev* Kirkpatrik, *&* Quadraginta Calculosorum, *in Actis* Acad. Reg. Scient. Parif. *ex quibus* Cl. Morandus *concludit id proprie effectum esse remedii*

An-

Anglicani, *viresque ejusdem Lithontripticas hinc demonstrari. Argumenta contra hanc sententiam.* §. VI. *Novum experimentum ostendens id multiplici observatione constare, quod hæc ipsa Diathesis Calculosis communis sit, quodque sincere loquendo* Stepfenianum *Medicamentum, si forsan sapone, ac calce, quibusdam levamini est, plurimis tamen ita hanc in Calculosis dispositionem augeat, ut id jam fiat in vesica, quod alias in matula. Conjecturæ quædam circa Lithiasin, & circa originem copiosæ adeo calcariæ materiæ.* §. VII. *Binæ nostræ methodi in calculo videntur cæteris hucusque cognitis anteponendæ. Vires horum omnium vere Lithontripticas nulla experimenta adstruunt. Unde cura integra non est, sed egregie adeo pallians, ut homo æque liber sit ab incommodis morbi, ac si calculum non haberet. Nec calculus extra corpus humanum in aqua calcis magnam partem solutus, aliud docet. Tandem problemata proponuntur circa causam hujus indolentiæ.*

§. I. Spatio elapsi Academici anni frequentiores quosdam olim morbos, observavimus rariores; Paralysin nempe, Calculos, ac systematis urinosi alias affectiones: haud tamen ita raros, quin novas observationes colligere potuerimus, quorum præcipua dabo, una cum nondum communicatis antiquioribus.

Vir mediæ ætatis a 14. annis dolores in mittenda urina percipiens, cujusdam consilio usus est quotidie, spatio novimestri, septem nucibus Avellanis, & novem Juniperi Baccis. Quo remedio, postquam urinam vini fœcibus similem trimestri tempore minxisset, vitam diu tolerabilem duxit. Tandem tamen dolores redierunt, & urina anni abhinc spatio glutine copioso scatet, validique adeo urgent tenesmi, ut Intestinum Rectum ad pugni molem extrudatur. Remissionis tempora observat nonnunquam. Et quæ utilia quondam remedia fuerant, ea usu nunc cassa expe-

peritur. Calculus, Cathetere inducto, manifestus adparuit.

Integris sex mensibus Uva Ursi, & opiato nocturno, usus, fere convaluit, ut leviora, quæ nonnunquam supersunt, incommoda non curet, remediumque, quod ceterum gratis habet, & facile sumit, prorsum negligat. De industria formulam remedii quo malum quondam compescuerat, addidi; ut plura in rerum natura existere intelligoremus, quæ hasce ærumnas mitigent. Aliud sequens historia dabit.

§. II. Vir 32. annorum a 4. ætatis anno urinæ difficultati obnoxius vixit, variosque excrevit calculos. Ad vitæ suæ annum 24. mulierculæ consilio, liquore uti cepit, qui odore ac sapore Therebinthinam referret, eoque integri septennii spatio optime se habuit. Pauper ipse, cum liquori solvendo ultra non esset, substituit Juniperi Baccas, immensaque devoravit quotidie copia. Tandem vero redeuntis doloris crudelitate iterum victus, antiquum liquorem repetivit; sed jam citra levamen. Doctissimus *Gleisner*, qui jam *Græcii*, *Styriæ* Metropolis, praxin magna cum prudentia & laude exercet, miseri hujus curam suscepturus mecum consuluit, datisque cum Uva ursina, & Opiato, traumaticis ob puris emincti copiam Decoctis, ingens solamen homini attulit, & a doloribus per tres septimanas immunem præstitit. Homo tamen labescentibus sensim viribus contabuit, periit.

In cadavere renes magni, sinister præprimis, saccos pure plenos referebant. Ureteres ita amplissimi, ut sinister Intestinum Colon amplitudine superaret. Vesica circum calculum contracta, ac plane ulcerosa. Calculus uncias quatuor, una dragma minus, pondere pendebat, fuscus uno latere, altero cinereus.

Confirmari dato exemplo cernimus, quod Tom. I. variis anatomicis observationibus posueram; eos nimirum Uva Ursi non curari, quos Lithotomia curare

non

non potuisset. Calculi quippe sectio degenerationem ureterum, ac vesicæ, renumque, non emendat, non aufert. Deinde ex enarratis patet solamina plura adhiberi posse, quibus longa annorum serie sopiantur hæ calamitates. Occasione liquoris Therebinthinam referentis memini olei dicti *Harlemensis*, apud *Batavos* famigeratissimi, quod Therebinthinam odore ac sapore quoque multum æmulatur. Equidem nocet multis, aucto forte stimulo, aliave ejus qualitate; sed plures tamen novi, qui ejus usu per annos sese præstent doloribus immunes. In Millepedibus cum Oleo Vitrioli Rostochii *Laurenbergius*, in *Dissert.* de *Lithontrip.* ad *Hoyerum*; in Olei Vitrioli rectificatissimi usu copiosissimo *Schulzius* (vid. *Disp. Chir. in Collect. Ill. Hall. tom.* 4.) efficax ad calculum remedium invenisse se autumarunt. *Uva Ursi* tamen reliquis palmam præripere videtur, quia & pluribus prodest, & constantes curas, calculo etiam manente, efficit.

§. III. Porro quanvis celer in multis ejus effectus sit, in aliis tamen tardus admodum observatur; id quod in bienni infante, ante triennium mihi exhibito, præprimis observavi. Etenim datum per 4. menses remedium vix juvabat quidquam; deinde inconstanter; jam vero ab anni elapso spatio constantissime: ita tamen, ut si semper bene valentem esse puerum Parentes velint, pulveris usum intermittere nunquam debeant. Asper calculus ipsi ante triennium deprehensus, similis etiam hoc anno, repetita per Catheterem exploratione, inventus est.

Hic sane puer non eum remedii habuit, quem alii, effectum. Alii enim post longum ejus usum nesciunt ultra se calculo laborare, quanvis a longa die remedio carentes; hic si diu intermittat, a redeunte dolore ad idem confugere cogitur. Quare si hoc anno id non emendetur, facile proponemus Parentibus Lithotomiam: cum ab una parte Uva Ursi, magnopere licet

ipsi proficua, clare tamen innuat aliquam, quanvis forte nondum valde notabilem, urinosi systematis degenerationem; prout observata Tom. 1. data docuerunt: ab altera parte metus est, ne a diuturniore medicamenti usu vel abhorrere puerulus, vel desistere Parentes, incipiant, quod remedio dudum non adhibito, malum sensim renasci videatur: quo in casu miserrimum in statum puer dilaberetur, neglectuque auxilii in Vesicæ, Ureterum, Renumve, immedicabilem incideret degenerationem. Ita simili in casu hoc anno fecimus.

§. IV. Quippe mense Februario anni 1759. Parentes ad me ducunt novennem filium suum, qui ex quo natus erat, perpetuo ipsis visus fuerat in emittenda urina dolere, ejulare, eamque nunquam naturaliter, sed perenni reddere stillicidio. Ærumnis hisce pauperes pedetentim assueti medelam non fecerant; jam vero cum sine commiseratione intolerabiles pueri dolores a 14. diebus adspicere ultra non possent, eum mihi obtulerunt. Immisso cathetere Calculum manifeste deteximus.

Bimestri spatio incredibile quantum Uva ursina profuerit! Renascente nihilominus posthac dolore, omnem curationis fiduciam deposuere Parentes, puerumque omni destitutum reliquere auxilio. Interea ita crevit crudele malum, ut nunc hunc, nunc illum, levandi causa, adierint. Integro demum anno, ex quo puer ultimo nobis oblatus fuerat, elapso, Pater illum hoc mense Majo iterum adduxit, enixe petens, ut eum sectione liberaremus. Calculi præsentiam exploraturi, catheterem non nisi cum labore, dolore, hæmorrhagia, inducere valuimus, nec movere inductum: ita ut calculum ea vice non perciperemus. Digito vero in anum immisso, eundem versus vesicæ collum deprehendere videbamur.

Hic optimus noster Chirurgus *Ferdinandus Leber*

egoque, rem citro, ultroque, versavimus. Repræsentabamus nobis 1mo. Casum ut fere congenitum, forsitan incurabilem fore, & notabiles nonnullas partium degenerationes jam adesse. 2do. Uvam Ursi initio prodesse visam, reditum calamitatis minime impedivisse, adeoque non juvante ea, nec Lithotomiam, ex factis antea observationibus, profuturam. 3tio. Vesicæ ad calculum contractionem, tum impedimento fore, ne operatio rite peragi posset, tum si adhuc perageretur, vulnus vesicæ densæ, cartilagineæ, imo scirrhosæ, non coaliturum. 4to. Hisce iisdem difficultatibus fortassis etiam alios permotos fuisse, ut operationem prudenter a sese declinarent; ac proinde eadem nobis non succedente, aut justam deprehendendi, aut saltem iniquam calumniandi causam, nos iisdem præbituros.

Sed ab altera parte considerabamus 1mo. Patrem, aliosque, qui nobis puerum commendabant, id ardenter desiderare. 2do. Vires ejus aptas ad subeundam sectionem. 3tio. Ex reditu doloris ad degenerationem partium paulo forte meticulosius concludi; cum Uva ursina haud sufficienter adhibita fuisset. 4to. Vesicæ validam circum calculum contractionem, indurationemque, tum operationi, tum vulneris consolidationi, impedimento quidem fore; attamen id nondum certo constare. Cavis namque in visceribus nunc summam observari contractionem, nunc iterum relaxationem; adeoque ad eorum contractionem semel, iterumque perceptam, velle eandem perpetuam credere, iniquum fore. Argumento esse experientissimi *La Motte* observationem, qui tertio jam die uterum contractissimum, una cum suo Collega, offendens, partumque lege naturæ impossibilem credens, demum parturientem DEI solius auxilio commendaturus, abiturusque, ultimo tandem explorare tentabat, jamque mirabundus contractionem ita relaxatam deprehen-

hendebat, ut breviorem, commodioremque partum vix unquam vidiſſet expertiſſimus Embryulcus. Sed etiam mutuæ noſtræ circa veſicam urinariam experientiæ, mutuam nobis memoriam refricabamus. Adeoque nec hoc operationem impedire oportere, ſi nova exploratione contractionis relaxationem deprehenderemus. 5to. Denique ſi ad ſectionem rationes ſufficienter probabiles adeſſent, quæ ſartam nobis tectamque conſcientiam redderent, famæ detrimentum omnium poſtremum eſſe oportere, ad quod ii attenderent, quibus proximi ſalus unice ante oculos verſaretur.

Sectionem igitur concludentes, inſtituimus eam die 26. Maji, præſentibus Magnifico Archiatro *A. Störck*. Cl. Viro *J. Gaſſer*, digniſſimo noſtro Anatomes Profeſſore, Viro expertiſſimo *L. Erndl*, Phyſico in Noſocomio Civico, Medico prudentiſſimo, optimo Chirurgo Cæſareo *Homburg*, dexterrimo ad S. Marcum Chirurgo *Reigberger*, Noſocomii Aſſiſtentibus, aliiſque.

Catheterem, Itinerarium in operatione dictum, non niſi magna cum difficultate Operator *D. Leber*, induxit, ſanguine denuo ex uretere profluente: eo vero intra veſicam admiſſo, urina mox jactu valido, & continuato, Catheteris apertura proſiliit, ipſeque Catheter commode in veſica movebatur. Intinerarii apice oblique ducto, ut fere 15. gradus notaſſet in quadrante circuli, ſi angulus rectus a centro Itinerarii & ad medium Perinæi, & ad latus, ductus fuiſſet, fiebat ſectio ſufficiens. Cujus longitudinem cernens Operator, eamque calculi magnitudine, per anum explorata, majorem intelligens, non uſus eſt inſtrumento famoſi Lithotomi *Le Dran*, quo in longitudinali ſectione adhuc alia fiat, quæ latus ſectionis externum in angulos rectos ſecet, ut calculo majus ſpatium pareтur: eo, inquam, inſtrumento ob vulneris amplitudi-

nem haud egens, illico Conductorem introduxit, & extracto Itinerario Forcipem. Verum cum simul calculum digito in vulnere prehenderet, Conductorem, Forcipemque extraxit, ac digitis calculum prehendit, eduxit. Vix quinque minutis tota operatio durabat. Ejulans eo usque puer, mox ad visum calculum præ gaudio exclamabat, veluti hoc momento omnium ærumnarum oblitus. Calculus ovalis, asper, sed mollior; ut si forfice captus fuisset, exteriore sui parte omnino abiisset in grumos, parvosque lapillos. Erat ponderis unc. 1. dr. 1. scrup. 1. Potuit Chirurgus facile perlustrare vesicam, alium calculum, grumosve, quærendi causa. Vulnus illico plumaceolo texit, & emplastro; repositoque in lectum puero, ventrem tepido oleo rosaceo totum inunxit, ac mappa lanea texit. Emulsionis leviter paregoricæ, & juris carnium, portio modica dabatur alternatim.

Fortunatissimam sectionem horrida symptomata, a nobis sane non prævisa, sequebantur. Post meridiem quippe febris magna, vespere ad octavam maxima, oriebatur; una cum pessimo Peripneumonicorum roncho, tensoque, & asseris instar duro, abdomine. Quare mox novem unciæ sanguinis brachio detractæ, & emolliens cataplasma ventri, oleo bene inuncto, admotum est. Ingravescente autem post mediam noctem febre, roncho, tumore, ac duritie ventris, repetita V. S. fuit. Summe pleuriticus utriusque missionis sanguis fuit. Exinde sensim decrevit febris, ac febricula modo per aliquot dies adfuit; urina per vulnus bene effluxit, pusque quarto die ad bona labia deprehensum est. Eluebatur porro vesica sæpius decocto hordei cum oleo lini, ne quid heterogenei in eadem maneret. Emulsiones paregoricæ diu continuabantur.

Sed de Urethra nunc cogitandum erat. Vulnerata quippe hæc toties per Catheterem, nec amplius stillicidio

cidio urinæ consueto aperta, sed collapsa, nunc facile coire, obturarique, poterat, omni urina per vulnus effluente. Cum enim a secto calculo nonnulli per omnem vitam urinas vulnere stillent, sive ob vulneris non coeuntis malignitatem, vel ob Urethræ coalitionem, metuimus molestissimum hoc turpissimumque incommodum a posteriore causa. Unde liquorem in Urethram quotidie injiciendum esse decrevimus. At vero læti advertebamus maturum urinæ per Urethram stillicidium, ideoque destitimus incepto. Tandem hortatu, multisque promissis, puerum deduximus ad consuetudinem urinam in vitrum reddendi: unde clauso penitus exacta septimana tertia vulnere, ac cicatrice obducto, urinam deinde semper debito tempore retinuit, & in vitrum aut matulam reddere consuevit.

Attamen necdum absoluta cura nostra. Glutinis, calculum vesicæ comitari soliti, & aliquoties puris, copia notabilis in fœtente urina quotidie adparuit. An id residuum ejus, quod calculi tempore in vesica præsens, injectionibus ablui, præ tenacitate, non potuerit? Et an vesica hinc inde exulcerata a calculo fuerit? Igitur mox Uvam ursinam dedimus, qua continuata urinæ fœtor paulatim emendabatur, & pauculum ultra illius materiei nunc prodit.

Quam pulcre hæc Lithotomia confirmat sententiam, quam supra, de varia amplitudine & contractione viscerum cavorum protulimus! Hinc raro desperandum. Prudentia tamen semper opus est, ne vesicam, quo tempore adeo contracta est, importune lædamus. Nunquid, si ter, quater, eandem contractam invenimus, ipsam irreparabiliter contractam esse concludemus? Forte sic est: sed si per vices contrahatur, laxeturque, fieri id potest, ut sæpius in contractionis tempora incidamus, & ut ea tamen haud perpetuo contracta maneat. Ita ut ne tunc quidem, sine ulteriore examine, animum despondeamus.

§. V. Est hac occasione de alio calculosorum phænomeno disserendum.

13. Julii hujus anni ad me venit Civis *Cremzensis*, vir 34. annorum, qui per 28. annorum spatium verus Lithiaseos Martyr, cum ardore nunquam non minxit rubram arenam, calculos autem nullos. Evacuavit subinde olim, & nunc sæpius ab octo retro annis, copiosissimam albam glutinosam materiem; quæ pauculo tempore sibi relicta, friabiles format, albidosque lapillos. Et hæc quidem in quiete. At si corpus itinere, aliove modo, movet, urinam fuscam, ac stranguriosam deponere solet. Lapillos hos, quorum copiam habeo, diceret quis cretæ albæ majora esse minoraque frusta, ad figuram demum vasis, in quo urina servatur, formata. Incredibile quantum miserrimus ille intra mensis spatium Uva Ursi mutetur, idque jam ab ejusdem initio: ut certe spem magnam faciat summi solaminis.

Juvat hic phænomenon referre, quod 20. abhinc annis observavi, una cum celeberrimo Viro W. *Ouwens*, *Franequeræ* Academiæ in Medicina Lumine, ac Celsissimæ Principis *Arausionensis* viduæ Archiatro. Calculosus puer *Hagæ Batavorum* utebatur famoso Anglorum remedio, *Joannæ Stepfens*, dicto; quod constat pulvere, decocto, & pilulis. Pulvis componitur ex putamine ovorum, & limacibus, domiportis dictis, omnibus vero calcinatis. Decoctum fit ex Sapone Hispanico, seu Veneto, ex calcinata herba dicta Ambrosia campestri, Floribus Chamomillæ, Fol. Fœniculi dulcis, Petroselini & Bardanæ. Pilulæ parantur ex Domiportis calcinatis, semine Pastinacæ sylvestris, seu Elaphobosci, & Lappæ majoris; tum ex Fructibus Fraxini, Rubi Idei, & Oxyacanthæ: horum omnium calcinatorum a. q. s. Cochleare pulveris cum unc. IV. Saponis Hispanici, & Mellis q. s. in pilulas redigitur.

Videbamus porro hunc puerum, magno cum Parentum gaudio, cum urina quotidie emingere fragmenta alba, lapidea, vel calcarea; ejus quidem formæ, ut adparerent veluti excorticantis se calculi ramenta esse. Quanvis autem longo tempore ejusmodi materiem copiose redderet, calculi tamen symptomata ideo non mitigabantur, neque imminutus deprehendebatur calculus. Ita quidem, ut tandem post collectam magnam ramentis hisce repletam pixidem, puer sectione liberari a magno calculo debuerit.

An ergo in corpore illius pueri idem a glutine, in vesica calculosorum contento, productum est, quod in cive *Cremzensi* ab eadem materia in vitro? aut in matula? Et quidem ita, ut indurescens, lapidescensve, hoc gluten, primo adhæserit circum calculum; deinde fragile nimis, per ramenta cum urina prodeuns, exfoliati in dies calculi specie deceperit? Utique si binos hosce casus inter sese conferamus, videremur ejus fere convicti esse, quod talis sit calculosæ urinæ dispositio, ut quandoque suo in glutine, sive dum intra vesicam est, sive extra eandem, petrificantem, ut ita dicam, hanc materiem gerat. *Cremzensis* enim nihil sumsit, quod ullam habeat cum *Sepfeniano* remedio affinitatem; ut exactissimo examine, iterato instituto, certus novi. Hanc autem sententiam confirmabit afferendum deinceps ex clarissimo *Adamo* exemplum.

Contrariam tamen conclusionem sequentia videbuntur suadere. Rev. *Jacobus Kirkpatrik*, in edito morbi sui diario narrat se, postquam 17. annorum spatio Nephritide calculosa, & vesicæ calculo, laborasset, Stepfenianis medicamentis ab Octobri mense 1738. usque ad Aprilem 1739. sedulo usum esse, & quod nunquam antea sibi contigerat, jam ab initio curæ se ejusmodi fragmenta cum urina excrevisse, idemque & durante tota cura, & post eandem, continuasse: ita ut majora minorave fragmenta numero 1036.

eminxerit, prætereaque quinque parvos lapillos.

Sed ſecundo idem *Kirkpatrik* ſæpenumero, in matula ſua advertit illud ipſum glutinoſum urinæ ſedimentum, in ſimilem, ſed ſæpe craſſiorem, magisque lapideam, abiviſſe ſubſtantiam. Egregius *Morandus* in *Act. Acad. Reg. Scient.* anni 1740. in ſua prima diſſertatione ſuper *Stepfenianis* medicamentis, obſervationes nobiscum communicans, quas circa 40. homines, iisdem uſos, juſſu Academiæ fecerat, adnotaveratque, aſſerit illos homines paſſim omnes ſolere, *Communement ils ont rendu* &c. ab ipſo remedii principio, cum urina gluten, albumque deponere ſedimentum; quod dum ſervaretur, atque ſiccesceret, in flavum pulverem abiret; huncque pulverem, dum igni imponeretur, animale quidquam redolere. Plures porro non niſi hanc ſolam materiem produxiſſe; alios autem etiam veluti *cryſtallizatas* laminas, talco perquam ſimiles; alios ſquammas lapideas, easdemque convexas; nonnullos dura fragmenta calculi; quosdam denique lapillulos. Additque eos, qui ante remedii uſum rubram mingere arenam conſuescerent, eandem ſub remedio ultra non reddere.

His ita utrinque poſitis, qui ab una parte conſiderat in glutine calculoſorum, qui *Stepfeniana* medela nunquam uſi fuerint, hanc calcariæ aut lapideæ materiæ geneſin haud ita deſcriptam eſſe; & e contrario eandem a glutine urinæ eorum, quibus hæc medela exhibita fuerit, fere inſeparabilem eſſe; in eam facile ſententiam abire forſan poteſt, quod ab eodem remedio miſeranda ad Lithiaſin diatheſis paſſim generetur, illudque ideo augere potius calculum, quam ſolvere, contereréque debeat. Equidem contrarium laudatus mox *Morandus* in altera ſua diſſertatione *Act. Academ. Reg. Scient. Pariſ. anni* 1741. evincere conatur; dum calculum hominis, qui poſt ejusdem remedii uſum, crudelitate morbi aucta, periiſſet; dum duos alios

cal-

calculos binorum hominum, quos remedio frustra usos sectione servare oportuisset; plenos invenerit inæqualitatibus, crenis, foraminibus. Fateor, cum claro hoc Scriptore in eandem olim sententiam abiveram, præ argumenti probabilitate: sed ab eadem discedere observationes postmodum captæ jubent, cogunt.

Observo enim 1mo. & civem *Cremzensem* lapideam hanc, aut calcaream materiem abundanter reddidisse, licet nec hoc famoso olim remedio, nec illi consimili, unquam usus sit; & *Haganum* puerum, post tantam emissæ hujus materiæ copiam, nullam calculi, sectione educti, solutionem exhibuisse. Considero 2do. præclaram remedii famam velocius forte evanidam, quam natam fuisse; ipsosque *Britannos*, ab octo & pluribus retro annis, in aqua Calcis cum Sapone, vix ulla *Stepfeniani* remedii facta mentione, omnem fiduciam collocare. Sed dico 3^{tio}. ejusmodi calculos inæquales, ac veluti corrosos, foraminosos, hinc inde pumicosos, frequenter reperiri in his, qui illud remedium non adhibuerint; hasque præterea inæqualitates calculi æque ab adposita inæqualiter materie, quam ab eadem soluta & ablata, produci posse.

Fuisse tamen, quis oggeret, quos observationes allatæ integre curatos affirment. Respondeo nondum convincentia, quæ id statuant, argumenta esse. Equidem copiosior Calcis, Saponisque, usus, multis profuit, ut Nobilissimo *Horatio Walpole*, ut Homini nostro *Tom.* 1. *Rat. Med.*, ut ibidem *Viro militari*, & ut novum exemplum adhuc præ oculis habeo. An vero ideo, qui remedium *Anglicanum* sine noxa tolerantes, levamen inde experiuntur, curati dici debeant? Et *Kirkpatrik*, & reliqui Angli, Gallique, quos inde curatos fama ferebat, vix notabili tempore a remedio destiterant, dum promulgarentur eorum curationes. Imo ipse *Kirkpatrik* vix ab illo cessaverat, quin lumbo-

borum se vexari dolore denuo conquereretur; quem tamen in gratiam, ut apparet, remedii, Lumbagini, quam Nephritidi, acceptam ferre maluit.

§. VI. Sufficiat porro, occasione experimenti civis *Cremzensis*, ea argumenta attulisse, quæ *Anglicanum* medicamentum laudent, vituperentque. Superest meam paucis opinionem dicam, quam novo experimento fundabo.

Urinas enim varias calculo laborantium collegi, gluten inde separavi, & in aere aperto, limpida urina abjecta, posui. Brevi glutinosum hoc exaruit, & dr. 2. aliquando dr. 3. materiæ lapideæ ad figuram vasis formatæ exhibuit. An autem non detur calculosus, quin idem phænomenon in ejus urina adpareat, nondum assero; sufficiat experimenti demonstrasse frequentiam.

Summa ergo rerum hæc esto: Quivis homo, etiam sanissimus, calculi rudimenta in se habet, eo quod solida corporis continuata vitæ actione deterantur, abradantur, humoribus misceantur, & magnam partem per urinæ vias eliminentur de corpore. Hinc etiam pro magna parte oritur terra illa subtilissima, quam Chemia in urinis invenit. Nullam inde labem sanus homo habet; quia ex alimentis tantum ac tale deperditorum loco adplicat, quantum & quale deperditum fuerat: deinde cum nulla in itinere obstacula terrea hæc materies offendit, innoxie, integreque de corpore eliminatur. Huic nunquam calculus nascetur: At vero si contingat vel minimum corpusculum alicubi hærere, ut v. g. fibrillæ portionem suppurando solutam, aut tantillum puris mora exsiccati, aut grumum sanguinis, &c. id tunc inde proficisci potest, ut terrea materies ad ejusmodi obstaculum retardetur, adplicetur, & adhærescat: id quod dum continuo sic pergit, ideam calculi nobis facile format.

Sed 2do. Experimenta, ut vidimus, docent in urina cal-

calculoſorum multorum copioſam materiem terreſtrem haberi, quæ in his cito, in illis tardius; in quibusdam ex ipſa urina ſtagnante, in aliis duntaxat ex aſſervato poſt effuſam urinam glutine; cretam quandam, lapillosque formet. Quæri hic poteſt, num omnis illa cretacea materies tantummodo a ſolidis humani corporis detritis? An vero dentur alimenta, potulentaque, quibus ſubtiliſſima hæc terra contineatur; quæ idoneo vehiculo miſta, lacteorum oscula ſubeat, cum ſanguine commisceatur, ab eodem per urinam abluatur? Sane Regiones, in quibus calculoſos vix invenire eſt, ut v. g. multi *Lombardiæ* loci, ejusmodi ſuggerunt ſuſpicionem.

An præterea calculoſam diatheſim id demum appellemus, quod efficiat, ut terreſtre id, quod in aqua, quod in alimentis, quod in vino eſt, minus ſubigatur, ad ſanguinem vehatur, cum ſanguine commisceatur, iterumque humorum circuitu, ac vi vitæ non mutetur, & in renibus tandem cum urina ſecernatur?

Nunquid etiam Arthritica materies eidem producendæ apta? Utique, cum Arthritidem ultimæ digestionis defectus efficiat, videntur minima quædam elementa terreſtria immutata manere; eaque ut ad juncturarum arteriolas adplicantur, ita etiam ad eas renum adplicari poſſe, & urinas generare calcareas. Hujus mentis clariſſimus *Adamus* eſt, in diſſertatione anno 1740. edita, occaſione ſexagenarii hominis, qui perpetuo rerum aut ſaccharo, aut lacte, paratarum, impenſus amator, Arthritidi, quosvis occupanti artus, obnoxius ultra 20. annos vixerat; dolorum vero pertæſus, eosdem novem abhinc annis Theriacæ emplastro ſopiverat. Unde in periculoſum morbum primo prolapſus, dein anomalam prorſus Arthritidem in multis internis corporis partibus per vices expertus erat; a quinquennio autem acerbos veſicæ urinariæ dolores crebro repetentes, Dyſuriam, & varia alia cal-

calculi veſicæ ſymptomata. Biennium erat, quod ramenta calculoſa, nucum putaminum inſtar concava, copioſe emingeret; annus autem, quod his ramentis abſentibus mucum cum urina redderet, qui in cretaceam abire materiem ſoleret. Et quod præprimis notandum, Podagræ acceſſu lotium eo muco carebat; Podagræ receſſu ſcatebat eodem. Confirmat deinde hanc ſuam de materie Arthritica ideam Autor eruditus variorum Scriptorum teſtimoniis. Quin etiam exemplis demonſtrat calcaream Arthriticorum materiem non modo ad vias urinarias, ſed quoque ad quævis alia corporis loca concretiones producere lapidoſas.

Sane quæ mihi hanc ſententiam probabilem reddant, plures habeo rationes. Arthriticum hominem Noſocomium XV. menſium ſpatio aluit, qui ab annis quindecim tum colli vertebris, tum pedum manuumque ambarum articulis, calcaream materiem excreverat, & etiamnum excernebat. Primo tempore urinam pallidam, & admodum furfuraceam emittere ſolebat; ultimo autem ſemianno, multo ſemper pure, una cum furfuribus, onuſtam; denique multis ante obitum diebus & limpidam, & pauciſſimam. In cadavere nullus ullibi puris fomes: verum ipſe ſanguis, qui incredibiliter paucus in corpore ſupererat, adeo polypoſus fuit, ut vix guttula ejus inter ſecandum prodierit; quod, ut obiter notem, clare ea confirmat, quæ Tom. I. Cap. II. *de Puogenia* ſcripſeram. Quod autem maxime ad rem noſtram; Renes ambo in corticali ſua ſubſtantia craſſi & ampli, omnino arenoſi erant, ita ut quacumque in parte nitido ſemper cultro ſecarentur, novam ſemper arenam proferrent. Quippe calcarea materies hujus Podagrici partim ad renes delata, videbatur jam urinam calcaream productura fuiſſe, niſi eadem vaſorum urinam ſecernentium ora obſtruxiſſet, hincque tum urinæ ſecretionem fere impe-

pediviſſet, tum ipſam corticalem renum ſubſtantiam reddidiſſet arenoſam. Calculoſus ceterum nunquam fuit.

Præterea relatus a *Sigismundo Koenig* ad Societatem *Anglicanam* caſus Juvenculæ, quæ poſt enormes artuum dolores demum in plurimorum, eorundemque majorum, calculorum vomitum inciderat: deſcripta *Weismanno* hiſtoria quinquagenariæ, quæ crudeles Arthritidis dolores perpeſſa, tandem tum inteſtino Recto, tum ipſa vulva, plurimos excreverat lapillos: notata denique ab ipſo Clar. *Adamo* enarratio *Schneideri* de INVICTISSIMO IMPERATORE MAXIMILIANO II., qui Podagra graviſſima conflictari ſolitus, calculos in corde geſſiſſe poſt mortem inveniebatur: hæc, inquam, omnia Cl. Viri ſententiam mirifice fulciunt.

Porro quod concavas Podagricus ejus reddat has concretiones, id vel ideo eſt, quod calculum in veſica habeat, ad quem adplicata hæc materies, hanc formam induat neceſſe eſt; vel quod veſicæ ipſi, forte contractæ, qualis calculoſorum frequenter reperitur, ſe adplicando, eam figuram adipiſcatur. Prius tamen enarrata ſymptomata probabilius reddunt; & Catheteris, quem non adhibuerunt, ope, certum, ni fallor, fieret.

Tandem 3^tio^. compertum eſſe vidimus, calculoſos homines ab *Anglicano* medicamento ſic diſponi, ut materies illa, toties deſcripta, jam in ipſa eorum veſica lapideſcat. Infauſtum ergo remedium hoc tam a priore dici deberet, quam tale eſſe experimentis comprobatur.

§. VII. Ex omnibus hucusque dictis evidens demum fit binas noſtras in calculo methodos ceteris omnibus, hucusque per alios laudatis, tum præſtantiores eſſe, tum conſtantiores. Curæ enim id mihi fuit, ut, quotquot eorum, qui alterutra curati, indagari potue-

fuerant, quærerentur, examinarenturque sedulo, utrum ab omnibus symptomatibus immunes esse persisterent, nec ne; ut demum, si relaberentur, genuinam relapsus historiam cum publico communicarem; at vero curæ perstant. Prima nostra methodus vere *Brittanica* est: eandem tamen, æquali copia lactis ad aquam Calcis adjecta, promptiorem, felicioremque, invenimus. Unde etiam eandem *Stepfeniana* methodo, licet nonnulla cum illa communia habeat, tum efficaciorem, tum humano corpori per omnia tutiorem, existimamus. Altera vero methodus, quam compendii causa, nostri Nosocomii voco methodum, Illustrissimo autem Præsidi gratus debeo, numero plurimas constantes curas effecit.

Facile ex his omnibus patet, nec in nostris remediis, nec in omnibus per alios recensitis, vires inesse Lithontripticas, quantumcumque id de suis multi jactitarint. Experientia sane convincere omnes debuit, tum in paucioribus his, quos *Anglicano* medicamento dudum frustra adhibito, sectione liberare a calculo oportuit; tum in omnibus, quibus remedia nostra profuere. Quippe fuimus in eo Chirurgis Gallis fortunatiores, qui, teste *Morando*, a nemine eorum, quos *Stepfeniana* remedia juverant, id obtinere potuerint, ut se denuo Cathetere examinandos præberent: dum interea nostri voto morigeri, calculi, ejusque nonnunquam asperioris, præsentiam, nobis demonstrarint.

Nunquid tamen calculus vesicæ, longiore tempore in Aqua Calcis maceratus, non solvitur? Solvitur certo multorum mensium spatio, modo Aquæ Calcis aditus detur ad calculum, auferendo sæpius id, quod in ejus circumferentia pumicosum ab aqua redditum fuerat; ceterum minime. Ita demum trium mensium spatio solvi præcipuam majoris calculi portionem. Similiter in experimentis suis calculos in Aqua Calcis sol-

ſolvebat Doctiſſimus Vir *Carolus Alſton*, famoſus Profeſſor *Edimburgenſis*, ſcriptis clarus. Videatur in egregia ſua *Diſſ. de Calce viva, & Aqua Calcis.* Verum in veſica humana neque calculus ſcalpello abraditur, neque illibata virtus Aquæ Calcis ita veſicam ingreditur, ut in experimentis noſtris. Non mirum ergo hominem, qui 1600. libras Aq. Calc. ſpatio ſex menſium biberat, jam poſt tertium illibatæ valetudinis annum adhuc calculum in veſica gerere, ut exploratione Catheteris conſtat.

Quærat porro nemo a me, qui fieri id, qui concipi queat, quod homo calculum in urinario ſyſtemate gerens, ſecernendi tamen, excernendique urinam, perfectam exerceat functionem; & adeo indolens vivat, ac ſi calculum non haberet? Sufficiat rem, captu difficilem, obſervatu conſtare. Præcedenti Tomo, obſervationis frequentiam plurimis exemplis demonſtravi, quæ exempla ab Autoribus notata, collectaque fuerant, priusquam quæſtio præſens exiſteret. Nunquid ſive in humoribus humanis, ſive in ipſo urinario ſyſtemate, aliquid exiſtit, quod applicatum calculo, dolores, ſpaſmosque excitet; quodque ipſum in quibusdam corporibus vel minime, vel haud ſufficienter adſit, ut creet dolores? An hinc ratio petenda, cur inter diuturna tormenta calculoſorum nonnulli lucidis fruantur intervallis? An tandem Calx, & potiſſimum Uva urſina id in humoribus, aut ſyſtemate urinario, demant, abſorbeant?

CAPUT VI.

De Aneurysmate.

§. I. *Duo Aneuryſmata curata, & Tom. I. deſcripta, egregie curata manent.* §. II. *Aneuriſmata non raro*

cogni-

cognitu difficilia, imo etiam impossibilia. Probatur 1mo. *exemplo Aneurysmatis ad Poplitem, quod ad vitæ finem usque Chirurgo imposuit. Anatome. Disquiritur an homo culpa Chirurgi periisse credendus sit? Animadversio in Practicos, quibus Collegarum honori detrahere volupe.* §. III. *Probatur idem* 2do *exemplo inventi ad pectus Aneurysmatis. Sequuntur ad hos duos casus Corollaria Medico-Chirurgica. Quandonam compressio Aneurysmatis externa prodesse queat, nocere debeat.*

§. IV. *Origo, ac celer progressus Aneurysmatis arteriæ popliteæ, & amputatio cruris. Considerationes Medico-Chirurgicæ circa arteriarum interceptiones, ac Fungi Agarici ad abscissas arterias adplicationem. Hæmorrhagia letalis, quanvis tanta adhibita esset in operatione prudentia. Anatome. Problemata circa hoc infortunium.* §. V. *Varia Phœnomena Aneurysmatum internorum, eademque palliandi methodus.*

§. I. Dedi anno proxime priore duarum feminarum historiam, quarum altera compressione simplici, altera operatione, ab Aneurysmate in brachio curatæ fuerant. Caput præsens compositurus, jussi ambas in urbe quæri, & ad me adduci, quo constantiam curæ, inconstantiamve, cum publico communicarem. Lætus vidi utriusque perfectam curam fuisse, ambas sanissimas esse, omnemque, quem vellent, motum, brachio exercere posse. Unice modo conquerebantur, quod ad mutatas tempestates ingrata titillatio affectam olim arteriam afficeret.

§. II. Cognitio Aneurysmatum utinam certior esset; signisque munita pathognomicis desisteret turpissimis erroribus ansam præbere! Hinc infortunia, quæ vel mihi, vel aliis, defectu horum signorum, contigerint, candidus enarrabo: quo demum aut majorem in Diagnosi certitudinem, aut majorem saltem in pertractando eo prudentiam, omnes adipiscamur.

Ho-

Homo 37. annorum per omnia ſanus, menſe Octobri 1759. Eryſipelate ad internum ſiniſtri pedis malleolum ſe laboraſſe narrabat; eoque evanido, dolorem ſe ad ejusdem cruris poplitem percepiſſe, deprehendiſſeque ibidem tumorem, qui mole ac dolore indies augeſceret. Hisce compeſcendis Emplaſtro Oxycroceo admoto, non modo tumorem ac dolorem poplitis auctos eſſe, ſed integrum crus, pedemque, occupaſſe.

Hæc porro narrabat Chirurgo, quem medio Januario hujus, quem vivimus anni, ad ſe vocabat. Attente exploratis ille omnibus, detexit ad caput internum oſſis tibiæ quendam veluti materiæ ſtrepitum; in medio vero ejus, externoque capitis latere, materiem fluctuantem. Quantumcunque rem examinabat, malum a vi quapiam externa originem ducere deprehendere non potuit. Itaque crus ac pedem vehementer inflammatum eſſe cernens, cataplasma emolliens circumpoſuit illi. Altera die pars affecta abſceſſus ſimilitudinem hinc inde exhibuit, obſervatusque antea ſtrepitus, conticuit. Die tertio crure ac pede detumeſcentibus, maturum fere abſceſſum poples referebat. Die 19. Jan. turgens pure tumor, ac veluti pus hinc inde transſudando propellens, levi ſcalpelli ictu dilatabatur, effundebatque mox purulentam materiem, ſed ſimul 4. vel 5. cochlearia ſanguinis. Levamen hinc tantum, ut indies redeuntem ſanitatem æger aſſereret. Nitroſis emulſis interea utebatur. Sexto vero demum ab apertura die, quis crederet unquam! Hæmorrhagiam ad usque animi deliquium paſſus eſt. Involvit, ligavitque, quacumque poſſibili arte, partem. Adveniens mox Chirurgus citra guttulam effuſam ſanguinis totum abſtulit adparatum. Sanguis igitur ultra non effluxit; debili tamen ægro ronchus in pectore auditur, deficit reſpiratio, & 12. horis ab hæmorrhagia elapſis moritur.

Re ego percepta, ad ædes me contuli, & emta examinandi venia, Aneuryſmaticum ſaccum pugni ma-

gnitudine inveni, qui ex parva origine, ſuo in collo vix digitum craſſa, in enormem hunc ſaccum abiverat. De corpore ablatum in liquore ſervo.

Facile prævideo multos his lectis fore, qui ſuis in arte Collegis condemnandis aſſueti, in Chirurgi ſive ignorantiam, ſive imprudentiam, acriter invecturi ſint, ac ſi miſerandus ille homo Chirurgi culpa periisſet. Verum antequam eo perveniant, rogatos eosdem volo, ut, vacuo a præjudiciis animo, ad ſequentia mecum attendere velint.

1mo. Aneuryſmati generando nulla cauſa violenta præceſſerat. 2do. Nulla Aneuryſmatici tumoris ſigna ex anxietate ad compreſſionem, vel ex ejusdem pulſatione, aderant. 3^{tio}. Strepitus quidem percipiebatur; ſed cum is & in Aneuryſmate aliquando, nonnunquam etiam in tumoribus purulentis & aquoſis obſervatur, ad quos Emphyſema ſive ob aëris acceſſum externum, ſive ab ejusdem generatione interna, accedit; hinc cum nulla alia Aneuryſmatis indicia adeſſent, ſtrepitus loci ad aliam longe originem, quam ad Aneuryſma, referendus videbatur. 4to. Sex diebus continuis apertus tumor pus, nullum vero ſanguinem, dedit; id quod alioquin in Aneuryſmate, ablata reſiſtentia, impoſſibile videtur. Equidem in apertura ipſa aliquot effluxere cochlearia ſanguinis; ſed quis Chirurgorum ignoret expanſo vaſe cutaneo, eoque perſciſſo, quandam hæmorrhagiam obſervari oportere? Sex ſane dies ſine ullo ſanguine aperto de vulnere tranſacti, quamcumque Aneuryſmatis ſuſpicionem, ſi qua nata forte fuiſſet, diſpuliſſent. 5to. Et qui tum in Aneuryſmate, tum variis aliis in tumoribus quandoque adeſt ſtrepitus, jam pridie aperturæ evanuerat. E contrario 6to. communis inflammationis ſigna, Eryſipelas nempe aderant. 7mo. Hæc inflammatio primum malleolum internum occupaverat. 8vo. Nil veriſimilius, quam quod Eryſipelas Metaſtaſin ad poplitem fecerit, relinquens malleo-

leolum. 9no. Inflammatio Eryſipelatoſa in abſceſſum abibat. 10mo. Fluctuatio materiæ manifeſto percepta eſt. 11mo. Apertura facta, pus & mox, & ſequentibus exivit diebus.

Suam cuique ſententiam integram relinquens, judico inculpatum Chirurgum fuiſſe, & concludo ita perſonatum Aneuryſma eſſe poſſe, ut decipiat vel oculatiſſimos. Quo ſubinde contingente, neceſſe foret quosvis cordatos Chirurgos Medicosque in defenſionem ejus, qui deceptus fuerit, unitos videri, & probe memores principii tum Naturalis, tum Evangelici: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facito.*

§. II. Confirmare idem poteſt hiſtoria ſequens. Femina quadragenaria 17. Junii præſentis anni me acceſſit, conquerens a 3. vel 4. annis ægram ſe pectore eſſe: ſputa quippe purulenta, ſubinde ſanguine miſta, ſe reddere, cor ſibi palpitare, difficulter ſe reſpirare, vagosque experiri dolores. Lactaſſe quidem infantem ſeſe, at vero cum indies emaciaretur, pejusque pectore haberet, ablactaſſe. Anni ſpatio menſtruis ſe carentem, nempe lactationis tempore, nunc denuo a trimeſtri gaudere. Tandem adjunxit a Feſto Paſchatis, ex nulla nota ſibi cauſa, puſtulam primo animadverſam eſſe ad ſiniſtri lateris thoracis coſtas, & quidem eo a latere ſterni loco, ubi cartilagines infimarum coſtarum pene uniuntur, ſterno jamjam inarticulandæ. Parvam quidem dudum manſiſſe, a quatuor vero retro ſeptimanis in tuberculum caſtaneæ magnitudinis abiviſſe.

Tumor examinatus, non pulſans, ſed durus & elaſticus, veram ſui non determinabat naturam. Eo igitur Emplaſtro Diabotanon tantummodo tecto, curam ad Phthiſin pulmonalem potiſſimum direxi. Spatio trium ſeptimanarum nihil in tumore mutabatur; eo vero elapſo ſenſim emolleſcebat, ita ut 17. Julii apoſtema perfectum referret, manifeſtaque puris fluctuatio genuinam tumoris naturam nunc determinare videretur.

Suspicio itaque indurati, scirrhosi, aut cujuscumque alius mali, prorsum evanuerat, certitudo apostematis aderat, adeoque ejusdem apertura vel ideo maxime suadenda erat, quod Pulmo suppuratus fortunato casu viam sibi extrorsum quandoque capessat; qua diu aperta internum ulcus demum evacuetur, & sanescat. Duos ejusmodi casus sub oculis præsentes habebamus; tertium, eumque tristem, lugentes, eo quod, contra monitum nostrum, Balneator salutare hoc incommodum præpostera sua arte delevisset, ægerque jam hectice consumeretur. Et quartum casum tractabamus, jam vel ideo desperatum, quod tumor a natura extrorsum ductus, sed ruptus necdum, iniqua vero Chirurgi arte retropulsus, evanidusque, nunc eundem in locum a nobis revocari nullatenus posset.

Igitur tumorem aperuimus, pusque & album, & coctum, eduximus. Erat autem pus illud ratione tumoris parcius; in fundo autem durius quidquam supererat. Igitur tumorem partim maturum, partim crudum esse concludentes, digestivum imposuimus, & Empl. Diach. c. gum., scopo maturandi totum teximus. Biduo elapso rediit. Horrescebamus. Loco expectatæ maturationis pulsus ibidem fortissimus in tota lata basi tumoris, digitumque repellens, observatur; digito vero per aperturam immisso horrendum Aneurysma obstupescimus. Itaque mox consolidandæ aperturæ gratia Emplastrum ad Rupturas Fernelii imposuimus, integramque fere consolidationem spatio trium septimanarum obtinuimus. Deinde tumor Aneurysmatis sensim est imminutus, & in toto tumoris ambitu sub costis manifestum Aneurysma pulsationis vehementia percipitur. Ita ut quod primo detectum fuerit, id modo veluti appendix sit, quæ a magno sacco orta sese inter costarum cartilagines insinuaverit.

De industria bigam hanc Aneurysmatum communicare volui, ut patesceret. 1mo. Nullum fere morbum

esse,

esse, in quo tum facilius, tum turpius, decipiamur. 2do. Posse Aneurysma gigni sine ullo pulsu externo percepto; idque verosimiliter tunc, quando in eodem nascente, mox laminæ concreti cruoris se ejusdem applicant parietibus. 3^{tio}. Posse in membrana adiposa, nascens Aneurysma tegente, inflammationem, suppurationemque, ab affrictu, nasci; & copiosum pus omnem ita motum suffocare, ut licet jam forsitan antea pulsatio quæpiam adverti potuisset, eadem nunc minime percipi queat. 4to. Posse etiam educto pure adhuc veram mali naturam latere, si tumor residuus, explicata ad n^{m}. 2. de causa, non pulset. 5to. Etiam educto pure fieri posse, ut in uno casu per duos dies, in altero per sex, copiosior cellulosa substantia, nondum consumta, debiliorem Aneurysmatis pulsationem, si qua adest, adhuc suffocet. 6to. Posse quoque reliquam hanc adiposam membranam in pus converti, atque integris sex diebus omnem Aneurysmatis suspicionem, suo effluxu, amovere. 7mo. Videri demum ablata resistentia, vel arteriam subito frangi, vitamque cum sanguine profundere; vel extendi ita, ut latens olim, jam manifesta deprehendatur. 8vo. Consultum esse, ut in posterum, dum nobis purulenti tumores exhibebuntur, quibus aut inflammationes, aut tumores duri, atque ambigui, dudum præcesserint, antequam pus adpareat; idque maxime iis in locis, ubi dura tubercula minus frequenter, quam quidem in collo v. g. aliisque glandulosis in locis, purulenta pro parte fieri solent; ut, inquam, hic consideratissime procedamus. 9no. Oportere demum, ut dediscant Chirurgi Medicos lacessere, ut quidem Publicis Actis fecerint, jactando hos circa plurima incerta, intus latentia, versari duntaxat; se autem maxime externis, ideoque certis, occupari.

Cum optimo nostro Chirurgo *Leber* in hunc casum meditatus, cogitavi, num forte compressio externa hic non conduceret? Attentior vero contemplatio nos

docuit, vitium in externa arteria locum non habere neque ejus sedem, præcise determinatam, ibi esse ubi cartilagines jam junctæ firmam basin præbeant. Verisimile maxime ex figura rotunda esse, quod saccus sit, qui per rimam inter binas cartilagines exsurgat, emineatque; quippe propterea vel arteriæ intercostalis, vel cujuspiam alius interioris, degenerationem denotet. Quia nunc egregius *Lancisius* clare demonstravit compressionem simili in casu mortem accelerare, vitalibus quippe hinc angustatis, ab omni externo molimine abstinuimus. Quin & docuit eventus, ut mox monebam, pag. 84. id minime indicari.

§. IV. Arteriæ *Popliteæ* Aneurysmatis novum exemplum habeo. Rarius id descriptum jam ter *Viennæ* vidi. Primum enerravi Tom. 1, pag. 251. Alterum mox communicavi. Tertium autem sic se habet.

Lanio quadratus 32. annorum me convenit 10. Junii proxime elapsi, narrans tres modo septimanas esse, quod sura sinistra sibi intumuisset; duas septimanas, quod ad poplitem tumorem adverterit, dolentem quidem, & mole in gradiendo auctum. Examine patuit Aneurysma arteriæ popliteæ esse, cujus mole venas comprimente, crus ad suram intumesceret, & varicosum fieret. Ab aliis postea relatum est hominem ab alto per multos gradus cecidisse, antequam de crure conqueri cepit.

Vena brachii secta est; serum lactis cum Pulpa Tamarindorum, Rob Sambuci, ac Nitro, copiose datum; Decoctum adstringens cruri circumpositum; Ligatura idonea, quæ ab omni parte saccum arctaret, Spir. vini rect. intincta, adponebatur; & summa corporis in lecto quies imperata est. Ut autem exactius omnia peragerentur, hominem in Nosocomio servavi.

Hac methodo sura intra quatriduum egregie curabatur; poplitæus vero tumor indies crevit, & pugni demum magnitudinem mole æquavit; ita ut mense ex-

acto,

acto, omnis per compressionem illum curandi spes evanesceret. Unde demum ipsi serio declaravimus bina modo superesse, quorum alterutrum eligeret: vel certam mortem, sive post calamitosum martyrium, sive inopinatam; vel amputationem ambiguam. Hanc ideo ambiguam diximus, quia & per se gravis ac periculosa est, & nesciebamus, quam alte inciperet dilatatio aneurysmatica; quæ quidem si amputato crure altior, vix constringi idonea ligatura valeret; sin autem adhuc ligari posset, tamen impulsu sanguinis novum illico saccum formaret.

Respondit Lanio rem naturæ aliquantisper committere se velle, & Nosocomio valedixit. Interea Balneatoris se curæ commisit. Venam is secuit, multaque adplicuit. Tandem prima Augusti per amicos certiores nos reddidit æger de tumoris incremento, & intolerabilitate dolorum: enixe petens, quo recipi in Nosocomium, amputationemque inibi subire posset. Mox eum recipientes, invenimus tumorem longe extensiorem, inque latus productum esse; dolores autem tantos, ut ne opio quidem largiore sopirentur.

Hinc properandum esse rati sumus. Amputationem, præsentibus iisdem fere Medicis atque Chirurgis, qui Lithotomiæ pag. 67. adstiterant, aliisque, *D. Leber* spatio 7. minutorum absolvit.

Quæsitum fuerat, utrum arteriam majorem, atque unam alteramve minorem, ligatura, an *Fungi Agarici* adplicatione, obturaremus? Considerabamus ab una parte ligaturam arteriæ tutissimam quidem semper haberi; non raro tamen intercepto nervo, ejusve ramulis, convulsiones nasci, quibus ars non esset interno externove auxilio compescendis. Ab altera parte *Tom. 2. Acad. Reg. Chir. Par.* tria exempla inveneramus, ab egregio *Morando* relata, felicis Agarici successus in crurum amputatione. Hinc eo fere inclinassemus. Attamen *Parisina* exempla *Cruris* referebant, non *Femoris* amputationem. Cum igitur hic de

femoris amputatione ageretur, & quidem de eadem longe altius, ne quid de sacco reliqui faceremus, instituenda, ubi certe arteria longe majoris diametri esset; præterea cum exemplum in iisdem Actis *Parisinis*, in Differt. *D. Louis*, pag. 395. referretur, quod Agaricum in amputato crure adeo inutilem demonstrasset, ut semihora elapsa totus adparatus auferendus esset, adhibendaque ligatura; rem dubiam experiri noluimus, sed majorem saltem truncum arte ligandum esse, minores vero Agarici fungo obturari posse, unanimi consilio decrevimus. Chirurgus itaque eo modo omnia perfecit, & soliti pulveris adstringentis loco totum vulnus Agarici fungi pulvere crasse texit, Instrumentum tornatile quoque ad arteriam apte comprimendam adposuit.

Hoc pacto nos ab omni hæmorrhagiæ metu exemtos credentes, turpiter tamen nos elusos vidimus; trihorio ab operatione sanguine per universum transfluente adparatum, lectoque toto inde madente. Chirurgus fasciis novis super vetera adductis, arctiusque appresso stringente Instrumento, egoque Diacodio largiore, hæmorrhagiam imminuimus, moderavimus, stitimus.

Saccus nunc erat amputata in parte examinandus. Arteria supra saccum naturalis magnitudinis demonstrabat amputationem debito peractam in loco esse. Arteria, non ut in casu pag. 82. descripto, uno latere, sed toto suo ambitu in saccum quaquavorsum extensum, abiverat, excrescente sepimento membranoso, sed sursum deorsumque abrupto, illum bifariam dividente. Nervus magnus adjacens tota sacci longitudine arctissime cum eodem coiverat. Ipsumque Aneurysma cum superiore portione Gastrocnemii inseparabiliter connatum erat. Unde hominem ita a motu minimo doluisse non mirabamur; quia saccus, nervusque, & musculus, unam exhibebant, eandemque cre-

cretam, atque confusam massam. Membrana porro ipsa postica sacci, laterisque externi, adeo tenuis fuit, ut dum vi minima expandebatur, dilaceraretur. Quapropter id certum, quod, dilata operatione, disrumpi cito, subitamque facere mortem, debuisset.

Interim æger noster una atque altera hora, postquam hæmorrhagia cessasset, debilitari cepit, brevi dein frigescere, leviorem iterum hæmorrhagiam pati, continuo vomere, pulmone angi, leviter delirare, tandemque vultu convelli. Horis 25. ab operatione elapsis obiit.

Examinavimus tunc serio amputationis locum. Ligatura arteriam majorem apte claudebat; nervum autem minime comprehendebat. Fungus vasis suis per strata adplicatus inventus est. Vulnus integrum pulvere fungi egregie, crassiusque, tectum. Pectore aperto, cor maximum, at pallescens, & vacuum. Vacua etiam omnia vasa majora, arteriosa, venosa; exiguum modo, gracilemque, polypum sua in axi gerentia.

Hæmorrhagia inter operationem, ac trihorio post illam, nata, homo hic tantum amisit cruoris, ut sine vitæ dispendio ultra amittere non potuerit. Levior postea per totum adparatum transsudatio abstulit eum reliquum necessarium sanguinem, vitamque ademit.

Optime tamen cum provisum hæmorrhagiæ videretur, tum Ligatura, tum Fungo, tum Instrumento, quæri potest an Fungi hujus viribus nimium non tribuamus? An vero in posterum forte præstaret majori arteriæ adplicare eundem, quia habet compressio suum punctum fixum ad os; reliquas autem duas, tresve arterias, imo etiam venam majorem, quæ, ligata arteria, aliquando vice arteriæ fungens, terribilem Hæmorrhagiam producit, firma interceptione ligare?

§. V. Aneurysmata interna multa *Austria* habet. Plura curavimus methodo descripta Tom. 1. pag. 257.

 mul-

multa vero incurabilia manent. Habuimus hoc anno horrenda exempla, costarum remotarum, sterni elevati, motus aneurysmatici terribilis supra mammam dextram, sine ullo motu ad regionem cordis, &c. Hos palliatis utcumque ærumnis solamur, omnem vigilantiam adhibituri, ut post fata eosdem examinemus. Mire interim quosdam levari sequentia demonstrant.

Juvencula fortis, torosa, bene menstruans, 24. annos nata, finiente Septembri 1759. circa inferiora sterni dolere cepit, & quoddam Emplastrum loco admovit. Sed pedetentim aliquid sub cartilagine ensiformi tumere percepit, ad tactum dolere, simulque fortiter pulsare, & somnos valde perturbatos efficere. Cum hæc ingravescerent, venit primo ad me 26. Febr. 1760. Cum Chirurgo & Assistentibus, eam examinans, deprehendi locum pulsantem, palmam manus fere æquantem esse, stanti quidem magis, minus vero jacenti, percipiendum. Malum sensim cepit nocte ingravescere, ac tandem gradus conscendenti respiratio fere omnis deficere. A pastu quoque pejus habuit. Majo mense minus, Junio parum, Julio nihil ultra femina doluit; pulsatio minime molesta superfuit modo. Ita quidem, ut jam optime comedat, tranquillime dormiat, & graves ancillares labores, indefessa omnino, liberaque pectore, peragat.

Ad inexpectatam hanc mutationem sumsit tota die serum lactis, cum Nitro, & Cremore Tartari; cubitum vero petens $\frac{1}{6}$ sequentis: ℞. Pulp. Tamarind. Rob. Samb. Syr. Diacod. ā unc. 2. Laud. Liq. Syd. dr. $1\frac{1}{2}$. Et quia etiam nauseoso ac debili ventriculo, tum & segniori alvo, prospiciendum erat, sumsit quovis quarto mane dr. med. Elect. Hieræ picræ. Optime se nunc habens, pergit sero lactis cum melle quotidie uti, alterno autem die Paregorico.

Dubitabit forte quispiam, utrum hæc femina verum

rum Aneurysma habuerit, an potius Deuteropathicum a ventriculo, pyloro, pancreate? Idque 1mo. quia haud insolitum hic Medicos decipi, ut exemplis patuit, *Tom. 1. cap. de Aneur.* 2 . Quia signa adfuere hærentis cujuspiam labis in ventriculo, aut prope illum. 3tio. Quia post multa solventia, & repetitam sæpius quartanam purgationem insigniter lucrata est ægra. Huic respondeo: Etiamsi res ita haberet, conferret vidisse, qua demum methodo ambiguum hoc malum superetur. Attamen longe verosimilius Prothopaticam esse affectionem; cum morbus medium annum jam emensus esset, priusquam inciperet ventriculi incommoda sibi juncta habere; & antea cum optima functione naturali, solo tumore, dolore, ac pulsu consisteret.

Femina 26. annorum mense Augusti 1758. brachia in altum, onus grave depositura, extendens, medio in pectore crepitum observabat. Paulo post œdemate totius corporis affecta est; quod copioso Rob Sambuci dispulisse se credit. Tussis inde nata, sputumque sanguinis, vespertini quoque horrores, & pectoris dolores continui. Remediis aptis a Tussi multum, a sputo sanguinis penitus, ubi liberata erat, conquesta est 15. Martii 1759. interna, eaque violenta pulsatione os sterni sibi attolli videri. Examine instituto deprehendimus media, eaque inferiore sterni parte tota, ejusmodi pulsum, ut digiti, vi quasi, repellerentur. Cum adderet vehementius ibidem se ardere ac dolere, nec dorso ultra incumbere posse, suspicari Aneurysma debuimus. Tandem pulsatio, tumorque magnus, colli totius anteriora & lateralia occupabat; dumque se in lecto convertebat, os pectoris veluti sibi findi lamentabatur. Imo & supra sinistram orbitam pulsatio & dolor extendebantur. Nocte aliquoties suffocatum iri se credebat, nisi erecta sedisset. Demum cordis palpitatio-

nem

nem molestumque in dorso pulsum, conquesta est. Cum omnibus his ærumnis menstruo fluore optime gaudet.

IterataV. S. & methodo demum eadem, qua ægra præcedens, sensim tantum lucrata est, ut jam dudum vitam maxime tolerabilem gerat.



ANTONII DE HAEN

Consiliarii Aulici, ac Medicinæ Practicæ, in Alma ac Antiquissima Universitate Vindobonensi, Professoris Primarii,

PARS SEXTA

RATIONIS MEDENDI

IN

NOSOCOMIO PRACTICO VINDOBONENSI.



LUGDUNI BATAVORUM,
SUMPTIBUS SOCIETATIS.
MDCCLXII.

ELENCHUS CAPITUM

RA-



RATIO MEDENDI IN NOSOCOMIO PRACTICO VINDOBONENSI.



CAPUT VII.

De Cardialgia Chronica.

§. I. *Cardialgia multis oriunda de causis, protopathica datur, & deuteropathica.* §. II. *Scirrhi, ut causæ, suspicionem tum diuturnitas morbi, tum ejusdem pertinacia, haud immerito fecerunt; interea dum remedia nonnulla diu constanterque adhibita, constantemque sanitatem operata, clare demonstrent necdum scirrhum adfuisse, sed alias pertinaces causas.* §. III. *Nihilominus frequens heu nimium! Cardialgiæ causa scirrhus est, quem cognoscendum regulæ artis sæpenumero quidem dant, quanam vero in parte is resideat, rarius viventibus ægris, frequentius in denatis, certo novimus.* §. IV. *Causa in Pyloro protopathica dum adest in nonnullis, jugi ingestorum vix mutatorum vomitu se prodit, in aliis minime: probatur utrumque exemplis.* §. V. *Frequentior ea nihilominus Observatio est, quod vomitus ille adsit, dum vel causa protopathica in Pyloro, vel deuteropathica pone Pylorum est, quam quod non adsit. Historiæ id confirmantes.* §. VI. *Solet eo in casu ventriculus vehementer augeri, nonnunquam sola amplitudine, aliquoties etiam crassitie: vix capitur vera hujus differentiæ ex observationibus causa.*

§. VII. *Quæstio hæc ad plura cava viscera adplicata, varietatem detegit eandem. Discrepantia sententiarum circa uterum aufertur exemplis, quæ indubie demonstrent illum crescendo haud amittere crassitiem, quam non impregnatus habebat. Tubæ, Ovaria, Hydatides, quoque crassitudine tunicarum passim augentur.* §. VIII. *Confirmatur argumentum de difficiliore hujus morbi Diagnosi; dum vomitus vix mutatorum ingestorum diuturni latentissima & insolita plane causa nonnunquam deprehenditur. Prudentia & Præcautiones commendantur, dum ejusmodi insolitæ causæ suspicio est.*

§. I. ardialgiam Chronicam hic describere animus non est, sufficienter id scholis, scriptisque Medicorum præstantibus; verum ea potius communicare, quæ propriæ observationes ad illam elucidandam contulerint. Quod ordine ut faciam, præmittere debebo recensionem variarum admodum partium viscerumque, in quibus hic morbus sedem, originemque, unquam habuisse inventus est.

Ac primo quidem ipse Ventriculus cum Pyloro recensetur, suo affectus in cavo, substantiave. Estque tunc protopathica Cardialgia, quo etiam eæ species pro parte referendæ, quæ N°. 28. 29. 30. 31. recensebuntur. 2. Oesophagus pone ventriculum. 3. Diaphragma. 4. Pancreas. 5. Duodenum. 6. Omentum. 7. Hepar. 8. Splen. 9. Sternum aut mucrone suo, aut adnato sibi tumore. 10. Musculi Recti abdominis. 11. Vesicula fellis. 12. Mesenterium. 13. Renes & Ureteres. 14. Uterus. 15. Ovaria. 16. Tuba Fallopii. 17. Præternaturales concretiones ac tumores, in appendicibus per abdomen adiposis. 18. Hydatides. 19. Aqua, Serum, Pus, Ichor, Mucus, Sanies,

aut

aut quicunque alii liquores, ſive in vacuum effuſi Abdomen, ſive ſaccis, hydatidibusque contenti. 20. Affectiones ſpermaticorum vaſorum. 21. Aneuryſmata varia. 22. Viſcerum variorum degeneratio. 23. Mutuaque eorundem inter ſeſe concretio. 24. Hernia levior, euns, redeuns, ſæpe ignota. 25. Prolapſus uteri ac vaginæ varius. 26. Multiplicia inteſtinorum incommoda. 27. Cephalæa. 28. Nimia debilis ventriculi ſenſilitas. 29. Hyſtericus clavus. 30. Peculiares atque inſuperabiles ventriculi crampi dicti 31. Humores acidi, alcalini, ſordes, vermes, in ventriculo fixi aut perpetui.

De Cardialgia in enumeratarum partium una, pluribusve, ſede; a recenſitarum una, pluribusve, cauſis; innumera quidem exempla nos convincunt; at vero cum de Cardialgia, ut monui, tractatum non conſcribam, ea modo tangam, circa quæ meæ, aliorumque, ſive nuperrimæ, ſive ſaltem necdum publice editæ obſervationes, verſantur. Si qua tandem veterum obſervata ſimile quid innuant, ea quoque recenſebo.

Multis admodum ventriculus, longo annorum ſpatio, irrito artis conamine, dolet, nauſeat, vomit; & his quidem perpetuo, aliis vero periodice.

Emetica, alvi purgationes, antacida, roborantia, nervina, carminantia, opiata, haud raro, ſive ſingula, ſive ſuccedente ordine data fuerint, levamen afferunt, at paſſim fugax illud, atque inconſtans, ſæpe omnino fallax. His omnibus vel protopathicum malum eſt, quibus ventriculus debilis, aut ſenſibiliſſimus, aut multo acore obſeſſus, aut in fabrica ſua varii generis tumores gerit; vel eſt deuteropathicum, dum vel corrupti humores ex Inteſtinis, perque Inteſtina, aut vermes, aut ſordes, multave bilis in πικρόχολοις ἄνω, in ventriculum ſæpius, inexhauſtoque fonte, irrepunt: maxime autem quando ille adjacentium partium tumore, duritie, ſcirrho, premitur, vellicatur, continuoque irritatur.

 §. II.

§. II. Quos mihi hoc morbo laborantes videre contigit, annosum admodum malum passim hi testabantur, & ad oblata auxilia rebelle. Unde scirrhi, aliusve generis tumoris, sive ventriculi pylorique, sive partium vicinarum, ventriculum aut pylorum comprimentis, vehemens sæpe suspicio mihi nata est. Incertus tamen atque animo fluctuans, dum sequentia adhibebam, dicere vix possum, quam multis integram attulerim sanitatem, adeoque omnem apud illos scirrhorum suspicionem mente excusserim. Præfari autem oportet incomparabili *Boerhavio* me hanc methodum debere.

Primo ad externam ventriculi regionem sequens admovi Emplastrum: ℞. Empl. de Labd. vel Diabot. unc. jß. Camphoræ, Opii crudi, a. scrup. ß. gr. xv. scrup. j. Bals. peruv. q. s. M. Diu gerendum hoc emplastrum fuit, dumque laberetur, reficiendum. Et si quis cutis ardor, vel efflorescentia in nonnullis ejusdem ablationem nonnunquam posceret, adplicationis continuationem cutis denuo in plerisque admisit, si sæpius sapone cum lacte lota, fotaque fuerat. Deinde assumsere quovis bihorio aut trihorio cochlearia duo Misturæ hujus: ℞. Lap. Cancror. unc. ß. Ol. still. Menthæ cum Sacchari dr. iij. in Elæosacch. redacti gtt. x. Spir. Menthæ unc. j. Laud. Liq. Syd. dr. ß. Syr. Menth. unc. j. Aq. Menth. unc. viij. Est id genus hominibus tarda passim & sicca alvus: quemadmodum alias sæpius adverti, ita hic quoque plures fuere, quibus Opium & Carminantia hujus misturæ alvum maxime naturalem redderent, vel operationem levioris subinde dati purgantis egregiam perficerent. Haud defuere tamen nonnulli, quibus vis Acidi potentior, datis cum mistura pilulis ex Sap. Veneto copioso, cum pauco stimulo gum. ammon. & mas. pill. Ruffi, infringi debuerit. Dabantur quoque, quibus ventriculi non ita acor, sed potius frequens spasmus & debilitas, dolorem concomitari

mitari viderentur: his fumme conditum hoc profuit: ℞. Cort. peruv. unc. iij. Camphor. Myrrh. a. dr. jß. Syr. Diacod. & Menth. a. unc. iijß. M. ut fexies de die magnitudinis nucis mofchatæ fruftulum fumerent. Aderant, quibus opii majorem longe dofim, ad noctem præcipue, dari oportuerit. Multi fane homines a Cardialgia penitus convaluerunt, modo, durante cura, exacte abftinerent ab iis, quæ difficulter digeruntur, & a lacte, cafeo, aceto, vinis acidis; diætamque alcalefcentem obfervarent.

Hæc, inquam, dando, his proficiendo, tandem didici inveteratos ejusmodi Cardialgicos, eo quod medicamenta fine curæ ftabilitate per annos abligurierint, incurabiles fere, fcirrhoque ventriculi, aut partium pone illum fitarum, laborantes haberi; curam tamen & integram, & perfeverantem has fcirrhi fufpiciones plane abigere. Concludere hinc debui plures dari, quibus immodicus ventriculi acor fere indomabilis adeffet, quibus debilitas ventriculi foret infuperabilis, quosque a flatibus, a fpafmis, a convulfionibus primarum viarum liberare, ferme impoffibile videretur; licet nunc antacida, nunc paregorica, alio tempore purgantia, alio iterum roborantia, & carminantia dicta, ipfis fæpius exhiberentur; eo quod optima hæc remedia nec fufficiente copia, nec tempore haud interrupto, nec multa horum fociata, nec longo poft fymptomatum filentium tempore, fumerentur.

§. III. Quamvis hæc ita fe habeant, ultro tamen fatendum eft, ventriculi, œfophagi, pylori, partiumque hisce vicinarum fcirrhum, morbum frequentem effe, quem palliamus potius, quam curamus; nifi initio advocati, & figna ejus certiora contemplati, quam quidem in cafibus §. II. leniffimis folventibus, & præprimis copiofiffimo, eodemque pertinaci mellis ufu, nafcentem hanc diathefim diffolvamus. Hinc juvat mente præfentia hæc figna gerere, quæ Ars obfervando detexit.

 Sunt

Sunt 1. causæ prægressæ, ut v. g. ventriculi inflammatio, nec benigna resolutione, nec critica evacuatione soluta. 2. Mali diuturnitas. 3. Pertinacia ejusdem ad selecta remedia. 4. Vomitus frequens sub actu digestionis. 5. Loci pondus. 6. Dolorum moderamen a fortiore ventriculi, abdominisque compressione. 7. Ventris externi tactus. 8. Vitia affecti visceris, quod, defectu secretionis, corporis œconomiam plus, minus, turbat.

Exacte locum determinare indurati tumoris, sive ipso in ventriculo hærentis, sive ejus, qui in vicinia natus ventriculum premit, facile nonnunquam datur, aliquando difficulter, sæpe vero neutiquam. Tot hinc in consultationibus litigia. Versati utcunque in Anatomicis Medici, qui semel iterumque Pancreas scirrhosum invenere; idem posthac perpetuo accusant: legerunt alii, videruntque ex ipso Mesenterio enatum tumorem, qui sursum vergens ventriculo in functionibus suis impedimento fuerit; nihil in posterum, nisi Mesenterium clamant. Sic iterum alii aliud. At vero ingenue fateamur certa signa rarissime dari, quæ ex innumeris causis veram determinent, quæ locum, quo tumor hæreat, quæ viscus, quod occupet, quæ modum impedimenti, naturamque, examussim explicet. Cadavera passim nos erroneæ convincunt sententiæ. Exemplis videre juvat.

§. IV. Perillustris ac longe doctissimus, expertissimusque Vir, *G. Macneven o Kelly ab Agrim*, Fac. Med. *Prag.* Director sapientissimus, consummatus Pathologiæ ibidem Professor, verum nostræ artis ornamentum, edidit 1760. Dissertationem de *Raro Ventriculi casu*, in quo vomitus ingestorum vix mutatorum, in provecto admodum morbo, impedimentum circa Pylorum hærere indicabat. Probabilis sane hæc dicta de causa sententia erat; haud tamen ita, ut una constaret utrum in ipsa Pylori substantia, an in circumjacentibus par-

partibus, hæreret id, quidquid esset demum, obstaculi. Cadaveris autem sectione patuit scirrhum adesse, eumque ita totum ambitum occupare Pylori, ut transitus per illum vix setæ mediocri concederetur. Eo obstaculo effectum id, ut eam sensim in molem creverit ventriculus, quæ, sacci instar, universum expleret abdomen, suoque fundo inter Rectum & Vesicam insinuans sese, simul causa tenesmi extitisset, frequentisque stranguriæ. Ingens adeo hic ventriculus, ut, referente claro Autore, „ filum arcui majori circumductum, antequam evacuaretur, ulnam Bohemicam, cum tribus „ quadrantibus, & duobus pollicibus æquaret: minor „ arcus tres daret quadrantes, cum uno pollice."

2. Apud *Riverium* observatio *A. Jodon*, *Antissiodorensis* Medici, habetur, hominis nempe qui integro triennio cum tumidissimo ventre *sine vomitu* conflictatus, demum febre & anxietatibus emaciatus, periit. Ipsus *Jodon*, qui historiam narrat, anatomen fecit. Hydatis magna in medio pendebat Pyloro, hydatidibus tota scatebat universi ventriculi interior superficies: liquidum vero in hoc ventriculo contentum *nonaginta librarum* pondere fuit. Ventriculus medius dissectus, superabat ulnam *Parisiensem* (quæ media parte *Viennensi* longior) ambo ventriculi ora fere juncta erant. Hic autem homo cur non vomuerit? Quia ventriculus cum Peritonæo arcte connatus. Igitur hic videmus casum, in quo cum omnibus vomendi causis vomitus impossibilis. *Blancard* Cent. 1. N°. 84. vel ipsissimam historiam habuit, vel eam *Jodonis* inter suas retulit.

3. Et rarior ille casus, quem Part. 5. Cap. 2. pag. 18. *Rat. Med.* dedi, in quo ventriculi pars prope Pylorum, ipseque Pylorus, Omenti parvi *Winslowi* crassa duraque productione premebantur, ac præterea peculiari extrinsecus adnato tumore Pylorus compressus erat; ille, inquam, casus vomitum cetera inevitabilem, tamen impossibilem fuisse ostendit, præ ponderosissimo,

rigidissimoque omento, ventriculum immobilem figente.

4. Quid mirabilius, quam quod 10. Aprilis 1758. in publico auditorio circa hoc ipsum negotium demonstraverim! Ventriculus primo formabat lagenam, sinistrorsum productam, $3\frac{1}{2}$ pollicum; deinde ex fundi sui latere dextro tubum emittebat, diametri sex linearum, qui pedetentim ad sesqui pollicis amplitudinem latescens, longitudinemque $4\frac{1}{2}$ pollicum æquans, demum pylorum formabat, & in duodenum abibat. Pinguis moles ventriculo adnata, magnamque adepta duritiem, in causa fuerat, cur ventriculus hanc assumsisset figuram. Interim homo hic, cujus morbum Cap. 10. probl. 8. enarrabo, ante ultimum suum ac brevem morbum nunquam vomuit. Cujus miri phænomeni si a me causa quæritur, aliam non novi, nisi quod Natura nonnunquam sese monstrosis accommodet. Et quidni? Antiquos scirrhos in cadaveribus reperimus, qui sui signa ita per annos dederint, ut homines subinde per plures septimanas, mensesve, a quovis dolore ac vomitu liberi vixerint. Cur, quod per menses, id quoque non posset per annos, non posset per totam contingere vitam?

5. Aurifaber *Riverii* Cent. 1. N°. 90. ingentem pancreatis ac mesenterii scirrhum gessit, qui pylorum, jejunique principium, ita angustaret, ut omnis fere præcluderetur transitus, quique dolores crearet enormes. Hic homo a tribus saltem mensibus, antequam adesset ipsi *Riverius*, & aliquo adhuc postmodum tempore, neque sponte vomuit, neque dato Emetico vomere potuit, nisi eodem repetito; quamvis ventriculus materie esculenta & potulenta plenus a morte inveniretur. Cur non vomuerit, data historia non exponit: cum autem ex natura morbi vomere debuerit, nec vomuerit tamen, videmus plures dari, qui cum omnibus vomendi causis neutiquam vomant.

§. V.

§. V. Igitur ut in quibuscunque fere aliis morbis, ita quoque hic miras detegimus exceptiones. Cæterum, si nec ventriculus manifesto aliis de causis a vomitu impediatur, nec forte ærumnis hisce assuescat sic, ut inde ad vomitum non proritetur, solent passim id genus hominum vomere, hocque mox, aut brevi post assumpta; quæ tunc fere immutata prodire cernas. Centena id demonstrant exempla. Novendecim anni sunt, quod publice ediderim Anatomen feminæ, perpetuo vomentis immutata sæpe ingesta; qua constitit omentum geminos digitos crassum adhæsisse ventriculo, jecinori, intestinis, colo, jejuno, duodeno, omnesque has partes in unam veluti fasciam, contraxisse.

Obiit 19. Aprilis anni præsentis prænobilis sanitatis Consiliarius, ac præstantissimus Medicus, *Leopoldus Erndl*, qui sane noverat 15. annorum spatio immedicabilem sui ventriculi morbum, vomitusque frequentes, prudentia, & solertia sua ita palliare, & moderare, ut in 45. ætatis annum vitam suam inter labores practicos, Vir Deo & hominibus carus, produxerit. Invenimus porro ventriculum sic se habentem: primo instar inversæ lagenæ longitudine $8\frac{1}{2}$. pollicum, ad umbilicum fere usque descendebat, inde angulo facto assurgens, atque canalem quatuor pollices longum formans, ad Pylorum petebat.

Porro hujus miri phænomeni gemina patuit causa mechanica; quarum prima ventriculus in genere extendendus, altera in hanc præcipue formam mutandus fuerit. Scilicet pancreas sensim indurescens, auctaque tumescens mole, compresserat retroflexum a Pyloro duodenum; quo effectum id, ut duodenum contra vertebras dorsi pressum, chymum ventriculo pulsum sæpe retardaverit, imo demoratum sit. Hæc igitur vera causa ventriculi universalis distensionis, utpote accipientis, nec nisi per lucida intervalla dimittentis. At vero immensum jecur æque in toto latere sinistro, quam

in dextro, ultra umbilicum productum, ſic formatum erat, ut ſub lobo ſiniſtro ſuo, utpote tenuiore, ventriculus in craſſæ lagenæ ventrem abire potuerit; lobo autem dextro admodum craſſo, idem ventriculus non potuerit in latus diſtendi; ſed unice ſupra umbilicum, ubi aliquod ſpatium inter utriusque lobi pendentis crepidines nactus, anguſtus plane ille ut oblongum lagenæ collum, aliquantiſper decurrebat, & angulo facto asſurgebat, itidemque ſub craſſiſſimo lobo hepatis dextro, anguſtiore tubo ad pylorum pergebat. Ita ut evidens ſic fiat, quod dixi, duodeni compreſſione oportuiſſe, ut univerſus ventriculus ſenſim diſtenderetur; monſtroſa jecinoris forma contigiſſe, ut in ſua diſtenſione ventriculus in hanc figuram potiſſimum mutaretur.

§. VI. Expedit meditationem ſuper hisce malis ultra producere. Viſcera cava, Tumores cyſtici, Aneurysmata, uno in corpore reperiuntur eo tenuiora, quo expanſiora; in alio vero quo ampliora, eo craſſiora. An lenta extenſione, craſſitudinem; cita, tunicarum extenuationem referant? id Anatome non ita admittit. In hiſtoria *Ill. Mac-neven*, ut ſenſim mole ventriculus, ita & crevit ſubſtantia. E contrario ſcirrhus ingens *Octaviani a Taxis*, Pylorum *ſenſim* anguſtando, in cauſa quidem fuerat, ut in immenſum ventriculus diſtenderetur, haud vero ut augeretur craſſitie, cum *Hög ſtettero* ſolito tenuatior inventus ſit: & licet optimi *Erndl* ventriculus non niſi lentiſſime diſtentus ſit, incraſſatas tamen tunicas non habuit. In cadavere cujus hiſtoriam Cap. 9. §. 2. dabo, cupido me invaſit capacitatem menſurandi ventriculi, qui lenta & continuata per annos epulatione pedetentim in magnum ſaccum abiverat. Menſura male capta fuit, nam antequam pylorum ligaremus, neglexeramus ventriculum a multa copia contentorum, qua utcunque turgebat, exonerare. Nihilominus quinque menſuras, ſive viginti libras aquæ commode infu-

di-

dimus, plus infusuri, si ejusdem prope œsophagum tenuitas, qua illum digitis ad infundendam aquam dilatabamus, profunde dilacerata non fuisset. Ut eo loco, sic ubique membranarum ventriculi tenuitas deprehendebatur.

§. VII. Differentia igitur magna in ampliato ventriculo, lente quantumvis distento, observatur. In vesica fellea, & urinaria, pro distensione tenuitas crescere solet. Sed quid demum de utero est?

Galenus l. de uteri Anatome cap. 8. pag. 280. apud *Charterium* in Tom. 4. ,, uterus in principio conceptus ,, crassus, cum prope tempus pariendi accedit, magnus quidem sed tenuis: crassitudo enim in longitudinem extensa absumitur,,. Eodemque *Charterii* Tomo pag. 653. *Galenus* idem repetit lib. 14. libr. de usu part. cap. 14. Cum subsequentium sæculorum autores, & Arabum schola, non nisi in *Galeni* verba jurarent, nec facilis daretur occasio examinis gravidi uteri, mirari non oportet, quod in postrema usque hæc tempora apud omnes passim Medicos, imo etiam celebres Anatomicos, v. g. *Vesalium*, receptissima sententia hæc fuerit. Contrarium tamen asseruerunt *Du Laurent*, *Riolanus*, *Bartholinus*, *Plazzonius*, *Harvæus*, aliique. Sic demum magna hæc quæstio devolvebatur ad *Moricæum*, qui antequam sua ederet, jam magnam vitæ partem circa uterum, & in utero triverat. Audacter ille *Galeni* sententiam tuitus est, & putavit meridiana luce se eam clariorem demonstrasse. Putat *Moricæus*, plures ideo supposuisse non extenuari gravidos uteros, quod viderint crassiores eosdem manere, qua parte placentam habeant, statuerintque ut ibidem, ita se habere ubique; porro id falsum esse, & uterum cæterum pro ratione extensionis tenuiorem fieri. La *Motte*, *Trew*, *Moëbius*, pluresque alii, uterum saltem non minui a naturali in non imprægnatis crassitie; *Sylvius*, *Heyster*, *Palfinus*, aliique uterum scribunt crassiorem naturali reddi. In-

Incomparabilis *Albinus* hic præprimis laudandus, qui nobis naturali forma dederit uteri gravidi figuras egregias, varioque aſpectu contemplandas, in quibus uterum cernimus, minime pro ratione extenſionis extenuatum. Egregius, & vere doctiſſimus *Noordwyk*, in ſua uteri gravidi Anatome in 4to edita 1743. idem in utero, forte 5. menſes gravido, demonſtravit. Tandem teſtis autoptes rem pulcra occaſione contemplatus ſum *Hagæ Batavorum* 26. Maji 1751. Gallica femina ſeptem menſibus gravida, infantis ad finem usque experta motum, phthiſi pulmonali moribunda jam, Rev. P. Carmelitæ *Cyrilli* cura omnis eo tendebat, ut mox ab ejus morte tentaretur, an civis Reipublicæ, an Eccleſiæ membrum, ſubita ſectione ſervari forte poſſet. Hinc rogabar, ut proximis in ædibus cum Chirurgo, eo fine præſentem me ſiſterem. Unde quo momento moriebatur, intrantes examinabamus, num vere mortua eſſet? maritumque & feminas adſtantes rogabamus, num vere mortuam eam crederent? annuentibus cunctis opus aggreſſi ſumus. Uterum dextro in latere incidentes, vitaturi placentam, in eandem pervenimus tamen. Hinc fruſtra copioſum ſanguinem vi ex vaſis linearum duarum lumine vidimus proſilientem. Oppoſito igitur in latere mox ſecantes digiti ubique craſſitudinem uteri offendimus. Craſſior antea certe fuit, cum ab ipſo primo ſectionis inceptæ momento rivatim effluens cruor aliquem craſſitudinis collapſum effecerit oporteat. Membranis pertuſis vi aqua proſiliit, infansque facie prona coxygem matris verſus educebatur. An id elidit communem ſententiam infantis ſe capite deorſum circa ultima graviditatis tempora duntaxat vertentis? Mortuus jam erat infans. Placentam prudenter ab uteri parte dextra ſeparaturus, hic facile, ibi eam non niſi aut ejusdem, aut uteri læſione, ſolvere potui. In magna plaga facillime ſeparata Placenta, ſinus vidi plures, lacunasve, utero contiguas, cruore plenas, ſed ute-

uteri in eadem plaga detersa superficies nihil mihi aperti, nihil ostendit sinuosi. An uteri ibidem sectio primum facta, mutavit quidquam? Lineas quasdam albescentes, fibras referentes, vario modo per uteri fundum dispersas vidi; quæ an ipsissimæ illæ sint, quæ *Ruischio* ideam muscularis ibidem fabricæ dederint ignoro. Sed nihil difficilius fuit separatione Chorii ab utero: quantacumque enim prudentia id separare contendebam, erat cellulositatis & vasorum tantum robur, ut vel uterum lædere, vel membranæ Chorii lacinias deberem relinquere. Amnii a Chorio separatio facillima sine ulla læsione. An si peperisset hæc femina, membrana Chorii non mansisset utero affixa? & forsitan Placentæ pars? Confirmabit hanc veritatem historia uteri, sanie pessima distentissimi, & in sua substantia pollicem crassi, quam Cap. 8. §. 2. dabo.

Atque hæc de utero dicta sufficiant, ut convicti simus nonnisi similium experimentorum raritate contigisse, ut uteri gravidi extenuationem falso plurimi statuerint; & ab altera parte, ut inventam ejusdem 2. 3. 4. pollicum in fundo crassitudinem ad præternaturalia forte relegamus.

Solent etiam tubæ Fallopianæ, Ovaria, Hydatides, Cystici in superficie corporis tumores, eo crassiorem habere tunicam, quo plus extenduntur. Sic habui tubam Fallopianam hac hyeme septem librarum; his diebus aliam, quam ob dissectionis distinctioris causam dilacerare ubique debui, adeoque ponderare non potui, sed plures certe libras habuissem. *Cyprianus* saccum hydropicum, ex tuba formatum, & 150. libras aquæ continentem, invenit librarum 30. pondere. Politi & æquabiles raro hi sacci sunt, passim aut alterutra, aut utraque superficie inæquales, tuberosi.

§. VIII. Unde demum patet scirrhos aliosque tumores Mesenterii, Pancreatis, Pylori, Omenti parvi, ac magni, Renis, (quem sex circiter libras pendentem

præ-

præterito anno publice demonſtravi), varios ventriculi morbos, ingeſtorumque vix mutatorum vomitum generare poſſe, nec tamen ſigna pathognomica adeſſe, quæ clare arguant, quænam potiſſimum pars hic peccet, adeoque ſæpe nos ignorare utrum protopathicus ſit, an deuteropathicus ventriculi morbus.

Equidem ventriculum circa pylorum comprimi ex ingeſtorum fere immutatorum vomitu concludunt Practici, dum vident cætera viſcera inculpate ſe habere; ſed falluntur, dum nonnunquam vitium totum in externis Abdominis partibus modo hæreat, cujus en exempla!

In Tom. 1. Act. Chir. Pariſ. *Garengeot* deſcripſit nobis Herniam ſub cartilagine enſiformi, a ſecedentibus binis rectis Abdominis muſculis, illudque in ſpatium prolapſa parva ventriculi plaga. Aliam Herniæ ventriculi ſpeciem habet, dum pars ejus prolabitur ab utroque latere ejusdem cartilaginis, in illo triangulari ſpatio, quod inter illam, & marginem vaginæ muſculorum rectorum intercurrit; quo in loco vaſa ad muſculum pectoralem aliasque pectoris externas partes tranſeunt. Cauſam eſſe eam credit, quod ſolius Obliqui externi muſculi, (non vero ut alibi, Obliqui interni, Transverſique), Aponeuroſis, hanc formet vaginam. Poſt *Camerarii* & *Renealmi* autoritatem, laudat etiam collegas ſuos, *Andouillé*, & *Arnaud*, ut qui ſimilia obſervaſſent. Hiſtoria adjecta evincit innumeros fere Medicos in Europa & America, annorum ſpatio, deceptos fuiſſe, dum pertinacis morbi cauſam ad varios affectos locos; & propter ingeſtorum vix mutatorum ejectionem, alvumque incredibili temporis ſpatio pertinaciter ſemper clauſam, ad Pylorum, vel ſaltem ad proxime adjacentes partes, referrent: interea dum attentum examen loci demonſtraverit veram ventriculi Herniam in cauſa eſſe, quam idonea compreſſio & ligatura vel curare, vel ſaltem, ut non noceat, palliare potue-


tuerit. Ut proinde in causarum vomitus immutatorum ingestorum recensione, etiam opus sit ad hanc miram attendere causam.

At nihilominus judicio hic opus. Quotidie videmus, & prostant adhuc exempla in nosocomio, internas pectoris suppurationes viam sibi in variis pectoris plagis quærere, & iisdem omnino locis, quos dixi, formare tumorem. Adeoque non omnis ibidem tumor Hernia ventriculi est: quam tamen ut talem suspicari quis posset, licet vix vomitus adesset, quandoquidem etiam inguinalis & femoralis Hernia per annos aliquando sine vomitu adsint. Egregius *Foubert* eodem Chir. *Paris.* Tomo primo, ejusmodi casum describit, quem nonnulli Practici Herniam ventriculi esse crediderant, quem tamen ex præsentia Phthisis pulmonalis, pressique undulatione tumoris, purulentum pulmonis tuberculum esse asseveravit. Lubenter ut tale aperuisset, nisi oppositæ Medentium sententiæ, & conclamatus fere ægri status, eum cohibuissent. Inspectione porro cadaveris intellexit salutarem forte futuram fuisse aperturam viæ, quam pus ex concreto ibidem pulmone sibi quæsiverat.

Sed & hanc aperturam periculum habere suum, Part. 5. Cap. 6. a pag. 83. ad 85. demonstravi, ubi omnia signa puris ex pulmone eo pergentis aderant, & Aneurysma tamen sub pure latitare deprehensum est.

Tandem ingestorum vomitus inseparabilis causa inventa fuit ab omnibus hucusque recensitis prosum aliena. Duo exempla notabilia habet *La Motte de Re Obstetr.* Lib. 4. Cap. 17. Obs. 375. alterum matris suæ, alterum gravidæ feminæ. His intropressa ensiformis cartilago ventriculum in continuos egit vomitus. Feminis his, thorace in genua reflexo, cartilaginem digitis suis extrorsum duxit, hincque irritatione perpetua ventriculi ablata, curavit vomitum. Addit casum fre-

quentiorem esse, seque plures cujuscumque ætatis & sexus ab indomabili cæterum vomitu sic curavisse.



CAPUT VIII.

De Vario Hydrope ac Tumore Abdominis.

§. I. *Tuba Fallopiana sinistra pendens Lib. 7. continens 32. Libr. liquidi. Disquisitio super puris generatione in hac femina. Etiam in Virgine uterinum systema inflammari, ac suppurari potest.* §. II. *Possibilitas demonstratur conceptus & incrementi fœtus in Tuba Fallop.* §. III. *Exemplum notabile extensarum ac materia repletarum ambarum tubarum, uteri, ac superioris Vaginæ partis, una cum vulgo dicta Imperforatione, sive Atresia. Digressio occasione Atresiæ, ejusque variæ species, ac curandi modi. Incurabilitas. Aliud mirum Atresiæ exemplum, cum addita cura.* §. IV. *Tumores Ventris notabiles ab Hepatis, vel Lienis, vel utriusque, sanissimi, mole duntaxat aucta, juncto illi, aut non juncto, Hydrope. De incertitudine Diagnoseos in cunctis enarratis casibus.* §. V. *Novum genus tumoris cystici, quem Parisinorum methodo tractare natura ipsa indicabat; quemque incurabilem fuisse Anatome docuit. Novoque exemplo confirmatur id, quod ad* §. I. *de puris generatione dictum.*

QUamvis in pluribus hujus operis capitibus de vario Hydrope ac tumore Abdominis egi, abruptam tamen retexere telam cogor novarum observationum multitudine, quæ antedicta partim corrigant, partim augeant, confirmentque.

1. Femina 30. annorum innupta, bonæ famæ, ruricola, elapso abhinc quadriennio quartana laboraverat; quam debellare petitis undique, ut ruri potissimum fit, ad

ad id remediis, quocunque modo ſategerat, ac debellaverat tandem. Febre libera, menſtruis caruit, tumoremque mox in ſiniſtro hypochondrio animadvertit, ſenſim creſcentem eique demum univerſi abdominis junctum Aſciten.

In *Noſocomio Pasmanniano*, ab optimo ibidem Phyſico Dno. *Collin* ſuſcepta, & deobſtruentibus atque diureticis ex arte tractata, a Menſe Auguſto 1760. multum lucrabatur. Sed anno hoc 1761. ineunte, anxietate victa Paracenteſin ſubiit, eaque aquoſi quidem nihil, liquidi autem gelatinoſi libras 24. Medicas emiſit. Detumeſcente inde ventre eo manifeſtior, palpabiliorque tumor deſcriptus percipiebatur. Malorum cumulo pectore tanta ſubito copia puris erupit, ut ſuffocaretur, & repleta pure tota trachæa inventa ſit. Tumorem hunc una cum Utero, Vagina, Recto, exſciſſum, Dus *Collin* ad me, publicæ demonſtrationis ergo, perhumaniter miſit.

Primo totum ponderavimus. Libras Medicas 31. æquabat. Deinde omnibus vero in ſitu poſitis; evidenter conſtitit Tubam Fallopianam ſiniſtram eſſe, quæ tumorem formabat, adeſſe ceterum Ovarium, quod naturalem haud multum excederet magnitudinem. Porro ex hac tuba extraximus liquoris purulenti albi 18. libras. Tubæ ſubſtantia, ſeu membrana tumoris hic duas, tres illic, lineas craſſa, erat intus a pure eroſa, ac lacera, extus vero vaſis quam plurimis dives; quæ tamen minoris diametri erant, quam quidem ea aliis occaſionibus videram.

Aſt tumori huic ſic aperto alius reperiebatur incluſus, membranæ ſuæ craſſitie ut prior, continens liquidi fuſci, tenuioris ac turbidi, libr. 4. Si unica libra addatur, quæ inter examen effluens, capta erat, ſi dematur pondus uteri & inteſtini recti, ac veſicæ, Tubæ degeneris pondus ſeptem librarum fuit, & liquidorum libr. 23.

Ut febres intermittentes sæpe salutares sunt, ita non raro vel per se, vel male curatæ, perniciem inferunt, obstructione pertinaci, & catameniorum defectu. Tuba vitiosa ostendit, quemadmodum ubicunque locorum degenerascere inde corporis partes variæ potuissent, ita nunc se potissimum pati. Undenam vero dum nihil inflammationis in tota anamnesi habetur, dum corpus videtur a diathesi phlogistica prosus alienum, undenam, inquam, tamen pus in sacco Tubæ? undenam pus in pulmone, tam copiosum, ut ruptis repagulis suis totum spatium aëreum pulmonis inundaverit, suffocaritque feminam? Sane ea nostrorum natura humorum est, ut citra topicas inflammationes, citra phlogisticas febres, diathesin inflammatoriam contrahant, eamque conservent perpetuo. Tomo 1. Cap. 11. hanc veritatem, nisi me animus fallit, demonstravi, & novis exemplis reliquorum annorum decursu evidenter confirmavi. Imo ex ipsis intermittentibus pus posse generari, *libro de Febribus Cap. ultimo* invictis probavi exemplis. Phlogistice igitur noster cruor degener, aut naturalibus viis se eliminat, ut v. g. pulmone, rene, intestino; aut nova sibi via facta effluit, ut naribus, auribus, pudendis; aut format sibi receptacula nova; aut denique vias varias adit. In hac femina, & novum sibi receptaculum fecit, & obruit pulmonem. Et ne quis ob Tubæ hujus degenerationem feminæ hujus virginitatem suspectam habeat, monere debeo etiam totum genitale systema mulieris æque sedem degenerascentis humoris fieri posse (licet ea innupta, castaque sit) quam aliam quamcunque partem. Analogia utique id docet; plura Sanctimonialium exempla probant, & tertia ordine enarranda historia invicte id demonstrabit.

II. *Cyprianus* ita Tubam descripsit, quæ libras 30. pendebat, & aquæ libras 150. continebat. Dum igitur quis hanc, & præcedentem historiam contemplatur, evidenter intelliget, qui fieri potuerit, ut maturi fœtus aut

aut inventi aliquoties in Tubis fuerint, aut vivente matre, sive integri, sive frustulatim, per aperturam umbilici, abdominisve, a natura factam, vel indicatam saltem, educti fuerint. Ipse *Abraham Cyprianus* olim *Leovardiæ*, pluribus & Medicis & Chirurgis præsentibus, eduxit fœtum maturum post 21. menses a conceptu elapsos, ex umbilico: huic quippe connata ingens illa Tuba, ibidemque inflammata ac suppurata, iter omnino liberum ad fœtum, ope placentæ adhuc cum Tuba sua nexum, concesserat.

III. Tuba ut alterutra, ita utraque potest affici. Longam, sed per omnia notabilem, historiam hic dabo; quæ quamvis plura continet, quam ad præsentem nostrum scopum faciunt, ad praxin tamen summopere omnia spectant, integra omnino enarranda est.

Virgo 24. annorum ab octo retro annis quodvis auxiliorum genus, ad menses provocandos, frustra experta, totum suum Hypogastrium tumidum, durumque habebat: quam duritiem durissima sed æquabilis zona ad umbilicum, per universam Abdominis amplitudinem terminabat. Octo annis miseriarum elapsis, demum ab obstetrice Atresia laborare deprehenditur: examine a præstantissimis Medico & Chirurgo repetito id confirmatur.

Unde hi 25. Jan. 1761. operationem instituere. At vero imperforatio sola hic non aderat, verum etiam tanta partium, situ, figura, structura, immutatio, ut impossibile plane fuerit operationem debitam perficere. Hymenis quippe lata facta sectione, stylo prius, deinde digito, amplum in cavum penetrantes, concludere debuerunt in vaginam penetrasse se se; conclusionem confirmari merito crediderunt prosilientis ilico nigerrimi sanguinis, ex facta apertura, copia. Ita nempe solet res in bona operatione se habere. Sed certe ne sic quidem perforatam ullatenus virginem fuisse eventus docuit. Languens a longo tempore virgo triduo

post obiit. Optimi illi viri veniam secandi cadaveris solicitaverunt, eamque adepti, me ad sectionem perhumaniter invitaverunt. Rem igitur sic invenimus.

Uteri stupenda moles, monstrosæque utrinque Tubæ, tumorem una formabant, qui totum hypogastrium explens, superiore sui parte illam zonam constituebat, quæ in vita deprehensa fuerat, totum veluti ventrem intus cingere. Multa copia nigræ turbidæ fætentis aquæ deprehendebatur cavum in ventrem effusa, sed examine constitit ex parvis hinc inde tubarum putridarum aperturis eam profluere. Ruptura sane hæc videtur mortis causa fuisse. Ovaria vix solitam figuram excedebant.

Ordine sic ad contemplandam vaginam ducebamur. Patuit Hymenis sectionem sufficienter amplam factam esse, ita quidem ut si vagina alias se secundum naturam habuisset, hæc eadem sectio Hymenem, adeoque vaginam, egregie aperuisset. Quoad modum sectionis Hymenis; *Celsus* eam binis se invicem decussantibus incisuris fieri oportere scribit; cui adstipulatur *Benivenius*: *Job van Meckeren* unica cæsura, sed obliqua, ut ne lædatur urethra: *Wierus* facta parva apertura ope novaculæ superius, ne urethram lædat, obtusæ, inducit instrumentum obtusum, digitumve, & prudenter tunc hinc & inde ad latera perscindit membranam. Alias idem *Wierus* speculum incurvum immisit, cujus dens superior urethram, ne læderetur, tegebat. *Aquapendens* unica, eaque recta sectione operationem perfecit. *Aquapendentem* optimi viri hi secuti, recta, eaque unica sectione, membranam aperuerunt. Monui antea omnes partes præter naturam se hic habuisse. Igitur sectio eorum in qua peragenda urethram evitare studuerunt, nunc inveniebatur per urethram in ipsam penetrasse vesicam; hinc illum omnem nigricantem cruorem facta sectione prosilientem, non nisi ex læsis prosiliisse vasis concludebant: adeoque quantumvis evitare u-

urethram ſtuduiſſent, videbant ſe ob præternaturalem mox exponendam partium ſtructuram, id præciſe, quod evitare conati erant, effeciſſe, adeoque concludebant tutius ſe impoſterum non *Aquapendentem*, ſed alios, qui obliquam inciſuram commendaſſent, ſecuturos; cum præternaturalis conditio partium nequeat prævideri.

Igitur Hymene perſecto, ne veſtigium quidem Vaginæ adfuit, ſed ſolidum corpus totam vaginam explens, pollicis diametrum, in amplitudine, ſesqui pollicem in altitudine habens, eoque modo cum vagina unitum, ut proprie loquendo, ipſa vagina videretur undique incraſſata fuiſſe, & ita in medio vaginæ centro, coagmentata, ut non niſi unicum ſolidum, ſine concretionis veſtigio, repræſentaret. Porro ſupra hoc carnoſum ſolidum corpus, cavæ vaginæ erat portio, eaque adeo ampliſſima, ut caput infantis capere poſſet, plena ſanie fuſco-nigra; Tubæ immenſæ utrinque molis eadem materia diſtentæ, licet hinc inde per foraminula multum ejusdem in cavum ventrem, quemadmodum ſupra jam narraveram, profudiſſent. Uterus pollicem in ſubſtantia craſſus, ingenti ampliſſimoque ſuo cavo eandem nigram ſaniem continuit.

Igitur virgo, de cujus virginitate illibata nulla unquam quæſtio erit, poteſt vaginæ, uteri, tubarum ambarum degenerationem tantam pati, quantam unquam gravidæ aut puerperæ; quod ſupra promiſeram demonſtrandum.

Singulare certe Atreſiæ exemplum eſt, cui ſimile me legiſſe, aut audiviſſe, non memini. Id tamen ex hiſtoria Medica concludi oportet, quod varius omnino ſit in hoc vitio Naturæ luſus. Primo deſcribitur Atreſia cum Hymene integro, eoque vel clauſo omnino, vel, (ut *Wolff* apud *Schenckium*, ut *Wierus*, ut Celeberrimus *Albinus* Exert. Acad. Lib. 4. Cap. 10.) rotundo foramine perforato; quod vel parvum omnino erat, vel

quemadmodum *Fallopius* viderat, digitum, aut ut *Albinus* in adulta femina detexerat, penem virilem admittebat. Imperforationis, membrana integra, aut leviter modo perforata, natæ, videtur meminisse *Hippocrates* Lib. de Sterilibus apud *Charter.* Tom. 7. pag. 851. Libro de natur. Mul. Cap. 68. Lib. de morb. mulierum Cap. 22. pag. 743. ut & *Celsus* Lib. 7. Cap. 28.

2. Imperforatio detecta a *Ruyschio* est Obs. 22. primo ab Hymene, qui perforatus, dein ab alia altiore membrana imperforata. Parturienti huic feminæ debuit discindere utramque. Etenim per Hymenis foramen impraegnata erat, via inde ad uterum tunc temporis libera; post impraegnationem vero videntur laxissima vaginæ latera mutuo se excoriasse affrictu, mutuis coivisse parietibus.

3. *Celsus*, *Aquapendens*, *Ruysch*, a vero vaginæ coalitu solo Atresiam observarunt.

4. Hymenem non connatum, sed vitiose generatum. *J. N. Pechlinius* in Observ. phys. med. observavit, ab urina nempe acri, vulvam excoriante puellæ; ita ut a coalitu primo laterum in uno puncto, eorundemque iterum inde recessu, vera formaretur membrana.

5. Vidit idem *Autor* Nymphas & caruncula circa futuros menses ita crescere, ut vulvam, eo, inquit, modo clauderent, quo cor valvulæ tricuspidales; veroque glutine ita coirent, ut femina vi quadam hoc veluti sepimentum digitis removere, quo sanguis effluere posset, debuerit.

6. Atresia cæterum in vaginæ substantia ex tumoribus natis, viamque proinde plus minus angustantibus; eadem orta a vaginæ tumore, qui ad 2. 6. imo ad 12. libras extra vulvam pendebat; imperforationis denique species ea, quæ ab uteri vaginæque prolapsu, quem tempus induravit, adeoque ineptum reductioni reddidit; abunde describitur, & exemplis confirmatur a *Zacuto Lusitano*, *Ruischio*, *Boneto &c.*

7. Sin-

7. Singularitatem habet casus observatus *Simoni Schultzio* apud *Manget*. Bibl. Chir. Tom. 4. Hymen quippe ante urethram erat; ita ut urina parvo tantum foraminulo membranæ stillaret foras, pessimis cum symptomatibus. Perscindendo omnia curabantur.

Similem sed rariorem casum haud ita pridem in Nosocomio nostro habuimus. Juvencula 20. annorum, mensibus carens, ab anni retro spatio gravibus ventris doloribus corripiebatur. Cepti hi dolores supra umbilicum per latera se se, indeque ad pudenda diffundebant, tenesmos recti, vesicæque, exitantes. Pressis manu in hoc dolore inguinibus, urina promovebatur in paroxysmo, alvus vero sequente modo die demum sequebatur. Finito paroxysmo dolore toto eo die vacua ac sana fuit. Rediit similis exacerbatio die altera, rediit tertia, atque ita integro mense.

Advocabatur tunc optimus loci Physicus exp. *D. Josephus Schreyer*. Is a principio ad finem usque prudentis ac sapientis Medici partes explevit examussim omnes. Morbi symptomata mitigavit, dies nonnullos doloris expertes conciliavit, consilio cum Chirurgis inito Atresiam detexit, ejusque perforationem consilio Medicorum vicinorum, quod convocari petebat, voluit proponere. Parentes autem maluerunt *Viennam* adducere filiam, ac Medici sui epistolam afferentes me consuluerunt.

Aug. 19. proxime elapso, puellam examinans, Atresiam vidi. Hymen fuit fere ad labia vulvæ producta, anterius altius, ut quid superesset adhuc de vagina inter Hymenem & labia; posterius vero ad vaginæ finem erat sic, ut cum labiorum ac fossæ navicularis confunderetur substantia. A parte anteriore ultra lineæ, a vagina, distantiam, parvum foramen erat, quo inductus stylus primo difficulter adscendebat; prudenter autem postmodum agitatus, in vesicam urinariam libere pe-

netrabat. Utrinque ad latus foraminis levior eminentia erat, circa medium Hymenem ſenſim evaneſcens. An, quod nullæ Nymphæ repertæ, hæc veſtigia Nympharum?

Turgebat porro concava ſuperficie hymen, intropreſſusque pondus incumbentis deſignabat materiæ. An materies hæc ſanguis menſtruus collectus? Videbatur ſic: nam cum foramen in hymene nullum, niſi quod in urethram continuaretur, ſanguis menſtruus nullam elabendi viam habuit.

Prognoſin dubiam dedi. Brevem ſpopondi, felicemque curam, ſi hymenis præſentia unicus puellæ defectus eſſet: difficilem, ſi vagina, ſi uterus, ſi tubæ, ſi ovaria, notabiliter eſſent affecta, ut quidem prægreſſa ſymptomata forſitan innuebant: impoſſibilem, ſi caſus ſimilis illi, quem ſupra enarravi, exiſteret.

Circa ſectionis modum cum Chirurgo noſtro Dno *Leber* conveni, haud eſſe nobis ſectione recta *Aquapendentem* ſequendum, ſed obliqua *Jobum van Meckeren*, urethræ vitandæ ſtudio. Statim per aperturam prodiere ſanguinis nigri ac tenaciſſimi ſic, ut vix flueret, unc. xxx. Forfex dein latera incidens cruciatam fecit ſectionem *Celſi*, ut ne denuo latera coirent: magnaque turunda primum melle roſaceo, deinde digeſtivo illinita, ſuppurationem membranæ promovit. Cum urinæ exitus hinc impediretur, debuit prima & altera die toties educi, quoties urina urſit, poſtea vero libere ſecundum turundam effluxit. Emulſio paregorica illico ab operatione dabatur.

Brevi poſt operationem vix tumebat venter, ſed querelæ die illo, alteroque, fiebant moleſti ardoris ad vaginam, tertio die etiam ad Hypogaſtrium. Quarto autem die venter totus usque ad ſummum Epigaſtrium tendebatur magno cum dolore frequenti vomitu, & intolerabili plane febre. Ter vena ſecta, enemata emollien-

lientia & oleosa continuo injecta, cataplasmata admota ventri, decocta emollientia ac leviter subacida, paregorica, haustus oleosi multi, demum effecere, ut 7. die ab operatione, 4. die a nato ventris dolore, Febris illa continua mitesceret, & prodiret urina flava cum multo crasso, gravi, subpurulento, sedimento.

Verum inde non est judicata. Continuæ febri successit continua remittens, cum gravi exacerbatione matutina, cum gravissima pomeridiana: & quidem die tertio adeo vehementi, atque diuturna, tantoque cum vomitu, ut, ne hoc in paroxysmo moreretur, metueremus. Unde finito hoc paroxysmo, mox dedi misturam cum unc. ß. extr. cort. peruv. assumendam antequam sequens exacerbatio expectaretur, interea dum reliqua omnia interna continuabantur, externaque auxilia. Sic prosequendo vidimus hanc quoque febrim, hosque vomitus, 7. dierum spatio terminari.

Durante hac febre, urinæ semper pauciores quidem, at flavæ eædem, & constanter omnes gravi materie alba, puriformi, saturæ. Febre absente urinæ paulo copiosiores, simili autem materie perpetuo refertæ.

Alvus toto febrium tempore cruda enematibus prodiit; post corticis usum coctior, febre devicta sanorum instar, nisi quod a cortice fere nigra.

Toto morbi tempore injectio aquæ hordei cum melle rosaceo ter die in vaginam facta, eduxit primo tenacis sanguinis reliquias, deinde sæpius quid purulenti.

Quod ad ventris descriptum dolorem, ac tensionem attinet, id memorabile videtur, quod primo die a febre cessante in toto epigastrio dolor ac tensio cessaret, ex eoque tempore vomitus quoque siluerit; interea dum per universum quidem hypogastrium, maxime vero circa ilium sinistrum, summa, eaque dolentissima tensio observaretur; quod tertio die & hoc ilium sinistrum mollescere inceperit, dieque sexto nihil ultra aut do-

lentis, aut tensi exhiberet; quod etiam deinceps medium hypogastrium & ileum mollius indolentiusque sit, & dum hæc scribo jam ileum dextrum totum concidat.

An spes est materiem morbi continuatis ejusmodi urinis posse solvi? saltem hucusque omnis urina hanc materiem constanter gerit.

Interim difficultatem explicandi summam hic casus habet. Fuit olim tumor imo quidem in ventre animadversus, verum quia nil tumidi ac tensi primo post operationem tempore deprehenderimus, verosimiliter idem tumor a vagina, copioso sanguine immensum turgida, & uterum atque vesicam sursum trudente, oriundus fuisse videtur; unde etiam evacuata vagina, hypogastrium totum concidere debuit. Id si ita se habet, cur tertio ab operatione die ardor, quarto tensio ac dolor totius abdominis, cum vehementissima febre? Si liceat per analogiam quid proferre, in sectione calculi vidimus anno 1760. triste exemplum ejus, quod ut periculosissimum Lithotomi adeo formidant, scilicet ventrem ab operatione summe tensum, dolentissimumque, cum febre violenta. Nunquid ergo vulnera nervosarum, adeoque sensibilium admodum partium, ut vesicæ, hymenis &c. inexplicabili modo inflamment universum, aut externum saltem, abdomen?

Condonabitur, opinor, mihi hæc circa Atresiam digressio, quam explicatio, de variis abdominis tumoribus danda, necessariam utique & inevitabilem reddebat: abruptum retexam filum.

IV. Vir nobilissimus, bellicis induratus laboribus, procerus, hilaris, facetus, anno vitæ suæ 38. gravi contumelia afficitur, tacito animo concoquenda. Unde in summam, sed sine materie, ut loqui Ars amat, Melancholiam, dilabitur. Quindecim exinde elapsis mensibus, fortuna ridet, honosque ad contumelias prægressas delendas aptissimus, succedit. Sed, ô tristes mortalium

lium calamitates! radices adeo altas egerat prior animi affectus, ut corporea organa, viſcera, nervos, humores, inficiens, morbum nunc ex ſpirituali materialem produxiſſet, verumque generaſſet Aſciten. Nihil ars hic præſtitit. *Carolinis* thermis ſemel in anno, octenni ſpatio, æger uſus, Hydropis quidem experitur imminutionem, at vero duritiem primo ſiniſtro, deinde etiam in dextro abdominis latere, ſenſim creſcentem, animadvertit.

Varietas ſententiarum circa naturam morbi ingens fuit, eoque major, quo abdominis latex uno tempore copioſior, confuſiorem redderet affectarum contactum partium; alio iterum tempore parcior, contactum præberet liberiorem. Lien ſæpe accuſabatur, & his quidem infarctus, aliis vero ſcirrhoſus. Tempus fuit, quo tumor duplex, alter loco lienis, alter lapideus fere, ventriculo adhærere quibusdam viſus fuerit. Omentum poſtea accuſarunt, Meſenterium dein, tandem tympaniticum Coli tumorem. Biennio ante mortem Ill. *Præſes*, egoque, ſententiam rogati, reſpondimus nec quænam potiſſimum partes, nec quonam illæ demum modo, affectæ eſſent, determinare certo nos poſſe. Contigit autem ſemianno ante mortem, ut illum primum præſens viderim, examinaverimque; contigit idem aliquoties poſtmodum; hydrops nonnunquam minor, ſuſpicionem mihi lienis augere potuit, ſed firmam ſententiam pronunciare, frequens cadaverum, toties illuſionem Medicorum manifeſtantium, recordatio prorſum vetabat.

Extra urbem morienti non adfui, nec corporis aperturæ; ſed jecur & ſplenem corpore exemtum ad me miſerunt. Inſolitæ magnitudinis ac ſoliditatis ambo hæc viſcera, ponderavi; ac jecinoris pondus novem libras cum $\frac{1}{4}$. ſplenis autem 6. cum dimidia libras æquare deprehendi, ſolidum utrumque, ſed ne minime quidem ſcirrhoſum. Ergo & qui ſolum lienem accuſaverant,

&

& qui ſolum hepar, tum etiam qui ſcirrhum pronuntiaverant, erraverant. Neſcio, qui fiat ut in corporibus, quæ ceterum emacientur, & tabeſcant, viſcera nonnulla, ac præſertim jecur ac ſplen, in monſtroſam molem, eamque cetera ſanam, abeant? 21. Dec. 1758. publice exhibui ſplenem eadem, qua hepar, magnitudine, 4½. libras æquantem, ſubſtantiæ plane bonæ ac ſanæ; dum interim corpus a ſubito profligata intermittente febre obſtructum, & aſciticum, penitus contabuiſſet. Et 2. Jan. 1759. demonſtravi in corpore maxime cachectico, & vertebrarum omnium thoracis ac lumborum, oſſis ſacri, pluriumque coſtarum, peſſima carie demum peremto, hepar adeo magnum, lienem ita ingentem, ut nec legerim, nec viderim unquam, hæc bina monſtroſiora, doleamque exactum horum pondus in diariis meis deſiderari; ambo hæc viſcera ad pelvim usque extendebantur. Cap. 7. §. 5. enorme hepar, non morboſum omnino, in cachectico corpore quoque mirati ſumus. Dum viventibus has partes tangimus, vix, quid tangamus pro certo affirmare poſſumus, tumores enim meſenterio enati, renes monſtroſi, ſacci degeneraſcentium viſcerum variorum, ipſe ventriculus, licet vomitu nonnunquam ſui affectionem prodiderit, vel in alterutro, vel in utroque abdominis latere, ſimile quid, quod tale hepar aut lien, tactu exhibent. Cum autem, quo plura inciderimus cadavera, eo plures cauſas detegimus, quæ licet a ſe mutuo diverſiſſimæ, tamen eundem aut ſimilem contactum explorantibus exhibent, ideo diſcamus ſententiam propriam dubitanter proferre, ſaltem eam contra alia opinantes non acriter defendere. Si cadaver poſt mortem incidatur, demonſtrabit forte, quorumcunque erroneas ſententias eſſe, & cauſam mali aut nunquam adhuc obſervatam, aut ſaltem ab iis medentium in dato caſu alienam, dabit. Et ſi caſu quis rem acu tetigerit, & inde velit magnus videri Apollo, facile in proxime futuro

caſu

casu suam inscitiam, & vanitatem aperto cadavere demonstratam videbit. Ut clarius inde convincamur, perpendamus sequentem historiam.

§. V. Dec. 4. anni 1760. puerum decennem suscepimus, cujus en vitæ historiam! Primo vitæ biennio sat sane vixisse dixere parentes, facie tamen inflatum perpetuo. Bienni ipsi post clamores nocturnos, crus fuisse veluti contractum, quod frictionibus mater emendasset; idem denuo octenni contigisse, iterumque frictione emendatum. Variolis inter 2. & 3. vitæ annum laborasse, & integris sex mensibus exinde pectore anxium fuisse, attamen & medicamentis ad id datis reconvaluisse. Sanum utcunque præter ea, quæ nunc enarrata, infantiam, & pueritiam, hucusque transegisse, at comatosum tamen perpetuo, idque potissimum singulo autumno; frigidum quippe semper, mox ubi hypocausti ignis cubiculum calefaceret, vix ab eo removendum fuisse, atque hinc magis somnolentam hyeme vitam egisse, buccisque utrinque pendulis hyeme adhuc plus apparuisse.

Præprimis autem hic notamus ab Autumno 1759. quo & comatosum, & crure sinistro affectum, eum intelleximus, tumorem in sinistro hypogastrio comparuisse, quem mater diligenti attentione de die in diem prosecuta, supra pubem & inguen sinistrum primo, deinde ad cristam Ilei surgentem, sensimque ad costas, spinamque lumborum adscendentem observasse se ajebat, & spinam dorsi ipsam tunc notabiliter fuisse incurvatam. Tumorem ipsi examinantes, non in hypogastrio, sed supra cristam Ilii, inter costas spurias, spinam, & hanc cristam, locatum deprehendimus, eumque durum totum, excepta plaga ejusdem superiore, & ad spinam proximiore, quæ manifestam fluctuationem exhibuit. Pectore tussim & ronchum audivimus.

Circa naturam tumoris dubii fluctuantes, indicationes manifestas ilico sequebamur; expectorationem oxy-

xy-

xymelle ſquillitico promovendo, & tumorem cataplasmate ultra emolliendo. Emendata hinc reſpiratio eſt, & tumor ſui aperturam, vel brevi ſponte futuram, vel arte faciendam, indicabat.

Die 18. Dec. aperuimus, eduximusque plusquam 4. lib. craſſi, flavi, nec fœtentis puris. Specillum ad medium abdomen pene intravit. Ex illo tempore aperturam ſæpius dilatavimus, ut commode pus exſtillare poſſet: ſane exſtillavit illud ad mortem usque fere perpetuo, tuſſis ope multo copioſior. Bis die injectio aquæ hord. cum melle roſaceo facta eſt, toto morbi tempore; ſtylus poſtremis temporibus, & injectio ipſa, vix cavum ultra dari indicabant. Toto hoc tempore bono nutrimento, frictionibus, remediis primo attenuantibus, poſtmodum ſolventibus, tandem roborantibus, flaccidum corpus emendare conatus, æthiopem lavi. Imo a 15. Feb. 1751. crus ſiniſtrum fungoſo tumore ad malleolum primo internum, deinde ad externum affectum eſt; inſtar veræ ſpinæ ventoſæ malum, dum tumor externe aperiretur, nuda jam oſſa oſtendebat.

Aprili finiente cum magna dorſi apertura, magnaque boni puris effluentis copia, febricitare cepit, & ſpina lumborum dorſique dolere. Febris exin continua fuit, ſæpe cum veſpertinis, ſæpe cum vagis exacerbationibus, cum dolore ſpinæ fere perpetuo; quam accubitui puris ad illam, natæque inde roſioni, tribuebamus. A medio Majo febris intenſior, diarrhœa argillacea, ut ſæpe in ſuppuratis obſervamus, dyſenteria nonnunquam cruenta, & a 22. Maji fungoſi tumores ad articulum cubiti ſiniſtri, ad dorſum dextri pedis. Tandem 7. Junii, finis miſeriarum, mors.

Ingens ventriculus, bonum abdomen, niſi quod hinc inde, idque potiſſimum in pelvi, pauxillum flocculenti puris inveniretur, præterque illud tres propemodum lymphæ libræ. Stylus ulceri inductus moderabatur ſectio-

sectionem præcipuam. Hac lege deteximus saccum quendam, formatum a postica parte Quadrato lumborum, & Psoa magno; anterius Psoa parvo, a majore multum remoto, albido, mucoso, & peritonæo; a latere interno, corpore quodam calloso, quod spinæ lateri accretum, quodque psoam parvum multum a majore removebat; a latere tandem externo, Transverso abdominis.

Porro tria hic summe notanda erant. 1mo. Saccus nunc descriptus, qui descendebat super Iliacum internum, secundum magni Psoæ latus, ejusque tendinem, angusto ductu, eodemque calloso, donec cæco fine terminaretur inter tuber ischii, & trochanterem majorem. 2do. Apertura, quam Natura indicaverat, quamque 18. Dec. anni proxime elapsi feceramus, eo proprie loco fuit, quo Transversus abdominis incepit haud ultra a Quadrato lumborum tegi, eadem circiter cum suprema vertebra lumborum altitudine. 3^{tio}. In magno sacco prius descripto fistula lateralis erat, quæ stylum nostrum ducebat ad infimam dorsi vertebram, eamque scabram & erosam, deinde ascendendo secundum vertebras, usque ad quintam vertebram thoracis. Callositas vestiebat utrinque spinam, vertebræ enumeratæ omnes & corporibus suis, & processibus, erosæ, consumtæ, ichore ac pure undique sordentes.

Considerando igitur 1mo. puero huic, dudum antequam in Nosocomio susciperetur, spinam dorsi tam extrorsum, quam leviter introrsum, idque loco affecto potissimum, incurvatam fuisse: 2do. Tumorem primum non in summo femore, ubi sacci finis erat, sed supra inguen sinistrum adverti incepisse: 3^{tio}. Cæcum omnino & callosum fuisse finem in femore sacci: 4to. In sacco abdominis præter Psoæ parvi flaccitiem nihil degenerascentis repertum fuisse: 5to. Adfuisse lateralem sacci fistulam, quæ cum erosis undique vertebris communicaret: hæc, inquam, omnia considerando, in

in eam facile ſententiam imus, quod ad hujus cachecti-ci, & cacochymici pueri, ſpinam dorſi, morbi origo hæſerit; quod morbus inde inchoans, ſibi viam inter muſculos & peritonæum rodendo paraverit; quod copia ac pondere materiæ ſaccus deorſum elongatus fuerit; quod in fiſtulam oblongam ultra oſſis pubis marginem abiverit; ſed quod materia minorem reſiſtentiam ſupra os pubis, quam infra inveniens, in tumorem primo in inguine collecta fuerit, deinde ſenſim altiora petiverit.

Sed undenam primo quatuor libræ puris, purisque continuus ſemianni ſpatio fluxus? Pus ſane paucum intus delituit, nec in pulmone aut reliquo corpore ulla vomica fuit. Ex obſervationibus toties iteratis patuit ad purulentas excretiones annoſas ſolam ſanguinis phlogiſtici diatheſin requiri, quæ continuo ſe inde liberet: adeoque ſanguinem facile a ſpinæ carie phlogiſticam reddi potuiſſe, & hanc eandem phlogiſticam materiem circa ſpinam depoſuiſſe, ſenſimque copia ac pondere ſuo ſaccum deſcriptum formaſſe.

Concluſio hujus capitis eſt, quod inter innumeros abdominis tumores & hydropes, in variis hujus operis partibus recenſitos, ne bini quidem ſibi ſimiles reperiantur; quodque id omnino certum videatur, quo plura cadavera poſtliminio inciderimus, eo nos plures inter ſe diſſimiles inventuros caſus, quorum diſſimilitudines in vita non potueramus deprehendere. Adeoque repeto quod pag. 120. monui. Concluſio denique eſt complures ſemper fuiſſe caſus, itidemque ſemper futuros, qui Pariſinorum curam (ut Tom. 1. Cap. 31. expoſita fuit) nunquam admittant; eſſe quoque ejusmodi, in quibus hæc ipſa methodus a Natura per continuum puris effluvium indicata, unice palliet, neutiquam curet, quemadmodum hiſtoria pueri, ultimo enarrata, evincit.

CA-

De Hydrope Pectoris.

§. I. Hydrops Abdominis & Pectoris a nimio hæmorrhoidum fluore: Habitus ventris tympaniam mentiens. Pulmones toti degenerascentes & corrupti, itidemque universa pleura, & tamen nullus ullibi eorum coalitus. Anatome ut per omnia notabilis erat, ita notabilior ob defectum sanguinis in toto corpore. §. II. Hydrops pectoris per 14. dies præcipuo suo symptomate, signoque carens, sine nota causa. Anatome exhibet ingentem vitalium partium degenerationem, quæ non expectabatur; nulla calculosæ diatheseos signa in systemate urinoso, biliofo, pneumonico, quam suspicati haud immerito fueramus. Respondetur ad quæstionem, cur homo hic præcipuo morbi sui signo aliquando caruerit? §. III. Phthisis pulmonalis abscondens notabilem Pectoris hydropem. Hydrops hic, etsi cognitus debito tempore fuisset, paracentesi non potuisset sanari. Singularis locus, in quo collecta aqua. Confirmatur ex his omnibus proposita Part. V. *hujus morbi difficilis cognitio, difficillima curatio. Qui nocturnas anxietates in lecto evitaturi, in sedili se collocant, hos non semper easdem evitare, haud infrequens observatio docet.*

Parte hujus Operis V. multus fui in hoc morbo describendo, ejusque tum rariore cognitione, tum difficiliore, ne dicam impossibili curatione, enarrandis; quæ recens observata idem argumentum confirment, nunc tradam.

Die 8. Jan. 1761. homo 30. ann. consilii causa in Nosocomium venit; triennium elapsum esse ajens, cum melancholia ex oppilatis abdominis visceribus laborans, Hæmorrhoidas sibi provocasset: ex eoque tempore easdem large fluentes quovis mense habuisse: nunc vero a 5. Septimanarum spatio tumidas se quidem

illas, at plane ſiccas, habere. Quatuordecim diebus, ab ultimo fluxu hæmorrhoidali elapſis, tuſſim ſibi natam eſſe, eamque ſiccam, & moleſtam, vires inde minui, jamque ab octiduo & ventrem ſibi & crura tumere. Debilis totus homo apparuit, anhelus, macer, fuſco-pallidus.

Homo hic, optimi Medici optimo conſilio, fluorem hæmorrhoidalem ante triennium ſibi adplicitis provocavit hirudinibus. Verum & optima conſilia ſua incommoda habent. Toties clari viri id notarunt, quod aperta vaſa hæmorrhoidalia ſæpe non ſufficienter poſtmodum claudantur, hincque nimio fluore hydropem, ac mortem producant. A *Galeno* in hæc usque tempora id Medicos luxiſſe, tractatu *de hæmorrhoidibus* evici. Hinc infidum aliquando auxilium eſt. Pœnas certe inde homo noſter luit. Cachexia dudum affuerat, Tuſſis acceſſit 14. die ab ultimo fluore, hydropem pectoris referens, manifeſtusque apparuit Hydrops abdominis & crurum, quo tempore prima vice deficiebat hic fluxus. Hinc evidentiſſimum fit, tuſſim ac hydropem non a ſuppreſſis, ſed a nimiis hæmorrhoidibus ſumſiſſe originem.

Datis remediis, potiſſimum diureticis, hydrops minuebatur, ſed ſonus Tympaniticorum ſimilis in ventre ſucceſſit, tumorisque inæqualitas, referens Tympaniam: Diuretica, purgantia, & roborantia, aliquo tempore admota, menſis ſpatio omnem ſuſtulere Hydropem. Sed nullam ſpem inde concepimus, cum vires decreſcerent. 23. Feb. mortuus eſt.

Nihil tympanitici in abdomine inventum eſt: ſed, quod nos deceperat, & tympanitidem erat mentitum, omentum fuit, quod in inæqualia oblongaque tubera degeneraſcens, ac peritonæo horum ope cohærens, ventrem more tympanitico inæqualem repræſentaverat: imminuto quippe plurimum hydrope, non poterat peritonæum ſufficienter ſe ad inteſtina adplicare, præ tu-

tuberibus craſſis denſis omenti ſecum connati. Hinc inteſtina in vacua hæc ſpatia intrare, aëre ſæpe diſtendi oportuit, adeoque percuſſum abdomen ſonum edere, licet neutiquam in formam tympaniticam perpetuo extenſa eſſent. Jucundum interim videre erat, quam mire decepti eſſemus. Omentum enim totum ab inferiore parte inteſtinorum remotum, atque in ſe revolutum, ab angulo coli ſub hepate, usque ad flexuram ejusdem ſub liene, in duram, craſſam, ac cartilagineam ſubſtantiam, digitum pluribus in locis denſam, degeneraverat, ubique cum peritonæo connatum. Hinc anatome difficilis erat, præcipue cum inteſtina tenuia, omento non tecta, cum peritonæo levibus vinculis hinc inde cohærerent. Igitur degeneraſcens omentum, inæqualitate ventris; inteſtina, dum flatibus diſtenta loca inter tubera omenti vacua occuparent, ſonitum tympaniticum in percuſſione abdominis dabant.

Cæterum, peritonæum totum, omnia inteſtina, integrum meſenterium, univerſa pleura, ſuperficiem, ſubſtantiamque ſuam totam, granuloſam habuere; granulis albis, multum eminentibus, durisque iisdem, & quam proxime ſibi invicem adpoſitis. Hepar, lien, renes boni. Renibus pinguetudo nulla. Vix libræ tres lymphæ in toto ventre. Flavedo hujus lymphæ intenſa; num a vehementer transſudante veſicula fellea? Bilis cyſtica profunde flava. Levis utroque pectoris in cavo hydrops, a libra dimidia in ſingulis aquæ fuſcorubræ. Cor in ſubſtantia pallidum, in cavis utrisque multo grumoſo cruore plenum: ad principia vaſorum majorum paucus ſanguis; ſed mox inde complanata aorta, vena cava, vaſa iliaca: perſciſſaque eadem in longitudine, vix guttam ſanguinis dabant. Nec putet quis vulneratis aliis id contigiſſe vaſis; nam a principio ad finem usque, Cl. collega *Gaſſer*, totumque auditorium medicum, ſicciſſimam anatomen mecum mirabantur. Pulmones toti quanti duris erant tuberculis, ad ſenſum

 car-

cartilagineis, pleni; transcissi autem, pus undique inter illa tubercula fuderunt. Quod autem mirum maxime, nullibi cum pleura accreti fuere.

Simulata tympanitide deceptos nos fuisse, supra ostendi: verum an nos quoque non decepit pectoris personatus hydrops? utique a tanta universi pulmonis degeneratione tussis, anxiæ respirationis, anhelitusque, verosimilius causa deducitur, quam ab unica libra liquidi in utroque pectoris inventi cavo. Nisi statuere maluerimus, sicut diureticis & hydragogis aquam ventris, ita quoque eam pectoris evacuatam fuisse.

An granulosa tam substantia, quam superficies membranarum, ad vitæ finem generata est a Phlogistico illo, quod toties invenimus transsudasse, & alias, quadam ceu membrana, viscera, pleuram, ac peritonæum tegisse?

Cur sanissimi pulmones, ut toties vidimus, brevique novis confirmabo exemplis, tam sæpe ita accreti pleuræ, diaphragmati, mediastino, pericardio, ut nullo in puncto liberi sint; & in hoc homine, in quo corruptissimi erant, ubicumque liberi reperti sunt? Causam non bene capio: Hydropem pectoris forte olim copiosiorem, id non impedivisse, firmus teneo; primo quia concretionem hanc, majorem, minorem, in Hydrope pectoris passim invenimus; secundo quia ab aquis versus pectoris inferiora locatis, ut in Hydrope pectoris assolet, superna pulmonum pars versus jugulum a concretione cum pleura prohiberi non potest.

§. II. Vir idem, cujus capacissimum ventriculum pag. 102. descripsi, dat nobis mirabilia observanda. Quippe tribus ille de causis a me aperiebatur. Primo quod calculo laborasset, plurimosque labentibus annis calculos urethra reddidisset; jamque ab anni retro spatio ita immunis a calculi vixisset ærumnis, ac si eodem laborasset nunquam. Secundo quod certo creditus pectore hydropicus, signis hujus morbi primariis, quæ

nocte

nocte potissimum adfuerant, sub vitæ finem noctibus caruisset. Quod tertio suspicio orta esset, an non Hydrops pectoris, eo quod cessantibus, calculi excretionibus & cruciatibus natus esset, calculosis forte in pulmone concretionibus deberetur? Quod ad calculum attinet, id Cap. 13. dabo; impræsentiarum modo illa, quæ quæstionem de Hydrope pectoris elucident, enarrabo.

Annorum hic ultra quadraginta, cum diem fungeretur, multis ab annis calculo laboraverat, calculos plures urethra excreverat, donec demum remedio quopiam sumpto se calculorum exemtum cruciatu gauderet: ex quo autem hac a calculo immunitate fruebatur, pectore angi cepit, cruribus intumescere, ac tussi molesta, levioreque cruoris sputo vexari. Crevere hæc symptomata ita, ut post elapsos 3. menses nequiverit, nisi in dextrum latus decumbere; anxietates a primo inito somno experiretur; cruribusque interea ac femoribus vehementer tumesceret; ventre interim multis retro ab annis semper a natura, haud vero a colluvie aquarum, tumidulo. Copiosum Oxymel squilliticum cum multis aliis diureticis, Kermes minerale, Gummi ferulacea, interposita Hydragoga, motus, frictiones, nihil profuere.

Sed insolitum quid contigit ultimis 14. vitæ diebus. Consuetas suas noctes calamitosas ne experiebatur quidem ultra, sed tranquillimo somno, sex, septem, horarum spatio, lætus fruebatur, ita ut primarium illud Hydropis pectoris signum prorsum evanesceret. Quod autem mirabile erat, si ad beatum hunc statum continuandum solito diutius decumberet, en sensim, quæ nocturnæ olim fuerant, nunc anxietates fiebant diurnæ; imo eundem sæpius in sedili positum invadebant. Crurum autem tumoris, ac universi corporis debilitatis, insigne fuit incrementum, & post 14. optimas noctes demum 12. Maji, cum levi ac vago delirio, obiit.

Sequenti die cadaver aperuimus, egregius Medicus

Aulicus nobilis *ab Hentſchel*, Chirurgus *Leber*, egoque. Purpureum corpus ac lividum, ſpatio horarum 36. a morte elapſo, ad humeros, jugulum, thoracisque tum ſuperiora, tum latera. Venter longe quam in vita tumidior. Coſtarum cartilagines totæ, infimarum exceptis, oſſeæ. In dextro Thoracis latere octo libræ fœtidæ ſubrubeſcentisque aquæ, in ſiniſtro vix unciæ paucæ. Cordis bovinæ magnitudinis dexter ventriculus parietum tenuitate hic vix lineam, ibi ſesqui lineam, craſſus, cavitate magnus; ſiniſter autem pollicis craſſitie, exiguum valde cavum habuit. Aorta, carotides, ſubclaviæ, ſubſtantia craſſiſſimæ, ampliſſimæ diametro. Polypoſi quid utroque in cordis cavo. Lividi, flaccidi pulmones, quocumque in loco tranſcinderentur. Hepar lobo ſiniſtro parvum, dextro monſtroſum fere, longum ita, ut cum peritonæo circa criſtam Ilei connatum eſſet. Flava ac multa bilis, nulli calculi biliosi. Ventriculus ingens, ut pag. 102. Cap. 7. enarravi. Ren dexter quadruplo majus naturali, mollis, flaccidus, cætera bonus, ſine calculo; ejusdem bonus ureter. Extenuatus ita ren ſiniſter, ut nec longitudine, nec craſſitie, digitum excederet, alias nec purulentus, nec calculoſus. Naturalis omnino & ſine Calculo veſica urinaria. Peritonæum pulvinaris inſtar tumens, lumbos totos in pelvim usque explebat; eo autem perſciſſo patuit laxam, corruptamque celluloſitatem eſſe, quæ tantum utrimque pulvinar componebat. Corrupti ac fere conſumpti Pſoæ.

Anatome igitur conſtitit 1mo. indicationem Hydropis pectoris rite captam eſſe. 2do. Nullas calcareas concretiones in pulmonibus eſſe inventas, ut quidem ſuſpicio ferebat. 3^tio^. Hominem hunc, qui ſummus olim Nephriticus numeroſos calculos ſæpius excreviſſet, totam diatheſim demum ſuperaſſe, nec habuiſſe partium degenerationes, ut vocant, eſſentiales; cum renis ſiniſtri cætera ſani parvitas, mole dextri compenſaretur.

Verum cur placidas adeo noctes ultimis vitæ 14. diebus egit? Phænomenon hoc mihi vix explicabile. Respondeo duntaxat me *Part. V. hujus Operis* evidenter demonstrasse ingentem Pectoris hydropem, in quo nocturnæ anxietates quinque mensibus siluerint: tum & alium validissimum Hydropem pectoris, cui anxietas illa nocturna affuerit nunquam: deinde mox daturum me Hydropem pectoris a morte inventum, una cum Phthisi pulmonum, eorundemque pessima degeneratione, quo in homine Hæmoptoë cum sputis purulentis, ac febri hectica, veram Phthiseos pulmonalis ideam exhiberent, nullo vero modo eam Hydropis pectoris. Hinc quamvis Phænomeni dati causam non intelligo, merito tamen concludere videor id minime mirum nobis oportere videri, quod 14. diebus in vero Hydrope pectoris præcipuum signum deficiat; siquidem & longe diutius, & perpetuo defuisse, aperta cadavera demonstrent.

Quæ ultra circa calculosam hujus hominis diathesin, & cor, notata fuerint, hæc suis quæque locis dabo; enarrabo modo nunc, quam mox promisi, historiam.

Ineunte Junio proxime elapso cadaver aperuimus, Magn. *D. Kessler*, Expert. *Guarin*, egoque, hominis, apud quem olim ter, quater, fueram in consilium vocatus, & ubi ex copioso Baccho hæmoptoem, & sputa purulenta, copiosa, febrimque continuam remittentem, constanter animadvertentes, Phthisim pulmonalem adesse statuebamus; neutiquam vero, cujus nunquam signa videramus, Hydropem pectoris: nisi forte obscura quædam sub ultimis vitæ diebus adesse suspicari forsitan quis potuisset. En vero Anatomen! sex libras aquæ abdomen dabat, $7\frac{1}{2}$. libras dextrum Thoracis cavum, sinistrum libram unam. Pulmonum cartilaginea substantia longe durior, & pluribus in locis fere ossea; ut portione clam mecum lata, publice demonstravi: Vesicularis autem eorum fabrica plurimis

ſebaceis corporibus pleniſſima. Subſtantia denique pulmonum tota fere diffluens præ corruptione. Mucoſi tumores tremuli, gelatinæ inſtar, membranis concluſi, magnitudine pugni virilis, ſupra utrumque renem inventi. Ventriculus commode excipiebat libras 12. aquæ. In veſica fellea tres polygonati calculi.

Sed modus conſiderandus eſt, quo hydrops pectoris hic formatus. Non proprie, ut aſſolet, in cavo pectoris hærebat aqua, verum pulmo, inferiore ſui parte, ad altitudinem trium digitorum ſupra locum, quo diaphragma thoraci connectitur, pleuræ, diaphragmati, mediaſtino, intime connatus; ſuperiore autem parte undequaque latitudine duorum digitorum cum pleura unitus. Porro intra locum cohæſionis ſuperioris, & inferioris, pleura nuda erat, & $7\frac{1}{2}$. libræ aquæ ad pleuram nudam accumbentes, removerant pulmones, eosque ſurſum, deorſum, atque ad mediaſtinum, compreſſerant, quo ſibi ſpatium compararent. Eratque hoc ſpatium ad coſtarum arcus; ita ut pulmo ad latera ſterni, & ſpinæ dorſi arctiſſime cohæreret, in medio vero thorace circa arcus coſtarum nihil pulmonis eſſet.

Hinc iterum concludo, polymorphum hunc morbum, gravem poſſe, diuturnumque adeſſe, quamvis ſui vix ſigna edat. 2do. Confirmari hinc quæ ſuperiore anno ſuper difficillima ejusdem diagnoſi diſſeruerim. 3tio. Ex loco, quem hic aquæ occupaverint, itidem confirmari, quæ de morbi hujus per paracenteſim curatione, ut theoretice potius, quam practice propoſita, adnotaverim: Quippe loco ſolito inſtituta paracenteſis, pulmonem accretum vulneraſſet, nullas eduxiſſet aquas. Frequentia hujus accretionis, quæ tanta, ut tertiæ, ſaltem quartæ, mortalium parti contingere *Diemerbroeckio* viſa ſit, curam hanc, ſi inſtitueretur, inutilem ſæpe oſtenderet.

Abſoluturus hoc Caput, Lectoribus in memoriam revoco, quod *Part. V. Cap.* 3. *Pag.* 43. poſt *Piſo-*

nem

nem notaveram; nempe pectore Hydropicos, cum ſubita corporis erectione, a nocturnis anxietatibus in primo ſomno invadentibus, ſe levare advertiſſent, voluiſſe easdem poſtmodum in ſedili, erecto corpore dormiendo, prævenire, ſed incaſſum: cum igitur etiam ſic erectos dormientes anxietas invaderet, rationem hujus nocturnæ anxietatis nobis difficiliorem intellectu videri. Sane Hiſtoria penultima priores obſervationes confirmat, in eo adhuc notabilior, quod etiam de die in ſedili dormientem anxietas caperet eadem. Non do equidem hanc obſervationem, ut univerſalem: dantur forte, quibus primum ſomnum in ſedili transegiſſe profuerit; ſed contraria *Piſonis*, meaque ſæpius confirmata obſervatio, caſum ſaltem haud infrequentem eſſe demonſtrat.



CAPUT X.

Problemata, & Difficultates.

§. I. *Laus Pathologiæ, & frequens certitudo; ſed ſimul ejusdem curta ſæpenumero ſupellex. Ratio eſt, quod Pathologia unico duntaxat modo vitam humanam utcumque intelligat, Adorandus vero vitæ Autor, & Fons, vitam humanam poſſet infinitis condere & conſervare modis. Exempla, quæ id evincant.* §. II. *Hiſtoria curæ Aneurismatis ſpurii, quæ optime quidem feliciterque peracta, infeliciſſima tamen ignotis de cauſis, fuit. Plenitudo vaſorum cunctis conſpicua ſignis, ad mortem uſque; Vaſorum tamen perfecta poſt mortem vacuitas.* §. III. *Anatome hominis, cui per annum ante mortem pulſus nunquam debilis, ſed ſemper fortis, durusque, uſque ad ultimam luctam mortis, in quo, nulla prægreſſa evacuatione, nullus ſanguis fluidus, ſed exile modo fi-*

lum polyposum in omnibus, iisque dilatatissimis corporis vasis, inventum est. Quædam horum similia, sed imperfectiora, ex Cl. Lieutaud. §. IV. *Casus feminæ, quæ nunquam symptomata affecti cordis, majorumque vasorum passa, cor & vasa majora monstrosæ ac vitiosæ magnitudinis, totum fere thoracem occupantis, habuisse deprehensa fuit.* §. V. *Anatome portentosi cordis, in cujus substantia ossiculum, & cujus valvulæ tricuspidales non modo initia Coronariarum neutiquam tegere potuerunt, verum etiam Cor digiti amplitudine apertum semper reliquerunt.* §. VI. *Vita, & Respiratio non multum incommoda, cum Pleuræ, Diaphragmatis, Mediastini, Pulmonum, Pericardii, Cordis, majorumVasorum, firmissima inter sese concretione, sic, ut, nonnisi unicam, eandemque immobilem prorsus molem, præ se ferrent.* §. VII. *Affecti ossis sterni, mortisque mirabilis historia, in qua nec sufficiens causa morbi in vita, nec vera causa mortis in cadavere, detecta est; & in qua febris hectica cum omnibus suis signis adfuit, excepto eo, quod & obesum, & torosum, ad ultimum usque vitæ halitum, corpus perseveraverit.* §. VIII. *Testis contusio generat horrenda in abdomine; itidem seminis abundantia & corruptio citra contusionem. Stupenda Anatome. Castratio provectum eousque morbum non tantum non curat, sed mortem accelerat calamitosam. Quædam in hanc rem ex* Hildano, *aliisque. Consilium præcavendi.* § IX. *Tumor in Tibia ex contusione natus,* 30. *annis inculpate gestatus, tandem malignus factus, curatur enucleando. Recrescens irritamenta patitur, generatque Emprostotonon, & Maxillæ Tetanon. Ablato tumore hæc symptomata perseverant, occidunt. Doctrina magni* Hippocratis *circa Tetanos. Calor urens in Ardente febre vix auctis Thermometri gradibus. Tetanus musculorum & tendinum, diu a morte superstes.* §. X. *Anatome intricatissima, in qua omnia intestina tenuia, & crassa, a sua externa tunica separa-*

rata inveniebantur, & ex eadem, tanquam ex vagina, aut theca, evaginabantur illæsa. Demonstratio hinc confirmata 1°. quod intestina suam tunicam extimam a Mesenterio, ac Mesocolo, mutuentur. 2do. quod ligamenta coli a tunica externa potissimum oriantur. Determinatur justa Intestinorum longitudo. Difficultates circa veram hujus morbi naturam. §. XI *Hernia intestinalis, vaginalis, & causa Ilei morbi vehemens, longis ab annis in corpore præsentes, sine ullis suis signis aut symptomatibus. Anatome.*

PAthologia nititur quatuor potissimum fundamentis, quorum primum quidem Anatome est, quæ omnium humani corporis partium figuram, molem, situm, variumque cum aliis nexum, & harmoniam, docet. Alterum est Physiologia, una cum Mechanice, Hydraulice, ceterisque adscitis Physiologiæ disciplinis. Hæc partium per Anatomen cognitarum destinationem, usumque, exponit, indeque humanarum functionum & actionum exercitium explanat. Tertium ejus fundamentum merito habetur experientia medica, eaque eo quidem tempore potissimum capta, quo illæ ipsæ functiones, earumque instrumenta, aut otiantur, aut læduntur, aut destruuntur. Quartum denique tum omnium in genere cadaverum inspectio est, tum præcipue eorum, quorum morbi, dum viverent, attente considerati fuerant, diligenterque adnotati.

His innixa Pathologia, sæpius morbos multos a principio ad finem ita explicat, ut nulla certior evidentiorque demonstratio haberi in Physicis queat. Constatque inde Pathologicum bonum esse neminem, qui non simul bonus Anatomicus, qui non accuratus existat Physiologus. Ut enim linea recta ad curvæ nos adducit cognitionem, ita sani, vegetique hominis, intellecta Natura, functionumque integritas, nos in intellectum ducit causarum, quæ earundem functionum læsionem, per-

perversionem, destructionem, soleant producere.

Verum enim vero occurrunt nobis sæpenumero morbi quorum Phænomena laudatis hisce ac necessariis principiis haud modo non explicantur, sed iisdem plane adversantur. Ecqua tandem hujus causa portenti? Paucis dicam. Eorum quæ ad hominem pertinent, multa novimus, omnia non novimus; & quod res est, vitæ, ut ita dicam, ignoramus latitudinem. Perennat siquidem illa quandoque, idque notabiliore tempore, interea dum otiari videantur, imo dum destructa, aut inepta saltem, ea organa, illa vitæ appareant instrumenta, quæ quidem ex veris Artis principiis ad vitam, vitæque functiones, absolute necessaria statueramus. Velimus, nolimus, hic, hic inquam, curtam nostri ingenii supellectilem fateamur oportet: incipimusque sub his velamentis Illum detegere, quem Fontem Vitæ Sacra vocitent, qui dum secundum nostra Anatomica, Physiologica, Mechanica, Hydrostatica, Hydraulica, Hygraulica principia, vitam conservat mortalibus, Naturæ se monstrat Autorem; dum vero reclamantibus hisce legibus eandem perpetuat, Omnipotentem sese, infinitarumque, ut ita dicam, Naturarum Creatorem esse, & ut paucis omnia comprehendam, libera voluntate cuncta se agere, ostendit.

Quum plura observata mea propria argumentum horum, quæ dixi, subministrent, præcipua collegi, & ordine enarrabo.

PROBLEMA PRIMUM.

FEmina 65. ann. optima sanitate semper gavisa, corripitur media nocte 22. Martii 1761. anxia respiratione ac leviore hæmoptoë. Vocatur extemplo, venam qui secet, balneator. Is porro, instrumento suo resiliente arteriam tundit, ingentique saltu prosilientem cruorem comprimere satagens, nonnisi tertio repetito adparatu compescit. Adstantes Chirurgum exonerant,

rant, retrotractum ab ægra brachium causati.

Vulnus, ad 12. diem non amoto apparatu, vidimus 18. die ab eodem inflicto, deteximusque ingentem in humero ac brachio a compressione tumorem. Pulsus in carpo fortis, & calor, vel arteriam haud valide compressam esse indicabant, vel nunc per laterales arterias ex Humeraria ortas, jamque dilatatas sanguinem in laterales arterias, quæ ex brachiali arteria ante, postque ejusdem bifurcationem egrediuntur, nunc retrogrado motu inferri in arteriam brachialem, aut radiæam, atque circuitum humorum in manu hoc modo resuscitari.

Sphacelus humeri præ foribus adstans, citam operationem poposcit. Perfecit eam *D. Leber* Assistentibus D^nis^ Chirurgis *Homburg*, *Fischer*, & *Reichberger*. Methodum comprimentem intercipienti prætulimus, ob rationes Tom. 1. Cap. 30. §. 10. laudatas. Apposita machina tortili supra arteriam humerariam, operator sondam cavam induxit in vulnus cutis, atque cava omnia esse detexit. Integumenta supra sondam cavam transcidit ad digiti longitudinem, eduxitque sanguinis grumosi, nec dum fœtentis, libram dimidiam, & prudenti digito quasvis hujus massæ reliquias abstulit: tunc sondam prudenter deorsum in vulnus duxit, ut prius, ita & nunc, caute evitans vulnus arteriæ, arteriamque ipsam; ac congrumatum ibidem sanguinem, cute ad pollicem latum perscissa, eduxit.

His factis relaxavit paulisper comprimens instrumentum, quo rite contueremur Arteriæ vulnus. Horruimus profecto videntes idem quatuor lineas longum, ita ut accusatio retracti sub venæ sectione brachii confirmari videretur. Portio aponeuroticæ expansionis Bicipitis Brachii suo erat loco. Arteria vulnerata Humeraria fuit ante suam in Radiæam & Ulnarem divisionem. Quodque Tom. 1. Cap. 30. de corpore rotundo immobili, ad vulnus arteriæ notavi, idem hic quoque in-

invenimus; formatum a vagina cellulosa arteriam, venam, nervosque, hic loci involvente. Hæc valida nimirum compressione a Chirurgo facta cum ipsa Arteria ubique conglutinatur, coalescitque, eo excepto loco, quo vulnus est. Vis enim sanguinis hanc cellulositatem a se repellit, suoque in illam impulsu tumidam atque rotundam efficit.

Adverteramus porro loco citato, in aliorum nostrisque casibus Aneurysmata spuria integre curari sola compressione externa, quando vagina hæc sic cum arteria coit, ut sanguis per vulnus arteriæ in saccum hunc se penetrans, nequeat amplius latera sacci, cum arteria coalita, ab eadem removere: curari vero minime, si compressione nec sufficienter, nec tam feliciter facta: impetus cruoris, in saccum insilientis, latera sacci hinc inde ab arteria removeat, seque hinc furtim per totam diffundat brachii humerique cellulositatem. Atque præsens casus cum sic se haberet, non poterat compressione sola, sed operatione quadam instituta, curari. Porro cum hoc sacco arcte unita Aponeurosis erat, vi compressionis.

Edocti igitur Aneurismata egregie curari relictis his cunctis concretis portionibus, eluimus primo brachii ac humeri vulnus, vulneri Aponeuroseos pulverem fungi Agarici inspersimus, totique sacco: dein Agarici rite compressi laminas ordine septem, sensim grandiores, imposuimus, & compressam, ut vocant, desuper; tandem idonea ligatura totum firmavimus adparatum. Brachio, humero, manui, fomentum vini, aqua calida diluti, adpositum est.

Conquesta licet ægra dolorem, bene tamen toto eo die habuit se, & usa Emulso cum Diacodio, ac Nitro, bene dormivit. Die sequenti bene habuit, ad vesperas autem febris magna orta est, cum anhelitu, stupiditate, desipientia levi, pulsuque celeri, forti, duro. Unde ad octavam vespertinam unc. vj. sanguinis sano de brachio edu-

eduximus, & misturam Aquæ Hyssopi, oxym. squill. ac. stib. diaph. dedimus. Refrigeratus sanguis rubram insulam bene consistentem, crustamque inflamm. densam, hinc albescentem, inde leviter rubentem, formabat. Impetuosius vena exsilierat. Interim Brachium aneurysmaticum naturaliter calebat, infraque ligaturam pulsabat, circum ligaturam autem anxie circumspicientes, omnia sicca læti deprehendebamus. Ita ut hucusque nullam, hac saltem de causa, inquietudinem animo foveremus. Hora vero undecima adparatus leviter madere, tingique, observabatur. Ilico tamen hæmorrhagiam hanc incipientem constrictior Machina tortilis compressit. Ægra interea somnolenta fiebat, & ad mediam horam primam pulsus, etiam sub ligatura, fortior deprehensus est. Ad primam nocturnam expiravit, horis 41. ab operatione elapsis.

Ad 8. matutinam brachium examinantes, deprehendimus vix. 5. aut 6. uncias sanguinis hæmorrhagia illa exivisse: id enim exacte nos inspectis linteaminibus determinare didicisse Tom. 1. Cap. 34. evici. Ergo non periit hæmorrhagia; 1mo. quod post cohibitam eandem, inventus sit fortior pulsus. 2do. Quod modica admodum copia effluxerit. 3^{tio}. Quod sanguis, dum paulo ante de Vena educeretur, valido jactu prosilierit.

Neque a Gangræna, compressionem validiorem haud raro sequente, extincta est. Pulsus namque sub eadem semper manifestus ad mortem usque fuit, & manus egregie semper caluit, imo ipse anatomicus conspectus quamvis gangrænæ suspicionem amovit.

Examinantes deinde operationis apparatum, invenimus illum egregie adhærere, infimamque agarici lamellam adeo vulneri esse infixam, ut scalpello inde amovenda fuerit. Figuram vulneris eidem pulcre impressam, Clar. Professor *Gasser*, qui ipse eam a vulnere vi amoverat, nobis omnibus demonstrabat. Sanguis sub agarico in sacco congrumatus & consolidatus fere to-

totus. Quamobrem merito conclusisse videmur levem illam Hæmorrhagiam ex laterali vase, alicubi in integumentis non compresso satis, ortam fuisse.

Horum recensione crediderim, quosvis æquos rerum æstimatores concludere. 1mo. Operationem egregie institutam fuisse. 2do. Mortem neque ab Hæmorrhagia, neque a Gangræna, contigisse. Quænam igitur causa Mortis? Prosequamur reliquam Anatomiam.

Viscerum bona conditio. Sed vasa universi corporis, majora, minora, ita & flaccida, & vacua invenimus, ut ficciorem Anatomen nemo viderit. Sanguis unice inventus est fluidissimus in basi cranii ad unc. ij. copiam effusus, ita ut ibidem videatur vasculum fractum fuisse.

Repetamus igitur Historiam totam. Quinque ante mortem horis pulsus celer, fortis, durus, proinde phlogisticus, fuit. Sanguis de vena tusa vere inflammatus prodiit, saltu exsiliens, vi reprimendus, dum vena clauderetur. Exigua admodum Hæmorrhagia fuit. Post venæ sectionem & Hæmorrhagiam, dimidia ante mortem hora, fortior deprehensus pulsus est tam in affecto, quam sano brachio. Interim sanguis nullus in arteriis venisque fuit, ne ejusdem quidem illa minima columna, quam a minima arteriæ contractione manere oportere vulgo credimus. Vacuitas perfecta æque in venis, quam in arteriis.

Itaque mortis causam proximam video a compressione, quam ab effuso intra cranium sanguine Medulla oblongata, Nervorumque origines passi sint; vitam tamen exsanguis corporis, cum signis ad mortem usque plenitudinis vasorum, cum non capio lubenter aliis, me in arte versatioribus, exponendam relinquo.

§. III. *PROBLEMA ALTERUM.*

Arthriticus homo, de quo Part. 5. Cap. 5. pag. 76. & in Dissertation. *de Irritabil. & sensibil.* pag. 25. egi, in omnibus suis calamitatibus, durum fortem-

temque pulſum nunquam non habuit; ut toties mecum per longum ejus morbum Medicinæ Studioſi obſervarunt mirabundi. Conſtanter hic pulſus adfuit, niſi morte jam adſtante præ foribus. Cum mortuum illum 2. Octobr. 1759. aperiremus, invenimus aortam univerſam, arterias emulgentes, iliacas, femorales, amplas quidem, ſed flaccidas, ſuo in cavo ad crura usque, gerentes nihil, quam filum, ſive chordam tenuem, albam, polypoſam, quæ craſſitudine inæqualis, in maxima ſua diametro vix ſesqui lineam haberet, pluribus in locis lineam vix excederet, dum interea vas columnam digito craſſiorem ſine ulla extenſione continere potuiſſet. Cor itidem craſſum, pallidum, vacuum, habens tantummodo dextra in auricula ſinuque quid polypoſi, & in ſinu ſiniſtro pauculum grumoſi cruoris, in ſubclaviis atque carotidibus arteriis, funis, ſive filum polypoſum, vix lineæ fuit. Ad venas autem quod attinet, Cava, atque renales, diametro maximæ, ſed vacuæ; excepto filo, illi ſimili, quod in arteriis inventum, ſed hinc inde filo arterioſo linea craſſiore. Aquam multam utrumque pectoris cavum habuit, ſanguinem vero nullum; ita ut æque ſicca hæc, quam proxime præcedens Anatome fuerit.

Nullas evacuationes paſſus hic homo eſt, quia nec habuit ſufficientes: cum tranſpiratio, ſudor, alvus, urina, poſtremis vitæ diebus penitus deficerent; atque a menſis retro ſpatio parcius debito fluxiſſent. Quæ ergo vitæ ratio in illo homine fuit? Non ſanguis, ſed chorda polypoſa in vaſis fuit, tenuis adeo, ut vaſorum parietes ad columnam decuplo craſſiorem vix adplicare ſe ſe contrahendo potuiſſent. Interim homo vixit, & perpetuo forti ſuo, duroque pulſu, in diuturnis ſuis ærumnis nos omnes in admirationem rapuit. Unde rogo, cum evacuationes non modo non præceſſerint, ſed quæ neceſſariæ, dudum & imminutæ, & ſuppreſſæ fuerint; cum nullus fere ſanguis cunctis fuerit in vaſis;

cum denique vasa amplissima amplecti filum hoc tenue, si fluidum adhuc in vita fuerit, nequiverint; undenam vita hæc misera tamdiu protracta? & protracta quidem perpetuo, cum duro, fortique pulsu?

Cl. *Lieutaud* in Epitome Med. Pract. 1759. *Parisiis* edita. ubi Annemiam ad classes morborum refert, asseverat vasa sanguinea interdum usque adeo sanguine vacua reperiri, ut caput, pectus, & abdomen, tam sicca sint, ut ceram referant, vasa minora tum omni carere sanguine, majora semiplena esse, utrumque genus aëre turgere. In Virgine, cui anni spatio sanguis centies detractus fuerat, subito extincta, cerebri vasa ne vestigium quidem sanguinis ostendisse. Homini ob frequentiores in morbo acuto venæsectiones Leipothymia post mensem, & mors contingunt. Adverterant tamen paulo ante mortem vires reparari, & pristinum redire homini colorem. In cadavere vasa cerebri penitus sicca, cor sanguine vacuum reperisse se, omnesque sectiones plane siccas fecisse, Vir clarus testatur. Sed evacuationes hic prægressæ sunt; in casibus vero binis nostris, vel vix notabilis evacuatio, vel nulla, prægressa est, in quam tantæ vacuitatis vasorum causam refundas. Quanquam in *Lieutautii* cadaveribus difficultate non careat, vitam aliquantisper productam fuisse, cum tanta humorum penuria.

§. IV. *PROBLEMA TERTIUM.*

Femina 37. ann. mense Septembri 1760. in Nosocomio *Pasmanniano* ab Ictero curata, inde exivit, renitente optimo ibidem Physico *Collin*, cui mens erat eam firmioris sanitatis reddere, antequam domum repeteret: aucta postmodum debilitate, & difficili respiratione, Nosocomium repetiit, ineunte Decembri. Licet respiratio nunc difficilior esset, tamen nunquam sive quando ictero olim laborabat, sive nunc secundo uscepta, ullum cordis vel dolorem, vel palpitationem passa,

passa, conquestaque est; nunquam intermittentem, inæqualem, remittentem, pulsum habuit, nisi ad mortem, quæ a febre, & extrema debilitate contigit 14. Decemb. Cor cum pulmonibus exemptum Cl. *Collin* pro publica demonstratione ad me misit.

Ut in enarranda hac Anatome merite capiant benevoli Lectores, monitos eosdem volo, in ponderibus numerandis me ubique pondus commune medicum 12. unc. intelligere; in mensuris autem capiendis me pedem sumere pollicemque *Viennensem*. Pollex *Viennensis* $\frac{4}{3}$ lineæ minor est *Parisiensi*; $\frac{4}{3}$ longior *Rhenolandico*; dimidia linea longior *Londinensi*. Captæque fuerunt omnes hæ mensuræ postquam cor $2\frac{1}{2}$ diebus in spir. vini aquæ misto servatum, adeoque utcunque contractum esset.

Cor cum radicibus majorum vasorum elotum, detersum, mollique linteamine probe exsiccatum, pondus librarum duarum æquabat. Magnitudo autem cordis, pondusque, maxime a mole ventriculi sinistri nascebatur. Capacitas ventriculorum tanta, ut ultra duas libras caperent ambo, sicut exacte capta mensura docuit. Dexter ventriculus in longitudine perscissus, & situ naturali in tabella explanatus, sex pollicum, seu semipedis, latitudinem, prope basin cordis habuit; sinister ventriculus octo pollicum. Circumferentia basis cordis pedis integri cum $\frac{1}{3}$. pollicis. Ossea aorta ad basim cordis abscissa 4. pollicum in circumferentia fuit. Cordis sinistri densitas firma, compacta, dura, erat 10. linearum. Dextri autem crassities naturalis. Longitudo dextri ventriculi cum ea sinistri æqualis. Capacissima aorta ad Cæliacam usque, & in tunicis crassissima. Principiumque aortæ altitudine hinc 3. illinc 4. linearum, totoque in ambitu, osseum fuit; per universum autem ejus decursum insulæ osseæ, a se invicem remotiores, inventæ sunt. Pulmones boni quidem, sed ob cordis molem parvi, & in superiore thorace tantummodo inveniendi.

 Si

Si hæ omnes adeo insignes mutationes intra breve spatium prope moitem generari potuissent, in promtu responsum haberetur ad quæsitum, cur femina nunquam anxietatem ad vitalia, turbatos nunquam perceperit pulsus? At vero Historia tota innuit a longo retro tempore enormem hanc vitalium viscerum degenerationem, sumsisse originem; dum interea, quæ eam denotarent, symptomata minime observarentur. Utique cor ita monstrosum, ut, explens maximam thoracis capacitatem, pulmones angustum in spatium cogat; cor idem præ densitate indurata vix contractile; adeo capax, ut ultra duas libras liquidi contineat; Osseus aortæ annulus; Aorta dilatatissima, atque indurata, pluribusque latis osseis insulis vitiata; hæc, inquam, omnia cum pulmone vix sanguinem transmittente, vix explicabili, debuerunt necessario ejusmodi humorum fecisse circulum, quem Physiologicæ leges explicare nequeunt.

§. V. *PROBLEMA QUARTUM.*

In consilium vocabar finiente Novembri 1760. ad Viduam quinquagenariam, cum pie defuncto D^no^ *Erndl*, & egregio Viro, Nosocomii Hispanici Medico, *Hasenörhl*, Autore egregiorum binorum tractatuum practicorum. Erat spasmis illa, anxietatibus, animi affectionibus, maxime iræ, perquam obnoxia. Paregoricis, ac Neuroticis, hinc olim levata, jam haud levabatur ultra; quin potius animo incepit linqui. Judicavimus omnes vitalia, si non protopathice, quod verosimile, saltem deuteropathice, affecta esse. Hydrops pectoris sui quidem suspicionem fecit, verum palam asseri, præ multorum defectu signorum, non potuit. Die 15. aut 16. exinde elapso, extincta est.

In cadavere hydrops pectoris demonstrabatur. Cor cum vasis exemtum publico examini subjeci. Ambitus vacuati cordis fuit ad basin 9. poll. 7. lin. Ambitus

cor-

cordis in medio 9. poll. 5. lin. Altitudo a cuspide ad basin 4. poll. 2. lin. Ossiculum oblongum in substantia superioris partis sinistri ventriculi, digitum immissum mox afficiens, & sic se detegens, longitudine octo linearum, in media latitudine trium linearum, durissimum. Auricula sinistra repleta erat materie crassa, sebacea, inæquali, & cum auricula firmissime accreta: in dextræ auriculæ cornu quoque quid simile fuit.

Valvulæ tricuspidales ad aortam bonæ quidem figuræ, at durissimæ, totoque margine osseæ: corpuscula autem eorum rotunda, a *Morgagni* tam bene descripta, tum universa durissima erant, tum unum triplo majus, osseum. Valvulæ venæ pulmonalis fere unitæ in unicam, eamque latam Zonam, sed naturali duplo majorem; crassam, inæqualem, duas lineas densam.

Ambitus aortæ ad basin cordis 4. pollicum; ad curvaturam suam 4. poll. 2. lineis minus; ubi subclaviam generat $3\frac{1}{2}$. poll.; Ambitus arteriæ pulmonalis 3. poll. 8. lin. Trunci coronariarum semipoll.

Valvulæ ad aortam tegere, ac claudere coronarias non poterant, licet easdem tenaculis fortiter attraheremus. Hoc sæpe. Unde *Morgagni* ex 18. cadaveribus invenit 13. esse, in quibus idem observatum.

At non modo valvulæ non tegebant originem coronariarum, verum etiam breves, induratæ, contractæ cum essent, haud tantum non claudebant aperturam arteriæ, sed tale, ad minimum, spatium in medio relinquebant, ut aorta communis magnitudinis per illud commode transivisset. Jamque dudum id ita fuisse, valvularum crassitudo & durities, osseumque in una corpusculum, demonstrabant.

Porro quis circulus, qualisnam sanguinis motus, corde sinistro semper aperto, & aperto ad tantam amplitudinem? certe in arteriæ systole dum ad arteriarum fines resistentia est, hac via patula, multum sanguinis in cor refundi oportuit. Valvulæ enim non ob-

ſtitere. Proinde debuit cor continuo ex aorta ſe contrahente ſanguinem copioſum recipere. Unaque modo columna a corde per arteriam, numquam intercepta, ſemper integra fuit. Nec ſpatium in hoc ventriculo fuiſſe videtur ad excipiendum pulmonalium venarum ſanguinem. Si nunc conſideremus vitium hoc antiquum fuiſſe, ut ante patuit, quæritur phyſiologica circulationis in hac femina, quantumvis vitioſa fuerit, expoſitio, & modus.

§. VI. *PROBLEMA QUINTUM.*

Revoco huc caſum, quem Tom. 1. *Rat. med.* cap. 17. dedi, hominis ſcilicet, qui inſolubili, & antiqua concretione, connatas mutuo inter ſeſe quaſcunque Thoracis partes habuit, pleuram, mediaſtinum, integros pulmones, eosdemque iterum mutuis inter ſeſe lobis, pericardium, cor totum; ut proprie loquendo omnes hæ partes nonniſi idem, unicumque viſcus referrent. Nec ſingularis hic caſus eſt, duos ſimiles pueri & puellæ Cap. XII. dabit. Quæritur, quis hic vitæ fuerit circulationisque modus?

§. VII. *PROBLEMA SEXTUM.*

Puella 14. annorum anxia pectore, difficulterque reſpirans, cætera ſana fuit. Nata 16. annos, menſium fluxum ter paſſa eſt, ſequenti vero triennio nunquam. Anno vitæ 18. naſcitur ipſi in ſterno tumor, materiem fluctuatione deſignans. Cum hoc tumore prima vice ad nos acceſſit die Decemb. 30. anni 1758. Quia vagæ febres aderant, copioſamque materiem in hoc tumore, interno de pectore ortam ſuſpicabamur, credidimus vel ab ejusdem reſorptu, vel ab oſſis carie, has febres naſci. Ea de cauſa aperuimus tumorem, ex eoque pus tum illo tempore, tum deinceps quotidie, vidimus effluere. Binis elapſis exinde menſibus, nempe finiente Februar. 1759. novus apparuit altiore ſterni

ni loco fluctuans tumor; qui itidem apertus jugi fluore stillavit. Cortex peruvianus, & lactea diæta, febres egregie profligarunt. Aprili mense novus tumor cum ossis prominentia, sed is sponte recessit. A Majo mense ad Novembrem fluentibus jugiter ulceribus, sanissima vixit, res domesticas parentum in ædibus optime curavit. Menstruo fluxu Majo, Junio, Julio, Augusto, gaudebat, deinceps vero haud ultra. Nov. 16. eam denuo intra Nosocomium suscepi, eo quod novus tumor in depressiore sterni sede appareret. Apertus is, perpetuo deinceps fluxit. Sponte aperiebatur & quartus. Febres denuo continuæ remittentes, vix ultra cortice & lacte moderandæ, fecerunt vehementem materiæ ab osse sterni, vel forte ex mediastino resorptæ, suspicionem. Postremoque hoc tempore tussis accessit, ac puris sputum, tandemque vomitus, singultus, diarrhœa, consuetis immorigera remediis; superstite nihilominus pulcra corporis, facieique, torositate: ita ut cortex & lac corpus pulcre viderentur sustinere.

Hac rerum conditione in consilium vocavi optimos Chirurgos nostros: *Homburg* Chirurgum SS. MM. *Leber* Nosocomii Chirurgum, jamque Chirurgiæ in hac alma Universitate designatum Professorem, *Reïchberger* optimum ad *S. Marcum* Chirurgum, veteranum Chirurgiæ Doctorem *Reutter*; quibus sese, præter egregium Medicum *Erndl* adjungere dignatus est Ill. *Præses*. Quærebatur quæ morbi sedes, quæ ejus natura foret? Equidem sternum quatuor diversis, & manantibus, & inter sese, facta injectione, communicantibus foraminibus, pertusum erat; per aperturam autem inferiorem specillum ad profunditatem sesqui pollicis immergebatur, sursumque ductum libere aliquantisper ambulabat. Idem specillum superiori foramini inductum circa 3. & 4. costam lateraliter pollicis latitudine intrabat; ut communicatio sic esset a sterni ulceribus ad quandam seu fistulam seu cavitatem late-

teralem. Cavitas autem illa lateralis non videbatur in ipſam pulmonum abire ſubſtantiam, ſed inter pleuram ac pulmonem; aut potius pleuram inter, coſtasque, & muſculos: ſiquidem aër fortiter inſpiratus, & expiratus, admotam candelam minime movebat. Pronum inde fuit cogitare forſitan in dilatato Mediaſtino vomicam latere, quæ ſenſim ſibi viam per exteriora moliretur, & quæ ad ſuperiora ſterni lateralem haberet proceſſum. Quærebatur 2do. in hoc conſilio foretne alia, quam quæ adhibita hucusque eſſet, adhibenda curandi norma? An perterebratio oſſis, ut *Galenus* feciſſe ſe ſcribit, qui quoque corrupti Pericardii portionem, oſſe terebrato, abſtulit; nudique conſpexit cordis motum? Qualem operationem quoque factam hiſtoria famoſi *Adæmoni Becker* teſtatur, qui ipſus in oppoſito ad parietem ſpeculo proprii cordis motus contemplatus fuerat? Verum ab una parte ſternum, inæquale, & gibboſum admodum, trepanum difficulter admiſſurum eſſet; & ſuſpicio duntaxat, non certitudo, aderat, ſub eodem inveniendæ in Mediaſtino vomicæ: ſiquidem non Mediaſtinum modo, verum etiam quævis partes, tum proxime adjacentes, tum remotius ſitæ, circa ſternum ea, qua turgent, materie, evacuare ſe poſſint; unde fruſtra forte foret terebratio. Ab altera parte quatuor diverſis aperturis cum pus manaret, habebat Natura, quo ſe expurgaret.

Concluſio igitur fuit præſentia ſymptomata mitigare; corpus decocto Bardannæ, & lacte, implendo, & depurantibus injectionibus hucusque adhibitis ſubſtituendo novam, quæ aliquoties mire profuerit in ſimilibus; ſcilicet cocta uncia media Colcotharis vitrioli in aqua per ſemihoram, ut libra liquidi ſupereſſet: quibus per aliquod tempus continuatis, novum conſilium ſuper agendis convocandum eſſet. Atqui vomitus, ſingultus, diarrhœa, nulla ratione curabantur, ulcera ſiccabantur, vires cito concidebant, octiduo poſt conſilium elapſo, moriebatur.

Ca-

Cadaver pulcre torosum, pingue, crassum. Crassum omentum, adeo magnum, ut universum abdomen tegeret. Colon appendicibus innumeris pinguiferis cinctum. Ventriculus, intestina, diaphragma, jecur, splen, mediastinum, cor, pulmones, qui in dextro cavo thoracis multum, in sinistro parum, cum pleura cohærebant, optimi, sanissimi.

Cum igitur omnia viscera summam spirarent sanitatem, sternum examinandum accuratius fuit. Incrassatum illud, convexum valde, tribus in locis erosione perforatum, pluribus plagis nudum, carie exesum, ab interiore parte saccum gerens, quem pleura a sterno, costisque, recedens, formaverat; nempe ad trium digitorum latitudinem, in tota fere sterni longitudine, pleura utrinque recesserat a costarum cartilaginibus, & anteriore parte musc. intercost. internorum, una cum sua productione media, qua mediastinum format. Pollicis distantia pleura hic a sterno distabat, non tantum quia retropulsa a contenta materia, sed quia sternum, ut dixi, convexum erat. Paucum pus hic aderat, quia ab octiduo vix quid effluxerat, sed certo certius videtur a pure copiosiore hic collecto, formatus olim hic saccus, sive hoc puris receptaculum, fuisse.

Hoc ipsum receptaculum communicabat cum sinu, seu appendice ejusdem oblongo, cæco utrinque, in thorace locato, inter pleuram, & musculos intercostales, digiti longitudine. Pus nunc paucum inerat, ita ut vix intra thoracem hi sinus prominerent. Ossa costæ 3. & 4., numero a superioribus ducto, utroque thoracis in latere, circa sinus illos exesa, scabra, tamen alba: unica in plaga musculus intercostalis internus multum, externus parum, exesi erant.

Phænomena morbi mortisque considerando, mortis causam quærendo, hæreo aqua. Pure copioso olim fluente, sanissima vixit; domesticos alacriter peregit labores. Posthac quamvis pus copiose manaret, hecticæ fe-

febres, cortice insuperabiles, vomitus, singultus, diarrhœa, vehementer eam affligunt. Tandem siccis fere ulceribus, vomitu, diarrhœa, singultu, auctis, intra octiduum moritur. Periit quidem hæc juvencula omnibus quidem symptomatibus hecticis, sed non modo citra hecticam corporis, humorumque consumtionem, verum etiam cum venusta musculorum torositate, cum totius obesitate corporis. Colliquescens, seu ut in scholis loqui amant, colliquativa diarrhœa phthisicorum more, vitam extinxit; corporis pulcra torositas, & obesitas, viscerum omnium illibata integritas, colliquescentem morbum plane negant. Neque enim, si sterni territorium cum finibus suis lateralibus excipias, quidquam toto in corpore, quod sanissimum non fuerit, inveneris. Totum vitium fere extra leges circulationis hæsit.

An pus fundum receptaculi post sternum copia, ac pondere suo, in diaphragma pressit, atque illud convellendo, singultum vomitumque genuit? vix videtur, cum ultimis vitæ diebus sicca ulcera, & saccus fere vacuus fuerit, interea dum eadem symptomata pergerent.

Nunquid vitium in osse sterni natum prius fuerit, & quidem a valida thoraculi in sternum compressione, quam sero deteximus? An proinde nata sanguinis phlogistica diathesis ab osse affecto, quæ quotidie per idem os evacuaverit se sic, ut corpus maneret sanissimum? An hæc ita aucta postmodum diathesis, ut licet plurimum ulceribus efflueret, multum tamen sanguini intime commistum hæserit? Nunquid hinc 10. ante mortem septimanis diarrhœa, vomitus, singultus? Et denique an ultimis vitæ diebus, cum ulcera siccessserent, sanguis nimia copia phlogistici oneratus, adeoque per minima vascula transfluere ineptus, mortem induxerit?

Si simul corpus dudum extenuatum, & emaciatum fuis-

fuisset; causam manifestam interitus deprehenderemus; prout *Tom.* 1. *Cap.* 11. & passim in plurimis capitibus, multorum cadaverum sectione demonstrare conatus fui: verum quia viscera omnia sanissima, corpus obesitate ac torositate conspicuum fuerit, explicatio morbi mortisque deficit.

§. VIII. *PROBLEMA SEPTIMUM.*

JUvenis 25. annor. ad *Fratres Misericordiæ* se contulit, eo quod a contusione ad inguen, testemque dextrum, sibi sexenni facta, dolorem jam tumoremque ingentem perciperet. Contulerat multum augmento hujus, quod Herniam esse quidam rati, Brachierium admovissent. Ventrem universum durum, ac dolentem, Religiosi invenere. Paucorum spatio dierum miseriis confectus periit 7. die 1759.

Cadaveris sectioni interfui; sed cum Anatome quid intricati, & monstrosi habere videretur, totam abdominis molem, peritonæo maximam partem involutam, in publicum Pathologiæ Collegium afferri curavi. Clarissimo Professore Anatomes *Gasser*, pluribusque Chirurgis assistentibus, en quid invenimus!

Testis dexter molem capitis biennis Infantis habens, durus, & dum perscinderetur, hinc cartilagineus, illinc steatomatosus, scrotum explebat & inguen, haud tamen ultra suo de funiculo pendulus. Testi quippe, toti quanto, informis massa continuabatur, in inguine se dilatans dextrorsum ac sinistrorsum, ita ut expleret universam pelvim & hypogastrium, utrinque ad ilia, & posterius ad lumborum vertebras. Assurgens a medio lumborum transibat per medium Mesenterium, altiusque sub Ventriculo progressa, cum degenerascente Pancreate confundebatur, & dextra portione Hepar tangebat, in sinistro autem latere haud multo altius umbilico assurgens, spatium aliquod concedebat, in quo Ventriculus cum præcipua Intestinorum mole, arcte lo-

locaretur: Colo intestino interim a latere tumoris, & Recto sub tumore, decurrentibus.

Itaque tumor superscandendo Rectum, illud suo loco reliquerat at haud ita Vesicam urinariam. Urethram quippe, elevando vesicam, ita prolongaverat, ut ipsam vesicam in sinistro Hypochondrio versus cristam Ilei, supra molem hanc tumidam inveniremus, quo versus & ureterem dextrum, oblique transversim decurrentem, quoque deteximus. Sinistrum ureterem vero, & spermatica vasa, præ summa partium confusione, non vidimus. Testis sinister bonus, nisi quod Vaginalis ejusdem tunica ita incrassata esset, ut herniam carnosam referret.

Quid unicus non efficiat testiculus affectus? Quamque insons diu malum, brevi aliquando summum obtineat atrocitatis gradum? At, quod plus est, horrenda mala Testis minime contusus, sed a causa interna, inflammatione, obstructione, semine retento, depravato, affectus, producit. Cogitabitis forte castratione hæc quacunque de causa orta præcaveri: sed ut experientia testatur, Testis extirpatio summa mala præcavet, si funiculus spermaticus adhuc sanus sit; extirpatio Testis, funiculo affecto, malignitatem exasperat potius, quam mitigat.

Juvat *Hildanum* legere Cent. 4. N°. 64. ubi de Hernia spuria, carnosa dicta, agit. Recensitis Veterum placitis, credit ipse Herniam carnosam a semine stagnante, & corrupto oriri. 2do: In dextro potius quam in sinistro reperiri; saltem se, inter plures casus, semel modo in sinistro vidisse: quemadmodum e contrario Herniam aquosam in sinistro teste frequenter, rarissime in dextro, vidisset. 3tio. Hujusmodi Hernias ut plurimum in Juvenibus, qui sanguine ac semine abundent, quique in cœlibatu vivant, accidere solere. Historias autem horrendas recenset, interque eas unam Sacerdotis, cui dexter non modo testis, sed & vasa spermatica lapideam

in-

induissent naturam; ita ut abdomen manu comprimens, eandem profecto duritiem in dextro hypochondrio deprehenderet. „ Malum autem, ait, ad ipsam usque o-
„ riginem vasorum Spermaticorum adscendere, dolor
„ ipse, quem e regione vasorum Spermaticorum ad
„ renem usque dextrum continuo, persentiebat, in-
„ dicabat. Aderat praeterea vomitus, & appetitus
„ prostratio, non tamen propter Herniam, ut quidam,
„ qui ipsum ante me inviserat, statuit, (notavimus eundem errorem in nostro homine commissum) sed
„ ratione tumoris dolorosi, & duri, e regione fundi
„ ventriculi existentis, quique compresso abdomine
„ tactu facile percipi potuit.

Ulhoorn in notis ad *Heisteri* Chirurgiam pag. 937. habet plura similia exempla, unumque prae caeteris hominis junioris, amissa juvene uxore, dudum coelibis, quem similia eorum, quae *Hildani* Presbytero contigerant, dudum passum, tandemque mortuum, aperuerat. Invenit a Teste duro, pugnum virilem magno, corpus durum oriri, hinc inde fungosum, & ad lumbos ichore refertum; quod umbilico demum altius, majorem lobum Hepatis trudebat extrorsum. Similia in praxi vidi.

Contusiones, ut vidimus antea, tremendum hunc morbum generant; sed semine retento, corruptoque, eadem generari, experientia fidem facit. Pluresque forte existunt, quam quas hucusque recensuimus, causae. Dum a quarta specie gonorrhoeae virulentae urethra prope caput gallinaceum exesa, emunctoria seminis cicatrice coaluerint, ac sanitas postmodum redierit, ejusmodi mala oriri in proclivi est. Inepti enim, qui semen ejaculent, coacervant illud. Unica his medela est sobrietatem per omnia colere, ut semen testibus paucum conficiatur; quodque conficitur, in sanguinem redeat, virileque adaugeat robur, Quod quoque unicum his consilium superest, qui vel in Matrimonio semen copi-

osum

osum emittere soliti, jam uxores notabiliore tempore ad conjugium ineptos habeant; vel qui quondam sive Onania, sive Scortatione, multum profuderint seminis, jamque aut resipiscant, aut Religiosum, Ecclesiasticumve statum, sint amplexi. Horret animus considerando impune alibi libros tolerari, qui scelestissimis consiliis scateant. Lucrantur, inquiunt, hoc modo sanitatem, non attendentes ad Evangelicam exclamationem Matth. Cap. 16. v. 26. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro Anima sua?* Cura conservandæ sanitatis in omnes incumbit; sed legitimis conservandæ adminiculis, haud vero iis, quæ lex Divina citra ullam exceptionem condemnat.

Quæritur utrum a miranda Testis fabrica, an ab inexplicabili seminis natura fiat, ut prægressis, quas enarravi, internis, externisve causis, & Testis & Funiculus in monstrosam, adeo molem mutentur? Si a fabrica Testis, cur etiam totus Funiculus sic fiat, qui non habet similem fabricam? si a semine detento, corrupto, cur Funiculus horrendius degeneret, quam ipse Testis? An forte materia seminis jam in sanguine Arteriæ spermaticæ est, quæ in testem contusum, obstructum, deponi nequeuns, sensim ita cellulositatem, arteriis venisque spermaticis circumfusam, infarciat? Aut quæ alia causa?

§. IX. *PROBLEMA OCTAVUM.*

HOmo 20. annorum contudit dextram tibiam, quæ inde tumens pugni demum molem æquabat, spatio tamen, mirum dictu! 30. annorum indolens. Dolere tunc demum homo cepit, idque sponte; & quinque postea elapsis mensibus febre quotidiana, in tertiam septimanam producta, laboravit. Sub finem hujus febris Chirurgus facta cruciali incisione enucleavit tumorem, optimaque consolidavit cicatrice. Tumo-

morem frustum crudæ carnis retulisse ferunt. In quintum exinde mensem bene habuit; eo vero exacto repullulat malum, ac spatio 6. septimanarum sic augescit, ut in majore diametro pollices duos, unum in minore æquaret; altitudine depressior fungum æmulabatur, cujus pedunculus brevis quidem, at pollicem crassus esset. Cysticus ut olim, jam non est, & inferius erosus, apertusque, nihil stillat. Quod porro apertus sit, imprudentia contigit Balneatoris, qui homini ruricolæ lapidem infernalem dederat, ut ter de die tumorem inde tangeret. Consumi hinc non videbatur, sed erodi, ac purpurascere. Accessere autem spasmi abdominis, quibus demum respiratio anhelosa successit, maxillaque inferior obriguit.

Hoc misero statu primum in Nosocomium cum uxore venit, moxque coram me emprostotonos fit, summo cum anhelitu, & Tetano maxillæ; qui Tetanus ad mortem usque plus minus duravit. Tristi & ipsi, & Auditoribus, facta prognosi, eum in Nosocomium suscepi.

Anxie admodum in naturam inquisivimus mali horribilis, magis anxie in medelam. Post facilem 30. annorum tolerantiam (quis homini perpetuam immunitatem non esset facile pollicitus?) tumor hic quinque mensium spatio dolens, febrimque generans, enucleatus quidem fuit; at vero in osse, periosteove, quid corrupti mansisse, testari videbatur idem tumor post 5. menses renatus, tantaque malignitate comitatus, ut spasmos tetanosque crearet. Quæstio erat, utrum ita malignus natura existeret, an vero lapidis infernalis irritamento? At lapis externa modo tetigerat, quod etiam alibi haud ita malum. Ulcera, vulnera, tubercula, ejusdem attactum inculpate ferunt, etiam in locis admodum nervosis; ut v. g. in glande penis. Hæsimus suspensi, saltem a quacumque causa hæc symptomata oriebantur, erant semper formidolosa, ac periculosissima.

ma. Tetano Maxillæ impedita deglutitio per se jungebatur; quæ sane prognosin funestiorem reddidit.

Dixerat *Hippocrates Aphor.* 5.-6. ,, Qui a Tetano ,, corripiuntur, in quatuor diebus pereunt; si vero hos ,, effugerint, sanescunt. ,, Mitigat prognosin hanc Lib. de Morb. apud *Foes. pag.* 491. ,, Tertio, aut 5. aut ,, 7. aut 14. die perit, quos si effugerit convalescit." Et magis adhuc libr. de intern. affect. pag. 561. de Opistotono agens. ,, Hic vero morbus, inquit, ut lon- ,, gissime ad dies 40. detinet, quos si effugerit, conva- ,, lescit." Hæc quoad prognosin ille.

Diagnosin autem generalem pulcre format Libr. de dieb. Judic. pag. 51. ,, Maxillæ velut ligna rigescunt, ,, os aperire non potest. Oculi illacrymantur fre- ,, quenter, & contrahuntur, dorsum rigidum est, ne- ,, que crura, neque manus, neque spinam inflectere po- ,, test. *Cum vero letalis fuerit*, *potus & edulia*, *quæ prius* ,, *devoravit*, *per nares interdum exeunt*: *In Opistotono æger* ,, *in reliquis eodem modo afficitur*." In laudatis textibus ex libr. 3. de morb. & libr. de intern. affect. de hisce symptomatibus & præcipue de impotentia deglutitionis, similia refert. Porro tribus diversis in locis agit libr. de dieb. Judicat. de his nervorum morbis *ab ulcere externo* ortis: & licet post 40. diem adhuc mortem homo effugere queat, absolute tamen eum moriturum pronuntiat, *si potus*, *cibus*, *mucus*, *per nares exeunt*.

Curam suscepturus *Cöus*, quemadmodum laudatis mox textibus, in unum collectis, patet, dat primo acria quædam devoranda ex Pipere, & Helleboro nigro. An veluti nos acribus spasmum uno in loco excitamus, quo illum sopiamus in alio? Hæc vero cum nocere per se possent, simul pinguia jura superpotanda dedit. Estque hæc cura læsæ Deglutitioni anterior, quippe post illam impossibilis. 2do. Sternutamenta adhibet, scopo forte eodem, quo acres pilulas deglutiendas dederat: haud incongrue sane; cum hoc modo spasmos nonnunquam; sin-

ſingultusque, ipſo illo Aph. 6 — 13. notante, ſolvamus. 3tio. Partes tetano affectos emollientiſſimis fovebat, ut pro rigiditate adipiſcerentur mollitiem. Sed 4to. emollientibus hisce ſtimulantia addebat, ut fibræ relaxatæ in naturalem contractionem abirent. 5to. Corpus interim quantum poterat, emollientiſſimis implebat. 6to. Si deglutitio ceſſaret, naribus injici liquorem jubebat, ut, dum rigida maxilla admittere alimenta ac medicamenta, eorumque deglutitionem adjuvare, renueret, liquor per nares injectus fauces ſubiret. Hoc porro ultimum mihi difficultatem parit. Experimentum tentavi in me, & compluribus aliis, ſine ſucceſſu. Patitur homo utcumque, ſi os apertum eſt, & lingua obſequioſa; at vero quicumque noſtrum ſimulato maxillæ tetano, (ſine quo experimentum nihil eſt) hanc per nares injectionem ſive debilius, ſive fortius, factam ſuſtinuit, fere ſuffocabatur. 7mo. Peculiarem curam tetani habet injectu, affuſu, frigidæ ad corpus aquæ; religioſe tamen caſum noſtrum ab hac cura excipiendo. „ Eſt vero inquit Aph. 5 — 21. ubi in Te-
„ tano 1mo. ſine ulcere (noſter ulcus habebat) juveni
„ bene carnoſo (noſter quinquagenarius eſt) æſtate
„ media (nobis inchoabat Aprilis) Frigidæ multæ af-
„ fuſio caloris revocationem facit: calor autem hæc
„ ſolvit." Et Libr. 3. de Morb. adjungit: „ poſt af-
„ fuſam plurimam frigidam, veſtimenta tenuia pura
„ ſuperinjicito, tuncque ignem ne adhibeto."

Multis exemplis vir magnus didiciſſe videtur tetanos non modo non curari injectu frigidæ, verum etiam eosdem, ſi nondum adſint, generari. Ait enim Aph. 5 — 22. „ Frigidum mordax ulceribus .... facit ...
„ ſpaſmos, tetanos." Unde & vetat Aph. 5 — 23. affuſiones frigidæ in ulcere vetuſto, in Eryſipelate ulceroſo. Uſu quoque cognoviſſe videtur tetanos in remotioribus locis frigidæ aquæ affuſione non ſanari, niſi affuſio illa in ipſum locum fieret, unde tetani cauſa;

alioqui ulcera sic claudi possent, ut frigida iisdem minime noceret, interea dum ad tetanoideam plagam frigidam affunderemus. Vel consideravit, ut Doctiss. *Russicus Archiater* in hunc Aphorismum advertit, tetanos tum a nimia humorum copia, rarefactione, ac motu, oriundos; tum a prava materia ulcerum: in his nocere affusam aquam frigidam, cum ulcera prava frigore in pejus ruant, adeoque tetanos inde jam genitos, insolubiliores reddant; illis vero prodesse, quia, quamvis contractionem automaticam frigida augeat, minuit tamen contractionem vitalem: at vero casum rariorem esse tetani ab hac causa orti, frequentiorem alium ex prava materie. Hinc concludimus dicente illo: *Est vero ubi in Tetano*, *&c.* id perinde esse, ac si diceret: *Contingit vero nonnumquam in Tetano.* Sicque illud optimi interpretes intellexere. Hinc, quia & anceps hæc cura, & rara est, & tot exigit cautiones, & casum nostrum penitus excludit, eandem haud instituimus.

Videbantur autem duo maxime hic indicari. Primo causam tetani in ulcere aggredi. Secundo effectus sopire causæ. Certa utique mors erat, si causa in tibia non mutaretur; nonnulla spes, (pauca tamen ob mali progressum) poterat, causa ablata, concipi. Nervi ob iram, vindictam, zelotypiam, mirifice affecti, ablata causa afficiente, sæpe pacantur; at sæpe minime, quando affectus causæ, ablatæ quamvis, tantus fuerit, ut ipse ille nunc sufficiens causa sit perpetuandi motus. Exemplo viri militaris Cap. 8. N°. 3. id patuit. Attamen causa manente, effectus perennes erunt; ablata illa, spes est aliqua curationis, dummodo effectus causæ jam non fungantur vice causarum. Igitur auferendum tumorem tibiæ conclusimus, maxime cum remedia demulcentia & paregorica jam frustra a sapiente Medico adhibita essent. At vero qua methodo auferendum? Enucleatione? jam tumor minime cysticus adparet. An collum ejus ligando? Sed & collum nimis

mis amplum est, & tempus ampli colli ligatura solvendi nimis longum, & dolor inde oriundus, novis convulsionibus, tetanisque creandis, aptus natus. Prudenti igitur cultro auferendus. At vero ingens hæmorrhagia, quam ante octiduum ulcere prodiisse narrat, an non contra indicat? Hanc tortili machina arteriæ femorali circumponenda præventuros nos sperabamus. Unde 1. Aprilis *D. Leber* tam suspensa manu tumorem exscidit; ut id æger ignoraret, nisi ultimo momento. Ablatus tumor partim carnosam, partim adiposam, partimque cartilagineam materiem, & multa vasa sanguinea iisdem intertexta, referebat. Paregorica & Camphorata emulsione patiens usus, tetanodes nihilominus mansit, & insequente nocte factus est emprostotonus.

Sed mox ab operatione loca tetanoidea externis remediis aggressi sumus. Egregium effectum in juvene, tetanum maxillæ ex lue venerea habente, videramus a *Paræi* consilio, fimum equinum adplicandi. At tentamen hoc effectu caruit. Inutilia quoque cataplasmata erant seu emollientia sola, sive emollientia cum camphora. Enematibus communibus prægressis, vicissim alia tum nutrientia, tum opiata immissa sunt. Expertus pluries in spasmo, deglutitionem integro die plane impediente, enematis, unciis ℥. 6. lactis, laudani gr. 3. 4. parati, mirandos effectus, idem tentavi, sed frustra. Incassum quoque pluries injectum in anum oleum. Nec juvere multæ siccæ cucurbitæ ad guttur & maxillam pluries, ac numerosæ, admotæ. Acria cataplasmata, vesicantia ad eundem locum, ut & alibi adhibita, sine effectu constante. Imo tumor intra triduum avellanæ magnitudine repullulavit; qui, consilio habito, denuo ad periosteum, maiore tamen quam prius dolore, exscindebatur. Febris vere ardens juncta post binos a prima operatione dies fuit, cum pulsu durissimo. Spatio sex dierum durante illa, sanguis quinquies ad notabilem

copiam detractus, semper crustam densissimam gessit; ægerque diu noctuque caloris intolerabilitatem conquestus est; interea dum Thermometrum, bis die octo minutis adhibitum, passim 98. aut 99. gradum, semel modo 100. notaret: ultimis quinque diebus paucæ duntaxat urinæ guttulæ prodierunt: nono die periit.

Anatome notanda hæc dedit. Tribus diebus, minus sex horis, a morte elapsis, nemo, nisi summam vim adhibendo, maxillam vel leviter diducere potuit. Idem antea observaveram in femina, quæ a tetano maxillæ, rabida ira suscepto, in Nosocomio obierat. An igitur contractio, eaque tam valida, tanto a morte tempore, in tendinibus ac musculis perennare potuit? Totum Palatum fornicatum, Velum pendulum, Uvula, Oesophagus totus, albedinem, non ab adnata crusta, sed ab ipsa sua politissima substantia referebant. Ventriculus nonnihil reservaverat suæ villosæ tunicæ, ut etiam quibusdam in locis intestina; at vero eadem intestina hinc inde magnis inflammata plagis, coloreque purpurea, eandem habuere glabritiem. Pinguetudo immensa in toto interno corpore, atque massa ingens pinguedinosa, ventriculum duos in saccos comprimendo dividens, ut jam Cap. 7. N°. 4. notavi, licet homo hic nullam habuisset in vomitus propensionem. Coli ligamenta tensissima, unde idem contractum valde in longitudine; amplitudine autem expansissimum. Bilis vesica nigerrimæ bilis duas uncias continebat. Vesica urinaria prorsum vacua; unde patebat, quando urina 5. dierum spatio vix paucula excernebatur, defectum secretionis, sive ischuriam spuriam, ante mortem adfuisse. Ad mediastinum, ac pericardium, multa vasa, quæ & magna, & turgida. Paries dextri cordis tenuis admodum, crassa sinistri. Aorta a corde usque ad absolutam suam curvaturam in saccum naturali duplo ampliorem dilatata erat. Polypi crassi in utraque majori arteria; polypus ex arteria in cor pendulus, bulbi instar, exte-
rius

rius flavus, coagulatus, interius autem cavus, ac sanguine purpurascente, omninoque fluido, plenus. Aspera arteria cum pulmonibus bona. Cartilago thyroidea plane ossea. Reliqua viscera, partesque sanissimæ.

Quod jam ad os tibiæ adtinet, tres supra illud eminentias exiguas, cum periosteo haud cohærentes, sed in cellulositate libere locatas, deprehendimus: os autem tibiæ ipsum tophum pollicis lati magnitudine habuit. Osse serra diviso, bona medulla, bonaque ossis interna superficies.

Nunquid lapis infernalis afficiundo nervum in tumore, sic alios in corpore nervos affecit, ut, causa ablata, nervi, tendinesque, & musculi, contractionem suam perpetuarint? Imo ad expletos fere tres a morte dies in maxilla continuarint? Et postremum hoc, quibus demum Physiologiæ legibus explicabimus?

§. X. *PROBLEMA NONUM.*

Hujus anni 27. Martii Expertissimus & Eruditissimus Medicus *Guarin* copiam mihi fecit cadaveris juvenis 19. ann. qui elapsis exinde 5. septimanis ad Nosoc. *Fr. Misericordiæ*, cujus vigilantissimus Physicus est, delatus, debilis, vix anteactorum memor, sui morbi anamnesim dare non potuit; id unice deplorans, quod præ miseranda rerum omnium egestate in has calamitates incidisset. In hac debilitate dextro latere doluit, difficulter animam duxit, tussim frequentem habuit, pulsumque celerem, ac debilem; sitibundus, alvo obstructus. Prudenti remediorum usu spatio octidui recreari primo visus, anxietate dein ingenti correptus est, & 12. anxietatis hora exspiravit.

Aperto abdomine, peritonæum hic lineam, ibi tres, quatuorve, crassum, cæterum album, granulosum, tuberosum, ubique. Omentum non inveniebamus. An ideo tam crassum peritonæum, quod omentum a nexu suo cum colo & ventriculo solutum, in unam informem

membranam cum illo degeneraverit? Quidquam tamen, omento simile, veluti extensum, atque connatum, cum intestinis, apparuit nobis; verum minime omentum fuit, cum marsupii instar æque tegeret intestina ad dorsum, quam ad anteriora, arcte cum illis ubique coeuns. Probe autem & lente producto examine, vidimus clare externam omnium intestinorum tunicam ab intestinis omnibus secessisse, & cum vicini intestini tunica secedente coaluisse. Erat autem tunicæ externæ secessus in toto intestini cujusque ambitu. Quando enim uno in loco perscideram hanc extimam tunicam, digito sub illa potui perambulare circum totum intestinum, ipsiusque intestini ex hac vagina educti portionem adtrahens, evaginavi omnia intestina ex sua tunica externa, sine vel minima laceratione. Stupentes omnes hunc mirum casum, mesenterium dein & mesocolon contemplabamur: in illis mirabamur nunc laminas utriusque sic abire in vaginam hanc, seu tunicam olim externam intestinorum, ut nonnisi una videretur eademque membrana. Utque superficies tunicæ intestinalis obsita erat innumeris ubique flavis granulis, ita & mesenterium, ac mesocolon. Verbo dixerim nullam differentiam inter mesenterium & mesocolon ab una parte, & extimam intestinorum tunicam, jam ablatis intestinis adparuisse, præterquam quod laminæ illorum cellulositate unitæ essent, hujus vero a se invicem liberæ. Proinde clare demonstrabatur id, quod Anatome docet, tunicam externam a mesenterio & mesocolo intestinis dari; 2do. Ligamenta coli ab hac tunica nasci. manserant enim in illa hæc; evaginato autem colo, levis modo tensio, minorque tantummodo extensilitas, quo in loco affuerant ligamenta, aderat. Quod porro in principio ideam unitæ membranæ, omenti instar, universam anteriorem intestinorum molem posterioremque tegentis apparuerat, id inde natum esse posthac intelleximus, quod tunica hæc

ex-

externa, pluribus in locis lacera, cum lacera parte vicinæ inteſtini tunicæ, coiviſſet, hincque unicam atque æquabilem membranam repræſentaret. Unde inteſtina, in parte a meſenterio averſa, ſua hac tunica deſtituta erant; & prope Meſenterium ab eadem ſine cohæſione contegebantur.

Inteſtinorum longitudinem definire difficile, hincque variare in hac definienda videmus Anatomicos. Si a Meſenterio ſeparantur, longiora brevioraque erunt, prout plus minus de Meſenterio adhæſerit. Eſtque in homine uno præ alio differentia quandoque magna. Cæterum vix differret menſura multorum; niſi proprio errore noſtro differentiam menſurarum ingentem ſtatueremus. Id ut evitetur, notities requiritur varietatis ulnarum pedumque apud varias gentes In pedibus paucior eſt diverſitas, quam ut notabilem differentiam in longis corporibus menſurandis inducat, quemadmodum pag. 143. oſtendi. Hinc quando v. g. *Gliſſonius* tenuibus dat 33. pedes, *Garengeotte* 22., ſtatuendum eſt, aut *Gliſſonii* hominem multum ab eo *Garengeotti* differre, aut *Gliſſonium* Inteſtina curatius a Meſenterio ſolviſſe. Ubi vero Autores longitudinem ulnis definiunt, accuratius attendendum eſt. *Hollandicam* v. g. ulnam *Viennenſis* $\frac{1}{4}$. excedit; *Pariſina* $\frac{1}{2}$. *Viennenſem*. Optimam menſurandi facultatem evaginata noſtra Inteſtina dabant: elongatiora quidem extrahendo facta, primum ad naturalem amplitudinem aëre inflabantur. Tenuia æquabant 12. ulnis *Viennenſibus*, craſſa ſeſquiulnæ: habebant igitur una ſumta 31. pedes *Viennenſes*. Differentia autem pedis *Viennenſis* cum aliis pag. 143. notata fuit.

Si igitur homo ſit 5. pedum, & inteſtina ejus 31. pedes longa ſint, habebitur paulo plus quam ſextupla longitudo inteſtinorum, quam quæ eſt hominis. Porro ipſi homines ratione Inteſtinorum inter ſeſe differre queunt, idque naturaliter (neque de monſtroſa brevitate in

Chirurgia *Dionis* descripta, aut de similibus, hic sermo est); adeoque quintuplo aut sextuplo Intestinorum longitudo major, quam corporis, unde desumta sunt, definita a variis Autoribus, haud multum a nostra observatione differt.

Præcipue autem hic quæritur, cujusnam generis hic morbus fuit? quove nomine appellandus? Quantum mihi nota Historia medica est, similem nondum reperii. Qualisnam Intestinorum maxime crassorum, actio, qua, datis ad id remediis, pluries sese ante mortem evacuaverint? Qua de causa genita hæc universalis intestinorum, ab externa sua tunica, solutio? Cur nulla inde læsio nata, aut affectio observata Intestinorum? Malum enim antiquum fuisse, absoluta omni in loco separatio tunicæ ab intestinis; firma tunicæ externæ, in locis mutui contactus, cohæsio talis, ut unam modo membranam referret; abunde evicerunt.

§. XI. *PROBLEMA DECIMUM.*

FEmina Lue Venerea affecta magnum corpus intra dilatatissimam Vaginam, ex eadem vix propendens, gessit. Sex septimanis in *Pasmanniano* Nosocomio fuit, alvum bonam (quod præprimis notandum) semper habuit ibidem, morbi autem gravitate circa medium Januarii hujus anni obiit. Uterum, Vaginam, Intestina, expertissimus ibidem Physicus *Collin* mihi ad publicam demonstrationem misit.

Ileum intestinum utero arctissime unitum erat, ope duri tumoris, pugnum virilem magni, in Intestini parte a Mesenterio aversa hærentis, idemque ideo ultra pugni magnitudinem extendentis. Nulla tamen prava symptomata hinc orta fuere; cum Intestini pars, Mesenterio nexa, canale sufficienter amplo transitum Chylo concederet. Fuit hernia intestinalis intra Vaginam, qualem *Garengeotte*, aliique notarunt. Igitur femina hæc cum tumore pugni magnitudinis in ipso Ilei cavo, cum her-

hernia Inteſtinali intra Vaginam, ſine ullis letalibus alterutrius morbi ſymptomatibus, longo admodum tempore vixit.

In Hernia ejusmodi, ubi portio inteſtini ita intercepta eſt, ut quæ intra abdomen portio ſit, libera maneat, apertamque viam Chylo aut fecibus conciliet, mortem toties, poſt omnia Herniæ incarceratæ ſymptomata, ortam vidimus; idque, ut videtur, a producta aut inflammatione, aut ſpaſmo, a parte conſtricta ad eam, quæ libera eſt. Hic pars Ilei inteſtini pugni magnitudinis tumorem habuit, cum utero intime, lateque concrevit, & ab uteri latere in Vagina pependit. Cur nunquam affecti adeo graviter & monſtroſe inteſtini, cur nunquam Herniæ Vaginalis, ſymptomata apparuerint? Prævideo, qui problematis ſolutionem tenere ſe autument; ſed rogatos eosdem volo, an ipſi, ſi multos caſus practicos Ileorum & Herniarum viderint, ſibimet tali ſolutione ſatisfaciant?



CAPUT XI.

De Calculo veſicæ Urinariæ, & Lithotomia.

§. I. *Quinam aut nullam, aut notabilem, aut integram quietem, in calculi tormentis, ab Aqua Calcis, & Uva Urſi, adipiſcantur. An, qui nullam, his diſſuadenda ſectio, ob degenerem viſcerum ſuorum conditionem? Communi modernorum methodo inſtituta ſectio, diſſuadenda ſane; quæ vero methodo* Fratris Coſmi, *ſuadenda, eo quod non periculoſa, & qui poſt illam moriuntur, non ab illa pereant, ſed quod morbus ipſorum jam letalis exiſtat. Unde data hac prognoſi videtur poſſe tuto inſtitui. Occaſio cur in Noſocomio hæc celebris fuerit.* §. II. *Prima ſectio cum ambigua admodum prognoſi inſtituta; cujus occaſione ipſa Methodus exacte enarratur, cum*

omnibus cautelis in eadem observandis, ratione patientis, operatoris, adjutorum. Mors patientis, & Anatome. Observata necessaria ex cadavere petita in Methodi laudem. Historia secunda fortunatam sectionem habet. Historia tertia sequitur, ubi in congenito malo, prognosi ambigua formata, sectio optima fuit; sed puris perenni confectione a degeneratione partium nata, & effluxu, vulnus post se longo tempore apertum reliquit. Historia quarta exhibet sectionem in congenito quoque, ut videtur, malo, quæ post ambiguam prognosin, felicissima fuit. Et quinta historia in connata Lithiasi perfectam sectionem refert. Historia sexta in desperato fere casu ingens a sectione levamen, non perfectam tamen curam, habet. Historia septima, omni ex parte felicissima, licet morbus congenitus videatur. Historia octava Casum refert pueri ante annum communi methodo, hoc ipso anno bis secundum eam Fr. Cosmi, *secti, ubi comparatione facta inter symptomata, quæ hic puer a sectione modernorum primum, & nunc ab eadem methodo* Fr. Cosmi *bis instituta, habuit. Simul hujus præstantia præ illa patet. Historia nona felicem omnino curam refert. Historia decima optimam quoque curationem continet, sed ob quandam in methodo mutationem, quæ communi modernorum sectioni laterali similis erat, symptomatibus comitatam gravioribus.* §. III. *Ex omnibus antedictis 23. Scholia sequuntur, quæ agunt de variis secandi methodis, deque ea* Fr. Cosmi *dicta, tum de variis in tota cura observandis, de urina, glutine, pure calculosorum.*

§. I. DE hoc morbo *Austriæ* Endemio, plebejis tamen, quam nobilioribus familiariore, ut in omnibus hujus Operis Partibus egi, ita ob experimentorum crebritatem de eodem hoc capite iterum fuse agere decrevi. Ac primo quidem loco, quæ toties antea dixi, repetam: iteratis experimentis liquido constare 1mo. Plures numero homines esse, quibus aut Aqua

Cal-

Calcis cum Sapone, aut Uva Ursi, ejusmodi levamen afferant, ut cum præsente calculo sint adeo sani, & in functionibus suis præsertim Ouropoietica, adeo valentes, quam si prorsum liberi a calculo essent. 2do. Dari nonnullos, quos ad tempus quidem, haud vero constanter, levent. 3tio. Non paucos quoque reperiri, quibus ne hilum quidem opitulentur. Hos ultimos repetitis experimentis didici nonnullas habere partes, Vesicam, puta, aut Ureteres, aut Renes, aut horum plures simul, sic a statu sano degeneres, ut restitui nequeant, hincque remedio dato, vel non dato, antiquas ærumnas continuent. Qua eadem in causa, eosdem Lithotomia sanescere posse nego, quod hæc calculum auferendo, degeneres notabiliter partes non redintegret.

Hisne igitur sectionem dissuadebimus? Profecto si a sectione multi pereant, ut Diaria sectionum luculenter demonstrant, parvum illud solamen, quod nonnulli inde percipiunt, ut vitam paullo minus miseram ad tempus protrahant, mortemque procrastinent, non potest acceleratæ multorum æquiparari perniciei. At vero si talis sit secandi methodus, ut vix inde, nisi penitus desperati moriantur; si ea sit sectionis fortuna, ut etiam ii, quibus degeneres utcumque hæ partes, vel insigne levamen habeant, vel etiam in integrum restituantur; si denique illud artis emolumentum sit, ut calculum nullo cum vitæ periculo educat; erit sectio fere omnibus commendanda. Quinimo cum longe tutius est calculi cruciatu liberari, ablato, quam remanente calculo, erit hæc præstantissima secandi ars quibuscunque symptomatum curandorum methodis præferenda.

Porro ejusmodi est secandi methodus *Fratris Cosmi*. Quod ne precario asseruisse videar, hujus methodi historiam paucis adornabo.

Aderat hac hyeme cum *Regia Principe Lotharingia* ejusdem Consiliarius & Chirurgus *Cambon*, vir in omnibus fere, quæ perfectum Chirurgum formant instruc-

tis-

tissimus scientia, peritia, dexteritate, probitate. Narrabat mihi se hanc normam secandi primo *Parisiis* sub auspiciis Reverendi Autoris feliciter exercuisse, posteaque alibi frequentius. Exhibebat mihi famosum illum, quem *absconditum* vocant, cultrum Autoris examinandum. Noveram autem contradictiones, quas *Cosmus* a parte haud incelebrium in Arte Magistrorum, ac si ars ejusdem perniciosissima foret, perferendas habuerit. Extat in hanc rem liber, cui titulus: *Receuil de Pieces importantes sur l'Operation de la Taille, faite par le Lithotome caché, Paris* 1751. in quo de hac re utrinque deceptatur. Porro experimenta, in vivis facta, eo tempore pauciora extabant, quam ut Autor methodum suam contra vehementes Adversariorum clamores sartam tectam præstaret. Verum curæ, quas sane numerosas egregius *Cambon* feliciter perfecerat, convincebant me de methodi præstantia. Unde humaniter ab ipso petivi, ut suam in Nosocomio nostro dexteritatem vellet exercere; id quod cum lubenter annuisset, operam dedi ut in urbe, in suburbiis, in vicinioribus pagis, sufficiens Calculosorum numerus colligeretur, quorum historiæ ordine sequuntur. Præsentia sua operationes istas cohonestarunt sæpe celeberrimi in Arte Viri, Magnificus Rector de Fetzer, Ill. Præses L. B. Van Swieten, Spectabilis Decanus Dietmann, omnes Magnifici Dni Archiatri, semel quoque SS. MM. Oculista dexterrimus Wincel, ac multi alii Medici & Chirurgi.

HISTORIA I.

N. Keller, biennis infans, stranguriam dudum jam passus, 26. Aug. 1757. ad me adductus est. Cum Dno *Leber* illum examinans asperum calculum detexi. Dedi Uvam Ursi a granis 4. de die incipiendo, & augendo sensim ad grana 40., interpositis ob miserandos infantis ejulatus paregoricis; exiguum initio levamen fuit, dein-

deinceps vero insigne; ita ut annos 1758. 1759. tolerabilissime transegerit, modo remedium aliquando non negligeret. Contigit autem ut Autumno 1760. quotidiana febre, & anxietate pectoris laborans, spatio 10. dierum in Nosocomio detineretur, eoque tempore Uvam Ursi minime assumens, urinam tamen sanorum more optime, crebriorem tamen & pauciorem, redderet; idque post hac, parentibus eum repetentibus redditus, integro mensis spatio continuaret. Exinde vero malum remedio haud ultra obedivit. Unde degenerationem partium jam præsentem, & ni caveretur, futuram demum irreparabilem metuens, obtuli hunc puerum, nunc quinquennem, secandum D. *Cambon*, id præfatus, quod metuerem ne forsitan malum jam incurabile esset; quod tamen, cum & tuta adeo & blanda ejus methodus esset, nihil nos periclitaremur, efficiundo, ut minus miser, tardiusque, puer moreretur.

Igitur purgatione prægressa, & ventre etiam paucis ante operationem horis enemate eluto, D. *Cambon* operationem fecit 15. Dec. 1660. En autem methodum.

Operator in pulvinari mensæ imposito locat puerum, capite paulum elato, manuum carpis laqueo cifram arabicam 8 referente, cum tibiis molliter ligatis, & femoribus versus abdomen, sed extrorsum, utrinque ab apto famulo detentis; sic ut anus tangat marginem tabellæ. Inducit primo Itinerarium dictum, crena in dorso suo excavatum, & adhuc, pro more, ejusdem apice se facit de calculi præsentia certiorem. Versus sinistrum latus tunc inclinat Itinerarium, quasi tuber ossis ischii sinistri quæsiturus. Deinde dat perito Assistenti illud sic firmatum, & dorso suo ad sinistrum perinæi latus oblique appressum, manu firma tenendum. Notandum tamen os ischii præter propter tantum dirigere itinerarium, nam non diverso modo in sexu, sed in sexu virili etiam, tuber ischii nunc remotius, nunc propius, abest a media pube, vel coxyge.

Re-

Rebus ſic præparatis digito quærit locum itinerarii, digitoque ſupra illud poſito, operator facit cultello communi aperturam in elevatiore parte, donec cultello ſuo tangat nudam itinerarii crenam, & apice cultri in crena firmato, ducit cultrum per integumenta per aliquot lineas, oblique deorſum, quo viam paret ſequenti inſtrumento.

Repoſito primo cultro, apprehendit cultrum, lithotomum occultum vocatum, qui prius adaptatus eſt ad anguſtiorem, ampliorem ve ſectionem, prout major minorve calculus judicatur, aut junior eſt, adultiorve is, cui operatio fit. Numeri ſunt notati in ambitu hexagoni manubrii illius inſtrumenti, quod in hoc cultro occulto vice vaginæ fungitur. Numeri hi deſignant, 5. lineas, 7. lineas, 9. lineas, 11. lineas, 15. lineas longitudinis faciendi vulneris. Manubrium gladioli, in vagina recluſi, tunc adaptatur ad numerum requiſitum, & notatum in manubrio inſtrumenti vaginalis.

Hoc facto, apex cultri lithotomi occulti per factam aperturam adplicatur ad crenam itinerarii. Operator cum cultro lithotomo quærit apicem itinerarii, ubi crena ejus repagulum, ſive aggerem habet, impedientem ne cultri lithotomi apex, aut exeat ultra, aut elabatur ex crena. Jam igitur habens ſuum punctum certitudinis, quod in veſica ſit, eoque ejus, quo oportet loco, educit itinerarium ex veſica. Dirigit tunc cultrum lithotomum in vulnere, ut gibbum ejus dorſum ad inferiora ſpectet, & ut anterior cultri, ſeu potius ejusdem vaginæ, pars, ſuum punctum fixum ad os pubis habeat. Hæcque omnia ita dirigit, ut ſimul manubrium circiter horizontaliter ponatur. Et ubi primo totum cultrum ita tenet, ut dorſi acuties recta deorſum vertatur, tunc ad lineæ latitudinem circiter leniter inflectit manubrium ſuperiore ſua parte introrſum, verſus medium pubis, ut culter ſciſſurus ſit in illa obliqua linea, in qua prior ſectio viam jam monſtrat, quæque ſic oblique

que verſus tuber Iſchii dirigitur. Firmiter tunc manubrium majus ſeu vaginæ, tenens, premit manubrium gladioli, qui gladiolus, dum operator inſtrumentum ad ſe trahit, exacte tot linearum vulnus facit, quam antea definitum fuerat, ſcindendo ſic ab interioribus extrorſum verſus.

Via igitur ampla jam patet. Per illam forceps inducitur, digito in vulnus miſſo viam monſtrante, vel inducto conductore, & calculus quæritur. A principio operationis, id eſt, ab inductione itinerarii, tria minuta elapſa erant, quartumque minutum calculi explevisset eductio, ni adeo friabilis is fuiſſet, ut in grumos faceſceret. Hinc grumis quærendis, educendisque, adhuc quatuor minuta præterlabebantur. Cum vix ſe moveret tota operatione, vix clamaret infans, exemplum dedit inſenſibilitatis in parte ſenſibiliſſima, absque concluſione, quod veſica, muſculi, nervi, cutis, non ſentiant. Pro more fomentum olei roſacei ventri imponebatur; ſed venter unquam nec tumuit, nec doluit. Nulla facta eſt vulneris deligatio, ut eſſet liberum ſtillicidium urinæ, liber exitus relictorum forſitan ramentorum calculi. Suaſi aliquoties fieri injectiones olei lini cum aq. hord. quo ea ramenta certius eximerentur. Emulſa paregorica dedi per plures dies. Suaſu quoque Operatoris dedi quavis hora unc. iij. aq. hord. & omni trihorio totidem juris carnis ſine pane, poſt diem tertium panadellam. Hæc in omnibus ægris noſtris exacte obſervavimus, cum optimus Operator ſæpe aſſereret ſine multo admodum potu, & tali diluto nutrimento, non raro ſymptomata prava obſervari, quæ alioqui non obſervarentur. Si res pro votis cedat, ſenſim dantur poſt 8. diem carnes teneriores, & legumina.

Interim febris continua remittens perpetuo aderat: quæ cum die 10. adhuc continuaret, imo augeſceret, communi conſilio cortex peruvianus dabatur, cui ob

vermium symptomata semen santonici additum est. Et vermes quidem teretes tres excrevit, febrim autem jugiter habuit. Respiratio nunquam ipsi aut ante operationem, nisi ante tres menses in morbo, aut post operationem, impedita fuit; nec ulla unquam tussis. Verum per urethram non minxit unquam, nisi bis pauxillum, ex quo operatio facta fuit. Febre demum totus consumebatur, & quatuor ultimis vitæ diebus respirationem cum roncho habebat, anxius maxime erat, ita ut quovis momento alium corporis situm quæreret, tandem 60. ab operatione die obiit.

Cum Operatore, Chirurgo nostro, aliisque præsentibus, Anatomen feci. Cicatrix formata vulneris sex septem lineas æquabat; punctulum modo in cicatrice apertum erat, per quod juge fuerat urinæ stillicidium. Patuit tunc evidenter factam esse sectionem per totum vesicæ collum, ita ut superior ejus pars leviter tangeret vesicæ cavum, inferior pars principium urethræ prope collum. Sit mihi fas nunc in supino cadavere secundum situm naturalem loqui, & inferiorem vocare urethram, superiorem vesicam: quamquam paullo ante inverso ordine has partes nominaverim, dum jacente ægro in mensa, femoribus ad abdomen reflexis, operationem explicarem.

Igitur cultellus ordinarius facit sectionem supra crenam itinerarii in principio urethræ, principioque colli vesicæ. Culter lithotomus in hanc aperturam inductus, perscindit collum totum, & in hoc puero, cum culter lithotomus ad vulnus septem modo linearum adaptatus esset, portionem duntaxat parvam vesicæ. Porro dum idem culter lithotomus in vesica positus, ab interioribus exteriora versus omnia æquabiliter perscindit, simul æquabilissime transcindit totam prostatam.

In vesica porro ne grumulus quidem calculi supererat. Quia vero impossibile fuit in operatione omne grumosum simul & semel cochleari auferre, fateri opor-

portet hanc methodum, qua post sectionem vulnus sibi dimittatur, ea saltem de causa laudandam esse, quod, libero per vulnus urinæ effluxu, quævis calculi diffracti ramenta, imo & alter, si affuerit, calculus, commode integreque exeant. Eandemque ob causam repetitas in vesicam injectiones utiles esse.

Obliquitas sectionis, prout exposita est, si in cadavere examinatur, evitat exacte Rectum intestinum, modo id non turgeat. Hinc recte cura habenda ante operationem, ut illud purgatione, enematibusque, a fœcibus & flatibus rite expurgatum, adeoque ut flaccidum sit. Alioqui fatendum est, hac secandi norma Rectum rarissimo casu posse lædi. Cum sæpius ex Nosocomio civico nobis cadavera compararemus, ut in iisdem hanc methodum exercentes, videremus ejusdem effectus, semel nobis hicce casus contigit. *Franconiana* methodo vesicam supra pubem incidentes, calculum duos pollices in majori, unum in minori diametro habentem, eidem imposuimus, vulnus consuimus. Operationem cultro lithotomo occulto secundum exactas regulas perfecimus. Erat corpus adulti, & magnus calculus: hinc gladiolum aptavimus ad 15. lineas. At minus foramen fuit, quam ut tantæ molis calculus, una cum forcipe transiret. Apertura cultello tribus lineis producta, lapis educebatur. Curatissime tunc effectum sectionis per omnes disscissas partes examinantes, invenimus Rectum, quod antea evacuatum non esset, perscissum fuisse. Quare Recti intestini probe evacuandi cura religiosissime semper est observanda. Equidem asseverabat operator id se necdum vidisse unquam, qui hanc operationem tam in mortuis, quam in vivis, octuagesies & quater jam peregisset. Attamen quod nobis in hoc cadavere contigit, contingere pluries potest, si cura evacuandi negligatur.

Iteratis cadaverum experimentis, & tunc, & postea sæpius, didicimus eos, qui in operatione femora

dirigant, multum posse ad faciliorem, difficilioremque calculi eductionem facere. Si crus sic gubernent, ut genu ducatur multum extrorsum, spatium inter tuber ischii & ossa pubis, angustatur; sin vero genu introrsum magis ducatur, hoc spatium ampliatur. Observatio hæc videtur attentionem in operando mereri.

Vesica urinaria tam parva erat, ut duarum unciarum calculum vix potuisset comprehendere, crassitudinem ceterum trium linearum fere ubique habebat, unde etiam compactissima fuit. Similes calculosorum vesicas prioribus Partibus plures descripsi. Nunquid dudum tam parva ac crassa vesica fuit? aut demum post operationem sic reddita est? Utrique sententiæ militant rationes. Ita eam dudum fuisse, ut negemus, operatio videtur suadere, in qua varia instrumenta vix moveri potuisse apparet, si adeo & contracta, & præ crassitie vix dilatanda vesica fuisset. Attamen cum vesica calculum unciarum duarum fere potuerit continere, parvusque adeo hic calculus fuerit, ut omnia collecta ramenta pondus 71. gran. non excederent, spatium utique ad admittendum itinerarium, & cultrum lithotomum, iisque eductis forcipem, qui certe leviter modo intravit, adfuisse videtur. Potuit ergo vesica fuisse tam parva ante operationem; sed reapse tam parvam, contractamque eandem ante operationem jam fuisse, arguunt sequentia. 1mo. Quod calculi sectio non soleat sic reddere vesicam. 2do. Quod vesicas ita contractissimas invenerimus in calculosis non sectis. 3tio. Quod in morbo ante tres menses in Nosocomio observato, commode quidem puer, sed exigua tamen copia, urinam redderet. 4to. Quod injectio post operationem ilico facta, copiæ licet paucissimæ, ex parvo siphunculo, & tunc, & semper, actutum exsiliret. Unde si puer in vivis mansisset, habuisset profecto semper id vitium, ut non diu retinuisset urinam, etiamsi externum vulnus probe claudi potuisset. Sed quoque vesica adeo & con-

contracta, & crassa, inepta videtur fuisse ad bonam cicatricem formandam; unde etiam videtur perpetuo fistulosus futurus fuisse, si vixisset.

Ad reliquam Anatomen quod spectat, erant glandulæ mesenterii numerosissimæ, durissimæ. Ingens pancreas unus scirrhus. Hepar cum multis tuberculis siccum ac durum. Parvis scirrhis lien plenus. Pulmo dexter non nisi unus scirrhus; sinister in quadam mollitudine innumeros scirrhos gessit. Ad Tracheæ dichotomiam glandulæ scirrhosæ castaneæ magnitudinis. Itidem thymus. Exsangue & macilentissimum corpus universum.

Ut ex anamnesi constitit, tussi ac febre ante operationem non laboravit, nisi quando per paucos dies ante tres menses ægrotaverat. Inter operationem pueri torositatem omnes mirabamur. Ergo spatio 60. dierum, quibus ab operatione vixit, degeneratio hæc videtur probabiliter nata. Utique in sano etiam corpore Febris diuturnior omnia solida fluidaque pervertendo, letales facit obstructiones, scirrhos, &c. An vesicæ vulnus, ob callositatem in integrum incurabile, ab acrimonia exstillantis urinæ alcalinæ continuo irritatum? imo an acris hæc urina ad cellulosa vulneris labia resorpta, hanc non potuerit generare febrim? maxime primo mense, quando magna erant labia vulneris?

HISTORIA II.

Puer decennis in *Luxemburgo* calculi symptomatibus a quadriennio laboraverat. Præstantissimus *Lauter* loci Medicus, quem optimæ spei virum immatura mors hisce diebus sustulit, Uvam ursi ipsi dedit. Negligentissime ea æger usus, vix levamen inde percepit. 22. Dec. 1760. D. *Cambon* sua methodo secuit illum. Tria minuta effluxere a principio, usque ad forcipis inductionem. Verum calculus tum levis (pondus enim 52. gran. modo fuit) & echinatus, hirtus innumeris

pinnis 2. 3. lineas longis, vix forcipe tenendus, undecim minutorum operationem fecit. Ejulavit, & vociferatus est hicce eo vehementius, quo minus prior. Sed & vociferabatur, jam ad inductionem itinerarii, ut vix quatuor hominibus esset continendus. Primis quatuor ab operatione horis dolores acerbos conquerebatur, exinde vero semper se doloris cujuscumque expertem esse testabatur. Venter nunquam intumuit, non induruit, non doluit. Tota ejus cura fuit, ut prioris. 25. Dec. nonnihil sanguinis vulnere, urethra, & naribus simul effluxit, at brevi siluit. Optime jugiter habuit, optime dormivit, appetiit, egessit. Vulnus diu apertum mansit; licet operator a 3. Jan. 1761. suasisset puerum, vulnere manu clauso ad mingendum per urethram adjuvare; deinde finiente Jan. & ineunte Febr. labia vulneris lapide infernali tangi, puerumque ligatis ad se femoribus sedere jussisset. Febr. 6. demum clausum fuit. Toto autem tempore quo ante & post clausum vulnus minxit, urinam semper pallidam, ac fœtentem, sæpe opacam, sæpe simul cum glutine calculosorum onustam, reddidit. Tandem gluten, & fœtor urinæ defuit, sed copiam ejus non nisi unc. j. simul emisit. Triduo diarrhœam passus, usu rhei cum myrobalano; & vespertina theriaca, convaluit. 21. Febr. perfecte sanus ac torosus puer domum rediit, & perfecte etiamnum valet.

HISTORIA III.

Ignatius Stigler 10. ann. ex quo meminit, semper plus minus in mictu doluit. Septem anni nunc sunt, quod parentes ad auctos dolores ipsi aquam petroselini longo tempore bibendam dederint, quod primo aliquid, postmodum nihil attulit opis. Exinde in Orphanotrophio susceptus, integroque inibi moratus quinquennio, delatus est ad Nosocomium *S. Marci*, curandus. Vim uvæ ursi frustra ibidem spatio 9. mensium

expertus eſt. Tandem illum a me petitum, ad noſtrum Noſocomium optimus *Reichberger* miſit; mox ineunte hoc, quo vivimus, anno.

Secandum hunc D. *Cambon* propoſui, curam licet veritus ſive incertam, ſive inutilem. Quippe augmentum diuturni mali mortem demum illaturum; hinc methodum ejus blandam poſſe inſtitui, cum ex ejusdem frequenti experientia mortis periculum non augeatur, niſi forte in rariore caſu, quemadmodum ille Hiſtoriæ primæ: cæterum inde mortem fere præſentem procraſtinari, hominumque tormenta tolli, plurimumve mitigari. Non juvantem autem operationem non methodo, ſed degeneribus oportere tribui partibus. Annuit igitur ille, & 7. Jan. 1761. illum ſpatio quatuor minutorum perfectiſſime ſecuit. Suſpicione majoris calculi culter lithotomus ad vulnus undecim linearum adaptabatur. Verum neque hoc ſufficiens, ad 2. 3. lineas inter extractionem calculi ultra dilatatum eſt. Calculus fuit ponderis unc. 2. & 5½. dragm.

Nullus quidem tumor, aut dolor ventris, ſed febris continua mox poſt operationem adfuit; impedita valde deglutitione comitata, quæ demum die 5. critice ſoluta per diarrhœam. Octiduo integro bene habuit. Sequuta tunc eſt febris continua remittens, veſpere ſemper ingraveſcens, quam demum Cortice oportuit moderari. Poſt 18. ab operatione diem hæc febris ceſſavit. Cum vulnus crudiſſimum maneret, continuavi uſum Corticis; ea ſpe ut, quemadmodum alibi, ita quoque hic, bonam ſuppurationem in vulnere generaret. At incaſſum. Nec tamen deſtiti a cortice, ne urina putridiſſima, in plicis labiorum vulneris ſtagnans, atque reſorpta, febrim novam generaret, & ut contra hanc putredinem ſanguinem condirem.

Nihilominus, bene valente puero, vulnus hiavit ſemper, & fiſtulam in perinæo produxit; quæ penitus perfecta menſis dein ſpatio perfecte curata eſt. Supereſt

autem ſemper parva in vulnere apertura, per quam urina perpetuo extillat. Scarificationes, pulveres ſarcotici, lapis infernalis, fasciis femora juncta, quæ auxilia in Hiſt. 2. juverant, hic fruſtra fuerunt; tandem vero incunte Sept. ulcus claudi cepit, jamque ſeptimana ſexta, qua hæc ſcribo, clauſum manet.

HISTORIA IV.

Joannes Georgius Sick 14. annorum, a parentibus reſcit, ſe ab incunabulis minxiſſe arenas. Ipſe quoque ab 1. vel 2. retro annis meminit doloris lumborum, magnique in mejendo ardoris & doloris. Calculus detectus eſt. Jan. 12. idem operator eum ſpatio ſeptem minutorum calculo ſecuit. Paſſim obſervavimus ad tertium, quartumve minutum forcipem jam in veſica eſſe, reliquum temporis quærendo, tenendoque calculo, impendi. Calculus parvus, oblongus, aſper, granuloſus, ponderis granorum 50.

Vix per horam doluit, febre caruit, ventrem nec durum, nec dolentem unquam habuit. Ab ipſo die operationis per urethram minxit, primo libram ſanguinis, ſequentibus diebus ſanguinem dilutum, octavo die urinam ſine ullo ſanguine, cum albo ſedimine, & rubra, aut flava arena, nunquam vero mucum calculoſorum. Intra 14. dies vulnus clauſum fuit. Febr. 7. ſanus repetivit donum.

HISTORIA V.

Carolus Heigner 20. annos natus, acceſſit me 3. Jan. 1761. narrans ſe ex quo meminerit, cum ardore & dolore minxiſſe, frequenter veras habuiſſe ſtrangurias, ab intenſiore motu corporis urinas reddidiſſe rubras, cæterum pallidas, ac glutinoſas. Explorando calculum deteximus. Quamvis in morbo fere congenito vix quid a medicamentis ſperarem, animus tamen fuit, quid uva urſi præſtaret, explorare. Ad irrita 14. dierum conamina,

mina, juvenem in Nosocomium demum recepi. Jan. 19. operator spatio trium minutorum integram perfecit operationem. Calculus ovalis fuit, planus, ponderis unc. $1\frac{1}{2}$. dr. $1\frac{1}{2}$. hæmorrhagia magna successit. Conus ex agarico formatus vulneri immissus & affixus, opium largiter datum, hæmorrhagiam sensim sic stiterunt, ut intra 24. horas plane sileret, nec ad remotum post 48. horas apparatum rediret. Die 23. Jan. cum dolore expressit vulnere fragmenta duo, quæ in operatione soluta a calculo fuerant. Minxitque per urethram unc. 2. urinæ, gluten tenacissimum, fœtidissimumque habentis. Eodem hoc die, & sequentibus, de molesto admodum in inguine dolore conqueritur, quem quidem ante operationem adfuisse, jam vero multo validiorem esse, testatur. Parva in inguine glandula indurata adparuit. Jan. 25. plura ramenta vulnere emisit, veluti calculi externa putamina, cum dolore, & tantilla hæmorrhagia. Postea pectus tussicula cepit quati; sed dato decocto pectorali tussis cessit. Incepit a 29. Jan. libras 2. urinæ per urethram mittere, minus fœtidæ, minus glutinosæ. Prima Febr. tumor ac dolor in inferiore scroti parte, a latere sectionis, altera die magna inflammatio. Cataplasma adhibetur. 3. Febr. abscessus maturus adparet. Aperitur. Effluit pus per decem dies. 14. Febr. totum curatum est. Urina copiosa tunc urethra prodiit, vix gluten, nisi diu stetisset, habens. Vulnus ad 20. ab operatione diem clausum fuit. 21. Febr. sanus abivit, seque postea bene valentem aliquoties exhibuit.

HISTORIA VI.

Matthias Kolb 57. annor. sutor, primum adiit me 21. Jul. 1760. Stranguriose minxerat a $2\frac{1}{2}$. annis, subinde sanguinem excreverat, albumque sabulosum, ac tenax admodum sedimentum; quibus tenesmi atque prolapsus intestini adjunxerant se se. Calculum explorando

non invenimus. Uva ursi malum tolerabile gessit, usque ad finem Octobris. Ex eo ultra non juvit. Magnum atque scabrum nunc deteximus calculum. Usque ad 7. Jan. 1761. nunc cum levamine, nunc sine eo, varia assumpsit: Uvam ursi in decocto, in pulvere, emulsa, mucagines, opium. Tunc, consilio cujusdam cepit uti semicochleari Raphani hortensis rasi, misti cum oleo olivarum, quotidie. Triduo hoc usus, convenit me, solamen narraturus. Continuaret, suasi. Binorum mensium spatio tolerabiliter inde se habens, demum in priores incidit miserias, vires amisit, ac facie ex pallido lividus fiebat. Idem hic vir a 22. retro annis cæcas ut vocant hæmorrhoidas passus, ab ultimo biennio habuit easdem fluentes, hocque jam tempore a continuis vesicæ tenesmis fere perpetuas. Conclusi ex omnibus, quod toties auditoribus de eo monueram, systema urinosum pessime in illo degenerasse a statu sano, & demum lenta morte consumendum videri; unicum, sed anceps admodum, superesse remedium, sectionem. Hanc methodo enarrata peractam vix quid habere periculi, imo potius dare spem palliandi egregiam, quemadmodum casus docuerat. His sub conditionibus operationem *D. Cambon* proposui. 24. Martii calculum extraxit 4. minutorum spatio, lithotomi gladiolo ad 15. gradum adaptato. Calculus, circularis, planus, gibbus ab una parte, ab altera leviter excavatus, ruber, granulosus, pondere unc. j. & scrup. ij. Sub operatione hæmorrhagia, intruso cono Agarici mox quidem cessavit, sed bihorio post rediit copiosa. Arteriam intercipere animus erat, at vero invenire eam impossibile fuit. An quod nimis interna? Mictus tum urinæ, tum sanguinis, æque per urethram, quam per vulnus, eo ac sequenti die animadversus, forte id innueret. Fecimus proinde quod potuimus, & tandem intruso, ac bene affirmato, vulneri cono Agarici, & liberaliter per epicrasim dato opio, hæmorrhagiam bre-

vi

vi ſtitimus, eamque penitus curatam eſſe, dum quarto die propter fætorem immanem urinæ apparatus ſolvebatur, læti vidimus. Verum quod dolebamus, jam per vulnus omnis, nulla per urethram urina fluxit. Unde quoque inflammatio, & continua excoriatio ſcroti, interfeminei, natiumque, quamcunque curam diu noctuque nos, ægrorumque adhiberent cuſtodes. Hinc naſcentibus ubique gangrænis oportuit continuo mederi. Diatheſis ad calculum in hoc homine terribilis! gluten putridiſſimum ad plicas angulosque vulneris crudi adhærens, ſpatio nucthemeri in veros abiverat lapillos; quemadmodum etiam collectum gluten in charta emporetica in craſſam abibat ac calcaream materiem. Cum demum averruncandæ gangrænæ ultra non eſſemus, corticem peruvianum dedimus, malum ſuperavimus, & diu poſt curationem continuavimus, cum hoc remedium tam belle ferret, eoque cacochymiam fædam pulchre ſuperaret. Cum cortice fiebant quoque detergentes in veſicam injectiones. Labiis vulneris digeſtivum, aut mel roſaceum, cortice peruviano miſta, adplicabantur. Præter varia autem unguenta ad vicinarum partium gangrænam præcavendam, plurimum profuit lotio ex aq. ſamb. libr. j. & una uncia aceti Lithargyrii. Tandem poſt continuas curas & ſollicitudines noſtras vulnus minui cepit, urina putridiſſima per urethram reddi, Maji 4. vulnus coire veſicæ, & paucis poſtea diebus vulnus integrum. Domum rediit 14. Maji. Sæpius poſthæc me convenit, corticem repetiturus, quod inde adeo mirifice ſe refici & roborari perciperet, ſanitatem ſat bonam teſtatus, niſi quod crebro cogeretur mingere. Stranguriam poſtea conquerenti uvam urſi dedi.

Palliatio mali ſane tam pulcra eſt, & fortunata, quam potuiſſet unquam expectari. Præcipue ſi conſideremus etiam fluentes hæmorrhoidas, Rectique prolapſum, nunc quoque non amplius obſervari.

HISTORIA VII.

Sebastianus Niedermayer, quintum annum agens, die 28. Martii in Nosocomium illatus est. Narraverunt parentes hunc suum filium signa in mejendo doloris ab ipsa nativitate dedisse, deinde, biennem illum, pisi magnitudine minxisse calculum; exinde duobus circiter annis liberum fuisse a quocunque symptomate, verum jam ab anni spatio se tam misere habere, ut urinam redderet uno tempore sanguineam, alio tempore plane glutinosam, ac putridissimam, tandemque a continuis mejendi conatibus, & tenesmis, intestini recti pateretur ab octiduo prolapsum. Examine constitit calculum adesse.

Cum optimus *Cambon* abitum meditaretur, petivi, ut liceret Chirurgis nostris, ejusdem sub auspicio, calculum secare. Quod ille, pro eo, quo est, candore, mox mihi annuit. D. *Leber* hunc puerum perfecte secuit. Calculus quidem magnus erat, sed pumicosissimus, intra forcipem grumescens. Collecta fragmenta una cum corpore calculi septem scrup. pondere æquabant.

Puer a prima hora operationis nec doluit, nec ægrotavit, optime appetivit, tota die in lecto lusit, urinam brevi per urethram misit, quæ primo glutine multo, eoque fœtente, deinde pauco, prodibat. Vulnus 20. die clausum est. Die 25. sanus suis tradebatur parentibus.

HISTORIA VIII.

N. Osfeld anno 1760. Maji 26. in nostro Nosocomio feliciter calculum sectus fuerat a D. *Leber*; prout tota sectionis historia Part. 5. a pag. 65. ad 69. data est. Abundantia muci & puris perpetua urinarum, nephritica pueri dispositio, me coëgerunt, ut 4. mensibus illi, in Nosocomio servato, uvam ursi darem. Tandem cum

cum perfecte ab hisce liber Patri redderetur, adhuc monui, eo medicamento uteretur perpetuo. Hinc per omnia sanus vixit usque ad Martium 1761. quando post neglectum medicamenti hujus denuo pati inciperet, peteretque eosdem sibi pulveres dari. Incassum sumsit. Aprilis 10. cathetere eum explorantes, nihil deteximus præ summa vesicæ constrictione: Qua altero die laxata, calculum invenimus. Aprilis 13. D. *Homburg* Chirurgus SS. MM. sub auspiciis D. *Cambon* sectionem egregie fecit. Cicatrix antiqua sponte viam monstrabat. Iterum hic dissiliens calculus cum collectis grumis grana 71. pependit. Puer a fine primi diei optime se habuit, nullum eorum symptomatum passus, quæ in prima Sectione eum perpessum esse Part. V. narravi. Pro more vesicam quotidie eluimus. Cumque jam ab octiduo nihil grumorum ultra exiret, & injectionis materies redeuns puram doceret vesicam, tentare Chirurgus voluit, an sicco plumaceolo, emplastroque desuper, clausum, curatumque demum vulnus, nos non eximeret ab ærumnis, quas in ægro N°. 2. N°. 3. & maxime N°. 6. ob calculosam diathesin antiquam observaveramus. Res pro votis successit. Vulnus 13. die coaluit. Nulla symptomata superfuere.

Notari meretur in priore sectione vulnus ilico clausum fuisse plumaceolo & emplastro, & demum 21. die coaluisse; nunc vero 5to. die ab imposito emplastro. Interim curatus denuo lumborum conqueritur dolorem.

Hinc quia metus erat ne brevi novus ex rene descenderet calculus, dedi uvam ursi, sed mense Julio rediit ad nos, præsentis in vesica calculi questurus symptomata. Examine facto calculus in vesica deprehensus est 18. Augusti. Verum ajebat puer, quod nunquam antea, se ab omni prorsus lumborum dolore nunc liberum esse. Quia nunc spes major integræ curæ affulgebat, die Aug. 21. purgante, & 22. enemate alvus ipsi eluta

eluta eſt, & eodem die Chirurgus noſter eum methodo eadem calculo liberavit. Trium minutorum ſpatio omnia perfeciſſet, ſed primo retardabat calculi fragmentum cochleari detectum, ſecundo alter calculus. Unde decem minuta inſumta ſunt. Via jam bis aperta proderat inventione ſua facili oberat valde duriore cicatrice. Calculus prior rubellus dr. j. & gr. 4. pependit; alter 52. grana.

Per octo horas ab operatione doluit, poſtea autem nox tranquilla ſucceſſit. Sequente die modica febris duntaxat, & quisquam vulneris ardor adfuit, ceterum bene ſe habuit, & appetitum teſtatus eſt. A die tertia nulla amplius febris. Die 5. & 6. multa urina per urethram reddita eſt, quæ glutinis quid perpetuo habebat; tandem vero gluten fere defecit. Die 8. cum omnia in veſica nitida eſſe injectio teſtaretur, vulnus emplaſtro clauſum eſt. Die 12. id conſolidatum fuit, & puer domum potuit repetere.

HISTORIA IX.

Franciſcus Domijanitſch 9. annos & 4. menſes natus 21. Apr. 1761. allatus eſt nobis, a biennio ſtrangurioſus, poſtquam Calculum piſi magnitudinis minxiſſet. Calculum eum nunc habere cathetere mox deprehendimus. *Cum D. Cambon* cum *Sua Regia Celſitudine* profectus in *Belgium* eſſet, *D. Leber* hunc puerum eadem methodo feliciſſime ſecuit, ſpatio 5. minutorum; licet calculum longitudine primo arreptum, dimittere, latitudineque deinde capiendum, quærere deberet. Ponderis fuit unc. '. & gr. 45. Febricitavit puer parumper, ſudavitque prima die, noctem optimam habuit, ſequenti die poterat ſanus dici, veſicam Chirurgus bis die probe eluit, & quarto die plumaceolo ſicco, & emplaſtro, texit; unde factum eſt, ut octava poſt ſectionem die penitus clauſum eſſet. Pallida quidem toto eo tempore urina fuit, purulentique quidquam ſæpe habuit, nunquam

quam vero gluten calculosorum. Intra duas septimanas potuit abire.

HISTORIA X.

Simon Senis annor 4., totidemque mensium, 27. Aprilis 1761 adducitur. Biennium erat, quod cum dolore mingere cepisset; annus, quod tolerabiliter habuisset. Quippe anno abhinc elapso Mater eum ad ædes *D. Leber* adduxerat, qui calculum explorans, invenit illum in vesicæ sphinctere, principioque hærentem urethræ, catheteris autem apice repulit in vesicam. Matri proposuit sectionem, sed cum repulso calculo puer nulla calculi signa fere unquam haberet, risit Mater posthac Chirurgi consilium. Jam vero 27. Aprilis eum ad Nosocomium duxit, utpote quem ab octiduo antiquæ vexarent ærumnæ.

Calculo invento, 29. April. sectus est consueta methodo, ea tantum differentia, ut primo vulnere facto jam non culter occultus adhiberetur, sed prior culter integram perficeret sectionem, perinde atque in communi sectione laterali fit. Calculus granorum 35. spatio septem modo minutorum exsectus est. Ast plus inde, quam a cultro occulto, videtur perpessus. Dolor, inflatum scrotum, inflammatumque, febris magna, valida deinde scroti suppuratio, eum octiduo vexarunt. Eo vero elapso cito convaluit, & vulnus tunc linteo carpto, & emplastro, tegi ceptum, quatriduo postea consolidatum fuit. Pallida quidem sed vix glutinosa urina. Post. 3. septimanas abivit.

§. III. Qui attenta mente considerat enarratas hasce undecim sectiones, is legendo dissertationem Gallicam supra laudatam, quæ hinc vituperat illinc laudat, *Fratris Cosmi* methodum, haud ultra, arbitror, hæsitabit, an illam sit laudaturus. Equidem poterat exemplorum raritas ante 10. annos lectores fluctuantes reddere; præsens vero eorundem crebritas, tum egregii

Cam-

Cambon experientia, tum frequenti noſtri Noſocomii exemplo demonſtrata, omnem hæſitantem animam firmat, & de præſtantia hujus methodi præ omnibus aliis ſecandi modis, abunde convincit. Si enim ſine præjudicio omnes conſideremus effectus aliarum methodorum, adeoque etiam *ultimæ correctæ lateralis*, eosque cum effectibus hujusce conferamus, vix ultra extiturum quempiam credimus, qui hanc non præferat illis, qui hanc non ſemper adhibeat.

1. Enim præparatio brevis eſt. Haud inſumimus menſes ad humores immutandos, ad reparanda ſolida. Hæc namque vitia, manente cauſa, non curantur, imo temporis lapſu pejorantur; cauſa autem ablata, vel ceſſant ſi cura integra eſt, vel ſaltem mitigantur, ſi vita brevi alioquin collapſura, nunc prolongetur. Plethora vix unquam hic venæ ſectionem ſuadet, raro quippe præſens: Remedium purgans, & unum, alterumve enema, totam præparationem faciunt.

2. Breve, quo fit, tempus eam commendat cum maxume. In quacunque methodo remoratur operationem calculi friabilitas; in omni methodo calculum extrahere difficile eſt, quando oblongioris figuræ ille, juxta longitudinem arripitur, quando nimia levitate vix uno loco conſiſtit, quando figura hirta ac echinea, ut in Hiſt. 2., vix ſe ſinit capi, quando major eſt, quam ut per factum vulnus educatur, quando ad fundum trianguli quem forcipes faciunt, dilabens, prehenſusque, apices forficum ita a ſe mutuo dimoveat, ut educi tanta nequeant latitudine, denique quando hæmorrhagia notabilior contigit. Sed hæc ut communia omnibus methodis, nihil contra noſtram faciunt. Unde hisce exceptis, certum eſt hanc methodum Itinerario, cultello, Lithotomo occulto, Conductore, & Forcipe, 3. 4. 5. minutorum ſpatio paſſim abſolvi. Quin & ipſa infortunia nonniſi duplum exegiſſe ſpatium enarratæ convicere hiſtoriæ. Certe vel ideo ſua ſe ſe brevitate hæc metho-

thodus commendat, & ad illam amplectendam cogit, quia 1mo vitæ, commodique, mortalium arbitri non ſumus, ſed miniſtri, & promotores, & conſervatores, adeoque conſcientia & humanitate conſtringimur, ad dolores illorum tum mitigandos, tum abbreviandos. 2do Quia quo & gravius & diutius hi dolent, eo graviores febres, eo tetriora ſymptomata, metuenda habemus. Ita ut ſi hæc methodus aliis modo par foret, dictas ob cauſas ceteris eſſet præferenda.

3. Nec in ſuis *D. Cambon*, nec nos in noſtris unquam vel minimum ventris dolorem, duritiem, tumorem, invenimus; quod tamen adeo frequens in aliis methodis eſt, & poſt inflammationem Veſicæ, vulneris, integumentorum, muſculorum, morte haud raro terminatur.

4. Febrim pauci notabilem, aut durabilem, habuere; iique modo, qui non ſimpliciter calculo, ſed degenere viſcerum fabrica laborabant. Ceterum per aliquot horas leviſſime duntaxat febricitarunt.

5. Bis in hac Methodo hæmorrhagiam habuimus; verum 1mo nulla methodus eſt, maxime lateralis, in qua hæc non contingat aliquando. 2do Levi negotio eandem ſtitimus: laudandus iterum hic Agaricus.

6. In his qui ſimpliciter calculo laborarunt, urina cito, copioſeque, per urethram fluxit 1. 2. 3. die, vulnere quamvis aperto.

7. Methodus vulnus apertum ſervandi præſtantiſſima videtur, ne quid aut calculoſi, aut grumoſi ſanguinis, remaneat in veſica, quod novo calculo baſim præſtaret. Juvenis Hiſt. 5. ſic per vices calculi veluti putamina vulnere expulit, alioqui permanſura. Et veſica illius qui N°. 1. ſectus, ac mortuus eſt, tam nitida a morte reperta eſt, ut quamvis calculus in illa penitus diffractus fuiſſet, ne minimum tamen ejusdem ſupereſſet.

1. Poſſe nihilominus vulnus, quando per octiduum

ve-

vesica quotidie probe eluta est, adeoque ita expurgata, ut heterogenei nihil superesse possit, sicco plumaceolo, & emplastro tegi; tum ut eo citius omnis per urethram urina reddatur, tum ut vulnus maturius coëat, hominesque citius convalescant.

9. Nunquam vidimus cannula opus fuisse, qua vulneri immissa urina transiret. Effluxit quippe illa in nostris jugitur sine cannula. Equidem acris admodum urina, assiduoque his effluens gluten, metum quibusdam incutere callosorum labiorum possunt; sed an continua cannulæ frictio idem quoque non faciat? Urina acris hæmorhagiæ formidinem; at vero an mechanica cannulæ frictio eidem producendæ non est apta nata? Utique quod in his, quibus totus morbus calculus esset, nec callositas, neque post primum diem animadversa hæmorrhagia fuerit, modo labia vulneris melle rosaceo sæpe inungerentur, cannula in illis opus non esse judicavimus.

10. Ligatura mollis genuum ne divaricent, in omnibus nostris adhibita, urinæ fluxum, ac ramentorum calculi exitum, nunquam impedivit: ut merito vanus eorum metus sit, qui id ligatis impediri cruribus suspicati sint.

11. Non modo instrumentorum paucitas, temporisque brevitas, tormenta operationis abbreviant, sed etiam eadem reddunt longe mitiora. Culter lithotomus occultus bene inductus, & ad os pubis, ut ad punctum fixum affirmatus, dum uno, eodemque momento incipit perscindere cervicem vesicæ, vesicæ ipsius partem, prostatam, musculum transversalem penis, seu transversum Perinæi, pinguedinem, cutem, epidermidem, tam æquabiliter, & haud interrupte, omnia transcindit, ut totum vulnus duo æquabilissima plana habeat, & nullam fibram trahat, dilaceretve. Præstat sane hac sola de causa omnibus aliis instrumentis, ut ut subtiliter, ingenioseque, a magnis in arte viris, excogi-

gitatis. Præſtat experimento in hiſt. 10. inſtituto, ut ibidem patuit. Quippe effectus docent vulnus (ceteris paribus) ſufficienter ampliatum, citius curari, minus doloris in operatione, minus ſymptomatum poſt eandem creare, quam vulnera, quæ quod exiliora ſint, magnam extenſionem ac dilacerationem pati debent: id quod in *apparatu magno ac laterali* paſſim obſervatur, dum calculus utcunque major eſt. Et licet in *apparatu parvo* idque in pueris, calculus facile in Perinæo ſecatur, dum ille digitis in inteſtino Recto impoſitis ad interfemineum adprimitur; tamen quia nonnunquam aſperior calculus (ut v. g. ille Hiſt. 2.) inæqualem ac dilacerantem integumentorum ac Veſicæ ſectionem facit, unde prava ſymptomata naſci debent; quia denique blanda tutaque per ſeſe *Fratris Coſmi* Methodus, hiſce exemta incommodis eſt, erit etiam in pueris præferenda *apparatui parvo* ſeu dictæ *Celſi methodo*.

12. Pag. 173. monui rariſſimi caſus Inteſtini Recti, Lithotomo occulto tranſciſſi, quo infortunio adverſarii hanc methodum criminantur, Verum id nobis in cadavere contingebat, haud elutis primo Inteſtinis, intruſoque in veſicam ſupra pubem tantæ molis ſilice, ut vulnus 15. linearum adhuc dilatandum fuerit. Quoties cunque autem ſive in vivis ſive in cadaveribus, cum iſta præcautione, hanc operationem fecimus, nunquam id contigit nobis. Ut proinde tot experimentis ſuffulti audacter pronuntiemus inanem eorum formidinem eſſe, qui inſtrumento hoc aut non uſi, aut perperam uſi, illud veluti Rectum facile perſcindens, dum hoc proba elutione flacceſcit, criminati ſunt.

13. In moderandis in tabula ſecandorum cruribus, notabilis obſervatio, quam in cadaveribus didicimus, prodeſſe poteſt, prout pag. 174. enarrata habetur. Quod in cadavere, hoc in nobis poſſumus examinare dum lecto jacentes, femore in ventrem reflexo, varios edimus motus: experimur mox utcumque anguſtius

esse spatium inter pubem & tuber ischii, genu multum extrorsum flexo; spatium vero mox latescere utcumque, dum genu versus umbilicum ducitur.

14. Positio horizontalis Calculosorum, cum exiguo tantum sub capite pulvinari, dum secantur, semiverticali videtur præferenda; quamvis hæc, præsertim in *apparatu magno*, eligitur, & a pluribus in *sectione laterali*, commendatur. Moles intestinorum *magis* in spinam, *minus* in peritonæi expansionem, quæ vesicam tegit, incumbere videtur: quin & splenis, ventriculi, jecorisque pondus, minus in intestina premit. Hinc eandem positionem in nostris perpetuo servavimus.

15. Errorem fateri debeo, in quo olim versabar. Tom. 1. Cap. 35. pag. 359. Intestini Recti prolapsum, veluti unam de causis, sectionem procrastinantibus, considerabam, notabam: at vero jam ægrorum frequentia me convicit, etiam graves Intestini prolapsus tenesmis a calculo excitatis deberi, impedimento in sectione non esse; educto autem calculo brevi cessare, & nullo ferme auxilio curari, quo tempore ægri propter sectionem jacent, & blande nutriti, alternoque aut tertio die enemate expurgati, fœces duras minime coacervant.

16. Nunquam approbare potuimus scrupulosam plurimorum tum Autorum, tum Operatorum timiditatem, qua, calculo olim quidem detecto, jam vero, dum itinerarium immittitur, neutiquam percepto, operationem conficere nolunt. Si enim ab una parte frequentem illam experientiam consideremus, qua uno die invenitur, altero non invenitur calculus; si ab altera parte noscamus eundem semel bene, manifestoque, repertum, non posse aut deliquescere, aut aliorsum aufugere; non est cur totam hanc lugubrem scenam repetere velimus, ægrum minus forsitan dispositum, ad subeundam sectionem, postliminio inventuri. Profecto semel de eo certi, operationem non distulimus, etiamsi illum paulo ante non perciperemus.

Equi-

Equidem, fateor, contingere nobis posset, ut calculus perceptus quidem olim, sed vel postica parte inuretere detentus (ut casus habet *Tom.* 1. *Cap.* 26. *pag.* 211.) vel ex sacculo privato tantum leviter eminens, suaque mole majore, sic illo in sacco inclusus, ut extrahi inde non posset; qualis viri militaris calculus, de quo *Tom.* 1. *Cap.* 26. *pag.* 211. sed quia id antea certo sciri nequit, & quia si calculus in operatione percipitur, operatio semper instituitur, hinc observationes illæ extraordinariæ nihil hic immutare possunt. Frequenti exploratione didicimus esse calculos liberos, qui quotiescumque explorantur, eodem fere loco perpetuo detegantur: esse alios pariter liberos, qui nunc altius, nunc depressius locati deprehendantur. Ut postremi hi, ita calculi firmiter adhærentes, in expansiore vesica remotius, in contractiore propius, detegentur, sine ullo signo adhæsionem testante. Ergo, ut dixi, regula certa id detegendi non adest, & habet hic casus extraordinarius eandem quavis in methodo difficultatem.

17. Urinam Calculosorum pallidam esse passim observavimus. An id ab alcali calculi? Utique urinæ sanæ acida fossilia rubedinem conciliant; sal aut liquor, alcalinus pallorem: Dixi *sanæ urinæ:* nam si homo prius quædam medicamenta sumserit, potest color ab affusis ad urinam rebus mire variari. Sed calculo sectione educto, in omnibus nostris urina pallida perpetuo fuit, etiam curato dudum vulnere. An igitur id a glutine, quod in vesica cum calculo copiosum aderat, & adhuc dudum adest? Attamen is qui (Hist. 1.) a morte examinatus est, & glutinis nihil in vesica habebat, & urinam semper pallidam, fætidamque, reddiderat. Suspicabitur forte quisquam a Renum calculis urinas nota alcalina imbui: sed ille idem, de quo nunc sermo est, cum nitida vesica nitidos, liberosque a calculo, aut pure, renes habuit.

18. Quod Part. *V.* de glutine Calculosorum in cal-

caream abeunte materiem dixi, id hoc anno constanter novis vidi experimentis confirmatum; imo ut ex Hist. 6. pag. 179. patuit, in labiis vulneris stagnans gluten, maxime circa labiorum commissuram, in lapillos calcareos abiverat. Quid autem proprie illud gluten est? In charta emporetica liquescit, transitque, ut concreta calx fere sola supersit. Si aëri hoc gluten exponatur in vitro, disparet quoque omne humidum sola calce superstite. Ergo non est de natura muci, quod collæ instar indurescit. Fors est aliquid, quod ex vesica secretum se unit cum ramentis terrestribus, quæ a solidis abrasa nostris, urina continentur; quodque dein calculo in ambitum adplicatum, putamina illa format, quæ toties calculis humanis, alia aliis incumbentia, circumcreta inveniuntur, quæque etiam toties in sectione calculi ab eodem inter forcipes separantur. An pulveres, qui falso dictum Lithontripticon Stepfenianum ingrediuntur, apti quoque sunt, qui cum humoribus, ipsa in vesica secretis, in laminas calcareas abeant, calculo accrescant, putaminumque in morem ad uncias & libras excernantur, dum interea ipse calculus persistens ut erat, educendus sectione est; vide Part. 5. Cap. 5. pag. 71. hujus exemplum.

19. Cur dantur Calculosi, quibus vix ullum adpareat in urina gluten? Videtur hic impedita humoris de quo N°. 18. in vesica secretio; ita ut abrasa solidorum ramenta partim cum calculo concrescant, partim urinis expellantur. Si qua datur in Physicis adtractio, liquor vesicæ secretus haberet tunc fortem vim hæc ramenta attrahendi, quam calculus quoque tunc per se haberet: absente illo liquore, Calculus solus attraheret, quantum posset.

An omnium Calculosorum gluten in calcem abit? Part. 5. non ausus fui id asserere. Hoc anno innumera experimenta mihi constanter hoc phænomenon dedere; uno alterove excepto ubi parum admodum ejus adfuit.


fuit. Hinc hucusque respondeo, in multiplicibus meis experimentis omnium calculosorum mucum plus minus calcis exhibuisse; id tamen contingere posse, ut quis multorum experimentorum occasione gaudens, incideret in nonnullos calculosos, quibus hoc phænomenon forte deësset. Experimenta mea multiplicia observationis frequentiam docent; contrariam forte aliorum observationem non explodunt.

20. Quam est observationum fertilis historia calculi? Cernimus ex omnibus antedictis majores calculos nonnunquam sibi viam per urethram pandere, hominemque ad tempus notabile exemptum vivere dolore; minores e contrario in hanc viam nunquam impelli, & perpetuo cruciare. Advertimus exiles admodum calculos tam vehementes, diuturnosque creare dolores, tenesmos, Recti prolapsus, mucum calcareum, urinam & putridissimam & pallidissimam, summamque vitæ intolerabilitatem, quam unquam producere queunt calculi majores.

21. Si calculus, ut in *Hist.* 10. ex collo vesicæ intra eandem repulsus, anno integro ita latuit, ut vix ulla sui signa dederit; si idem anno illo elapso, tormenta calculi resuscitet, jam non iterum in collum pulsus sed manens in vesica; nonne verisimilitudo crescit problematis, quod Part. *V.* sub ipsum capitis 5. finem, pag. 79. proposui?

22. Dictus *Osfeld* Hist. 8. intra septemdecim menses ter calculo a nobis sectus est, & ultima vice gemino calculo. Absentia doloris ad lumbos, qui olim illi familiaris integram forsitan salutem promittit; fors fallax spes, novos calculos dabit. Eo in casu historiam renovare poterit Mercatoris, qui narrante *Volkammero* M. N. C. Dec. 2. Obser. 177. jam quater a peritissimo Lithotomo sectus, singulo anno novum calculum secandum afferret. Porro hoc incommodum est cuique Methodo commune. Nos saltem certi sumus, enarrato

hoc nostro agendi modo, nihil in vesica restitare posse calculosi; adeoque si novus iterum adsit, eum vel novam plane creaturam esse vel ex renibus fuisse delapsum. Hinc non mirarer, quod decies & ultra idem homo indigeret sectione. Simile quid subolfaciens *Aretæus* Lib. 2. Cur. Chron. Cap. 3. „ Calculorum, inquit, „ procreationem e fœcunda sterilem reddere nemo „ potest: ῥηΐτερόν μεν γὰρ μήτρην ἄτοκον θέμεναι, ἢ νεφρὺς „ λιθιῶντας ἀλίθυς. Facilius est enim uterum sterilem „ efficere, quam calculiferos renes ita disponere, ut „ eosdem haud generent ultra." Igitur ter quaterque beatum genus humanum, quod nunc quotiescumque opus fuerit, adeo facile eo hoste queat liberari!



CAPUT XII.

De Cranii Ustione in Pertinacioribus Capitis Vitiis.

§. I. *Diversus quidem modus admovendi ferri candentis, tam veterum, quam posteriorum; universorum tamen calculo expers periculo creditus.* §. II. *Experimentum primum hujus infelicissime in Nosocomio institutum. Mors inopina inde. Respirationis modus juxta communes humani corporis leges vix explicandus. Exemplum inflammati & gangrænosi majorem partem ventriculi, sine febre, sine dolore, & cum bono appetitu. Examen Anatomicum nullas in Cranio, Oculisve, Amauroseos causas detexit.* §. III. *Alter infaustissimus Cauterii Cranii effectus. Historia morbi antecedentis datur, ideo notabilis, quod plurima, & exquisita remedia, ordine adhibita, effectu plane caruerint. Conamina nostra, ad imminens a Cauterio discrimen Trepano averruncandum, enarrantur, & inutilia demonstrantur. Hydrops Ventriculi superioris cerebri. Portentosum infundibulum,*

lum, ejusque mira ægritudo, ut causa inventa Guttæ serenæ. Respirandi modus, æque parum, quam in priore Historia intelligendus. §. IV. *Experimenta multa, in Craniis facta, enarrantur, quæ hanc operationem nunquam, nisi cum summo vitæ discrimine, institui posse evidenter arguant.* §. V. *Ex omnibus hisce Ratiocinium medicum, & seria formatur conclusio.* §. VI, *Quædam de Trepano in Epilepsia, Cephalæa, &c. admovendo.*

§. I. Ab ipso *Hippocrate*, in hodiernum usque diem, Cauterii actualis in arte dicti applicatio ad Cranium, ita omnium ore laudatur, ut nesciam ullum esse artis auxilium, quod plurimorum suffragiis fulciatur. Si enim *Zecchium*, & qui *Zecchii* autoritate permotus fuit, *Sennertum*, paucissimosque forte alios exceperitis, uno omnes ore hanc operationem commendant.

Haud idem tamen cunctis inurendi modus. Quantum ex *Hippocratis* textibus concludere licet, Libr. 2. de morbis, & libr. de locis in hom. Ferrum quidem candens capitis pluribus, imo octo diversis locis, sed ad integumenta duntaxat, admovit: nihilominus vim ustionis ad ossa penetrasse credibile fit, quia quam ustionem juxta nasum in cantho oculi interno, ita fieri jubet, ut crusta ibidem inuratur, ea sane sine ossis ustione vix peragi posse videtur. Quin & ubi sic loca circa aures inuri præcipit, ut desinant a pulsando Arteriæ, profunde satis videtur ussisse.

Aretæus Cappadox non explicat libr. 1. de cura Chron. Cap. 4. *de Epileps.* quo velit uri modo, paucis tantum „ opus est, ait, etiam ignem capiti inferre; proficit enim.

Cælius Aurelianus Libr. 1. Chron. Cap. 4. refert, „*Te-* „ *misonem* consuluisse cutis capitis usturam, qua testa „ squammulis despumatur.

Celsus Libr. 7. Cap. 7. §. 15. in oculorum pituita:
„ Quidam atramento duas lineas duxerunt a media
„ aure, ad mediam alteram aurem, deinde a naribus ad
„ verticem; tum ubi lineæ committebantur, ſcalpel-
„ lo inciderunt, & poſt ſanguinem effuſum os ibidem
„ aduſſerunt. Nihilominus autem & in temporibus, &
„ inter frontem, atque verticem, eminentibus venis
„ idem ferrum candens admoverunt. Frequens curatio
„ eſt venas in temporibus adurere . . . . valentior ta-
„ men Medicina eſt . . . . venas incidere, & ſangui-
„ nem mittere: ubi ſatis fluxit, tenuibus ferramentis
„ adurere. Contra tempora quidem timide, ne ſubjecti
„ muſculi, qui maxillas tenent, ſentiant: inter fron-
„ tem vero & verticem vehementer ſic, ut ſquama ab
„ oſſe recedat. Efficaciter tamen etiamnum eſt Afro-
„ rum curatio, qui verticem usque ad os adurunt ſic,
„ ut ſquamam remittat.

Traditionem omnium ſæculorum de hujus curæ præſtantia collegit nobis *M. A. Severinus*, in ſuis libris *de efficaci Medicina*, Pyrotechn. Chir. Lib. 2. pag. 1. teſtimoniis *Pauli Æginetæ*, *Aëtii*, *Actuarii*, *Meſues*, *Rhaſes*, *Albucaſis*, *Arnoldi Villanovani*, *Andreæ Cæſalpini*, *Petri Salii*, *Paræi*, *Gualtheri Bruelis*, *Theodorici*, *Fumanelli*, *Rondeletii*, *L. Mercati*, *Lanfranci*, *Jacobi Sylvii*, *Nicolai Piſonis*, *Garioponti*, *Bertrucii Bononienſis Cæſaris Machæ*, *Joannis Heurnii*, *Epiphanii Fernandez*, *Fontani*, *J. B. Theodoſii*. Ipſusque ille *Severinus* maximus extitit hujus curæ promotor.

Si ordine laudatos omnes hos Scriptores evolvimus, patet nonnullos quidem prope ſuturas, pleroſque vero in ipſis ſuturis, & maxime in commiſſura Sagittalis cum Coronali, candens ferrum impoſuiſſe; plures inſuper monuiſſe, ut uſtio deberet ad ipſam penetrare diploën; omnes autem curas admirandas plane & ſtupendas inde a ſe ſe perpetratas gloriari. Ex multis pauca attuliſſe ſufficiat. „ Quod meo quidem experimento, inquit,

„ quit *Severinus*, confirmare possum. Suturæ sagitta-
„ lis, coronalisque confinio perusto, *Franciscus ab An-*
„ *gelo*, *Castrinovensis*, ab ingenti cephalæa liberatus
„ est.

Et *Epiphanius*: „ Mirum est, ait, quam his Caute-
„ riis refrigeretur cerebrum, & pravi, tetrique vapo-
„ res dissipentur: & licet primis diebus soleant conci-
„ tare aliquem gradum caloris, tamen majus est emo-
„ lumentum, quod postmodum inde sequitur, quam
„ pusillum aliquod damnum, ex impresso igne. Nos
„ quoque quinque, quandoque septem Cauteria, a-
„ mentibus admovemus, qui fuere curati, maxime u-
„ bi non viget capitis tanta caliditas; ob quam quidem
„ in hac muliere (cujus historiam dederat) tantum u-
„ num fieri curavimus. Est & e novissimis *Cæsar Ma-*
„ *cha*, Principum subalpinorum Medicus, qui consil.
„ 140. feminam inde restitutam testatur, septem jam
„ menses insanientem.

Idem *Fernandez* Hist. Medicinal. 47. „ Testor Deum
„ Cauteriis in capite quandoque tribus, quandoque
„ quatuor & quinque factis, ad loca suturarum, curas-
„ se annis elapsis socrum *Magistri Gentilis*, cui jam erat
„ memoria abolita, & duos alios stolidos & insanientes
„ juvenes.

J. Heurnius, primus Med. Pract. Professor, in con-
dita anno 1575. Universitate Lugduno-Batava, ait
chirurgum Ultrajectinum a se curatum Cauterio ab
immedicabili cephalæa, in determinata capitis plaga
sæviente. Et in *Aphor.* 2. *Sect.* 7 „ Vir, cui erat caput
„ totum tuberosum, Cauterio id ad os usque aperui-
„ mus; quod exesum erat fere usque ad Diploën, abra-
„ simus sensim, iterumque aliam partem aperiebamus
„ ad os, ita sensim totum fere caput abrasimus. Evasit.

Platerus Libr. 1. pag. 61. „ Quo pacto modo natis
„ *Florentiæ*, ut fertur, verticem perurentes, Epile-
„ psiam, quæ iis in locis infantibus consueta est, solent

„ avertere. Quibus de caufis, & experientia moti, fer-
„ ro candenti uftionem moliri .... non inconfultum
„ effe putamus. Scilicet ut ante monuerat, fi pertina-
„ cis mali caufa in capite lateat.

Hier. Fabr. ab Aquapendente pro inurendo Fonticulo in futura Coronali, peculiare Cauterium excogitavit; quod apud ipfum, & apud *Sculte͏tum*, qui hanc methodum quoque laudat, videas.

Hollerius in fcholio ad fuum primum caput *de morb. intern.* „ Applicatur, inquit, Cauterium actuale in me-
„ dia parte capitis prope futuras. „ *Duretus* in fua in hunc *Hollerii* textum enarratione, etiam candens ferrum commendat.

Fallopius de Cauteriis, pag. 340. ipfis quidem in futuris non fuadet, „ cæterum, ait, capiti Cauterium
„ tute imponere poffumus.

Riverius Cap. de Mania pag. 227. „ Denique Cau-
„ terium futuræ coronali adplicatum maxime proba-
„ tur a *Gordonio*, ejusque utilitatem confirmat hiftoria
„ cujusdam Maniaci, cui cum effet vulnus inflictum
„ capiti, cum cranii fractura, quamdiu vulnus aper-
„ tum, tamdiu bene habuit, vulnere curato, reverfa eft
„ Mania. „ Et Cap. de dol. cap. pag. 236. Cauterium futuræ coronali admotum, dolorem capitis contuma-
„ cem aliquando radicitus abftulit. Multo majoris eft
„ efficaciæ, fi temporibus admoveatur, de qua vide *Po-*
„ *terium* Obf. cent. 3. Cap. 8. & obfervationes noftras
„ publico communicatas. Porro in obf. cent. 2. N°. 39.
„ idem *Riverius*. Ad puerum epilepticum vocatus,
„ præfcribo apozema ex Cephalicis, & Epilepfiæ
„ fpecificis, cum purgantibus ad quatuor dofes. Dein-
„ de inuritur Caufticum futuræ coronali. Et his duo-
„ bus remediis a morbo liberatus eft.

Lambswerde in Tom. 2. *Sculteti* Obf. 9. Cephalæam veneream curat cauterio actuali in futura Coronali & Obf. 11. Epilepticam puellam curavit cute primum

trans-

transversim secta, actuali cauterio suturarum coronalis & sagittalis concursum „*satis profunde* inurendo.

Nuckius Operat. & exp. chir. N°. 1. „ Facili, inquit, „ negotio operatio hæc sequenti instituitur modo: in- „ uratur loco modo notato (per fila in medio capite se „ decussantia, ut ante ex *Celso* vidimus) profundum „ satis foramen cauterio quodam actuali.

Fred. Deckers, Exercit. pract. pag. 109. Puellæ cæcæ historiam refert, cui Chirurgus fonticulum in sutura coronali & sagittali inussit, ad primam calvariæ laminam usque urendo, quod cum instabile daret levamen, alius Chirurgus inussit ad diploen usque, unde magna, rotunda portio separata fuit; separatam hanc portionem figura exhibet autor, habentem diametrum decem linearum: imo cum auxilium esset inconstans, tertium cauterium sustinuit, & tunc recte vidit. Etiam Guttam serenam, & Epilepsiam, sic curatas se vidisse affirmat.

Clariss. *Viennensis* Professor P. *de Sorbait*, prax. pag. 285. Cap. de Cataracta & Amaur. „ Setaceum quo- „ que multis fuit auxilio; loco cujus in delicatulis „ (videtur tamen operatio longe crudelior setaceo) „ subrogari potest Cauterium, quod non tantum „ Nuchæ, sed etiam suturæ Coronali impositum plu- „ rimos juvit. Et pag. 598. 599. Cauteria adplicanda „ sunt . . . in capite supra suturam coronalem, longi- „ tudine digiti extensi supra nasum, contra Phthisim. „ Cauterium autem quo magis est candens, eo mino- „ rem affert dolorem.

Cl. *Hoffmannus*, Tom. 4. Part. 4. med. Syst. Rat. pag. 118. Edit. in 4. de Amaurosi: " Magnum pro- „ fecto præsidium est in cauterio actuali, syncipiti „ vel nuchæ inusto.

M. G. Purmann, famosus multos per annos apud *Breslavienses* Chirurgus primarius, in *curiosis observationibus* invictiss. Imp. *Josepho* dicatis, historiam puellæ

læ *Breslaviensis* refert, quam invincibili cæterum Epilepsia curavit cauterio actuali, in confinio toties dictarum suturarum; quarum commissuram statuit contra omnes qui id negent, constanter reperiri in puncto, quo fila, *Celsi* modo ducta, decussant se se. Videturque sæpius eandem operationem peregisse, cum asserat ustionem eo in puncto se semper fecisse. Et in scholio suo. " Der
„ Wund-Artz hat auch keine Gefahr zu scheuen / und der
„ Patient stehet dis gern / und noch ein mehreres aus. Und
„ wer wolte dis nicht auch gerne thun / um der grossen / und
„ der bösen Krankheit wegen / und um der grossen Hofnung/
„ daß man solche miserable Plage verliehret? wäre auch zu
„ wünschen / daß dieses edle Hilfs-Mittel mehr in usu wä-
„ re / als es jetzo ist / und diese Krankheit leider! in unseren
„ Hospitalern so einreist / daß es zu erbarmen.

Quadraginta igitur & ultra Autores tum Medici, tum Chirurgi, eosque inter plurimi sua in arte celebres, & famosi, hanc operationem & suaserunt, & exemplis utilissimam demonstrarunt, nullius unquam infortunii meminerunt; quidam audacter omnis dixerunt periculi expertem: operationem porro laudavere sic, ut vel integumenta simul cum osse adurerentur, vel integumentis, ac pericranio primum perscissis, separatisque, os solum adureretur, idque aut prope suturas, quod quibusdam placuit, aut in ipso suturarum contactu, quod plerisque visum: hancque sic institutam operationem plane innocuam esse plurimi asseverarunt.

Proinde cum nullum existeret sive Medicinæ, sive Chirurgiæ caput, quod gravioribus autoritatibus ac testimoniis fulciretur, piaculum fore credidi in difficilioribus ac incurabilibus casibus idem omittere. Tres porro morbi videbantur mihi præcipue hanc curam poscere, Cephalæa pertinax cum Hemicrania, inemendabilis Epilepsia, Gutta serena. Erantque nobis tales ægri præsentes, in quibus curam horum morbo-

borum hac lege exerceremus. Sed præcipue nos miserebat duorum, quos Gutta ſerena ad Mercurium, ad Corticem, ad Machinam electrinam, ad cujuscunque generis Evacuantia, ad variacapitis Epithemata, ad Veſicantia, ad Setacea &c. omnino rebellis & pertinax, miſere affligebat.

§. II. Igitur 3. Junii proxime elapſi, operationem fecimus in Adoleſcente 12. annorum, ruſtico, robuſto, toto quadrato, quem Amauroſis affligebat, probabiliter nata ex contuſo capite, poſtquam ſex menſium ſpatio in periodicos vomitus, quos cephalæa ſemper prænunciabat, inciderat. Amauroſis porro ejusmodi erat, ut noctem inter diemque nihil diſtingueret, ſummam tamen, agilemque pupillæ utriusque conſtrictionem, & dilatationem ad majus, minusve lumen haberet. Unde contra eruditiſſimi *Hallèri* opinionem ſenſilitas pupillæ demonſtrari videtur; Retinam enim plane inertem fuiſſe, perfectiſſima cæcitas evicit.

Quia & ſine integumentorum inciſione, & cum eadem, hæc operatio fit, ultimum modum prætulit D. *Leber*; cum eandem didiciſſet, fortunatoque adplicatam a ſuo Magiſtro, dexterrimo, dum viveret, Chirurgo *Laudes*, vidiſſet; qui idem Magiſter Diſcipulos, adſtantesque Chirurgos, ſerio hortatus erat hanc ſimplici uſtioni ſemper præferrent, metu convulſionum, quas uſtionem ſine ſectione generare ſtatuebat.

Integumentorum hæc ſeparatio, validum dolorem excitabat; leviorem, pericranii abraſio; maximum vero, uſtio; quam valide urentem ajebat, licet nihil eorum, quæ circum ſe gerebantur, ſciret. Examinabam, an vagina, intra quam Cauterium, ne labiis perſciſſis noceat, capiti imponitur, a Cauterio candeſceret, & uſtionis dolor potius ab integumentis uſtis, quam a peruſto cranio gigneretur; verum vaginam illam ego, adſtantesque tangentes, vix calentem deprehendimus.

Dolor primis horis magnus, postea modicus, bonus appetitus, semel modo levis vomitus, qui cæterum ipsi consuetus, observabatur. Utebatur jure carnium, aqua hordei mellita, & emulso leviter paregorico. Altero die optime habuit. Die tertio, fumo aromatico prunis ardentibus injecto, ac capiti admoto, apparatum examinavimus, lintea carpta sanguine imbuta amovimus, inspersoque vulneri pulvere Mastiches, labia suis singula locis adposuimus. Bona hæc, sed contracta ita, ut inustum ossi locum exacte liberum & nudum servarent. Tenaci Emplastro ea ad se mutuo jungebamus; omnia deligabamus sicce, ac raro deligandum locum postmodum esse, *Cæsaris Magati* consilio decernebamus. Nox optima, alvus ab Enemate bona. Die 6. Junii, scilicet ab operatione quarto, pulsus sanus, naturalis, bonus appetitus, nullus capitis, nisi ab ejusdem motitatione, dolor. Hora octava vespertina cum illo locutus sum, affirmantemque palam audivi, se nullibi in toto corpore, imo ne in capite quidem, dolere, suumque jus eadem vespera egregie sibi sapuisse. Tandem bonam illi noctem apprecatus, pulsum adhuc tetigi scrupulose, eumque tam bonum inveni, quam unquam sanus homo habere potest. Idem testati mihi sunt Medicinæ & Chirurgiæ Assistentes, qui post me pulsum examinarunt. Interim visus emendationem observare se nullam æger conquerebatur. Solabamur illum ea spe, quam optimæ operationis tolerantia merito dabat. Sed, o spem fallacem! mox a media nocte vomere cœpit; quod quia ipsi familiare, custos neglexit primo, verum ronchum in respiratione advertens. Assistentes Nosocomii vocavit. Qui morientem viderunt hora secunda prope finem diei quarti.

Quod me, nosque omnes, nec opinatus casus perculerit, & attonitos reddiderit, nemo dubitabit. Nec reticebo me suspicantem, ne forte vomitus violentia in syn-

ſyncopen lapſus eſſet, curaviſſe, ut pectus ipſi valide agitaretur, & bis injecto Enemate Fumi Tabaci inteſtina irritarentur. Sed mortuus erat hac vice non reſurrecturus.

Cadaver examinantes, nihil mali externo in cranio deteximus. Labia quippe vulneris bona, ſuppurantia, ſe jam cum pericranio unire ceperant in loco ab inuſtione remotiore. Olla cranii ablata, videbamus cranium adeo leviter igne tactum fuiſſe, ut facta uſti abraſione, vix quid de oſſea periiſſe videretur ſubſtantia.

Igitur uſtio non erat aut profunda, aut etiam ad usque diploën producta, quemadmodum Autores jubent, ſed vix tangens, adeoque inſufficiens. Attamen quis credat! Dura mater inuſtæ plagæ ſujecta, jam ab externa ſui parte, qua os tangit, ſuppurari leviter inceperat; Arachnoidea videbatur ibidem loci cum pia matre corrugata: cerebrum autem integerrimum. Cæterum per univerſum cranium ambæ Meninges admodum inflammatæ.

Igitur, quod hic præprimis notandum, uſtio vix leviter externum cranium tetigerat, & nihilominus effectum in omnibus ediderat cerebri membranis. Et quidni? Cranium internum ipſum ad diſtantiam duarum linearum a loco uſto leviter fiſſum fuit. Tantane vis ignis, effectusque leviore tactu? Quid ſi ad diploën penetraſſet? Præſtitit ſane nos in urendo meticuloſiores fuiſſe cum hocce cranium, craſſi licet ruſtici, adeo tenue & tranſparens eſſet, ut vix mediam ſolitæ craſſitudinis partem haberet.

Præter hæc nullum in cranio vitium, ne in opticis quidem nervis cui Guttæ ſerenæ adſcriberemus cauſam.

Dum vomitus a ſemianno periodicus fuerat, operæ pretium erat cauſas indagare. Ventriculus ore ſuperiore ſuo initioque Oeſophagi, ſolito multo amplior, ita ſanguine omnibus ſuis in vaſis turgens, ut hæc in nonnullis locis duarum, in aliis trium linearum diametrum

ha-

haberent; purpureus cæterum toto fundo suo, binisque in plagis tam interne, quam externe; gangrænosus; circa Pylorum bonus.

Universi Pulmones lateribus undique, Mediastino, Diaphragmati, Pericardio, Spinæ dorsi lateri, Jugulo, quolibet in puncto adeo indissolubiliter accreti erant, ut sine alterutrius destructione impossibile esset eosdem solvere; utque ubique, potissimum vero in toto dextro latere, lacerati pulmonis reliquiæ thoracem investirent. Quemadmodum porro Pulmones cum vicinis partibus, ita quoque mutuis inter se se lobis coalescebant.

Quod autem maxime mirabile, Adolescens nunquam in nostro Nosocomio difficilem aut læsam Respirationem ostendit, neque hujus quidpiam matris habuit Anamnesis. Unice affirmare possumus sesquihora modo ante mortem Respirationis, pulsusque, vitia adparuisse.

Nec minus mirabilis ventriculi & obstructi, & perquam inflammati, & gangrænosi, contemplatio, ubi ad mortem fere usque nec signa febris, aut gangrænæ in pulsu, nec signa doloris in hoc viscere, nec signa alicujus in ejusdem functione defectus, apparuerunt. Igitur obstructio adeo notabilis, inflammatio adeo sæva, gangræna adeo vehemens, ut penetret totam ventriculi substantiam, citra dolorem, citraque febrem contingunt? bono cum appetitu formantur? cum integra visceris perficiuntur functione? Neque enim fore crediderim, qui statuat, omnia hæc sesqui horæ spatio nata & perfecta fuisse. Nunquid etiam illæsam semper Respirationem facile intelligimus cum universali adeo, cum indissolubili concretione Pulmonum? Cordisque expediti motum perennem, cujus pericardium dictis de causis immobile fuisse videatur? Merito videor hunc casum ad *Cap.* 10. *de Problematibus* referre adeoque ut *Problema* 11. ad pag 165. adjungere.

Sed ut e bivio in viam; futuros prævideo, qui ex in-

tegra hac hiſtoria concludant, levem hanc uſtionem cauſam mortis neutiquam extitiſſe, ſed in corpore adeo vitioſo mortem aliunde duxiſſe originem. Hos obſecro velint ſequentem perpendere caſum.

§. III. Die 4. Junii cauterium eodem modo juvenculæ 20. annorum admovimus, altera ſcilicet die ab eodem adplicito adoleſcenti: Hæc Gutta ſerena laboraverat a fine anni 1759. poſt vomitum ſpontaneum 14. dierum poſtque trimeſtrem defectum catameniorum. Datis purgantibus, vomitus ceſſaverat, redierant menſes, viſusque. Toto anno optime valuit. Sub finem anni 1760. menſes deficiunt, vomitus redit, perit viſus. Eo in ſtatu noſtrum Noſocomium infertur. Video Amauroſin, quæ cum immobili utraque pupilla, inter diem noctemque, imo poſthac de die album inter nigrumque, diſtingueret: contra quam in Adoleſcente, cui cum mobiliſſimis a luce pupillis perfectiſſima cæcitas fuerit. Cum anno elapſo purgantibus ſanitatem & viſionem recuperaſſet, eadem ipſi, ſed jam incaſſum, præſcripſi. Cumque demum purgantibus opio interpoſito vomitum ſuperaſſem, menſes & viſus deficere pergebant. Amauroſis jam bis vomitum diuturnum, eumque violentum; vomitus jam bis retardatos inſequebatur menſes: unde in menſium defectum, ſi non omnis, ſaltem aliqua cauſa vomitus videretur refundenda. Quare poſtquam appetitus bonus ceſſante vomitu rediiſſet, methodica ad menſes revocandos cura exactiſſime; eaque non juvante, quævis empyrica, prudenter adhibita fuit. Cum demum nihil juvaret, niſi quod ſemel iterumque leve quoddam initium menſium videretur conſpici, tandem quod *Tract. de Hæmorrhoidibus* pag. 73. ex *Anglicis Obſerv.* laudavi auxilium, Machinæ tortilis ad arterias crurales admotæ poſt Aloëticum purgans, Balneaque Vaporis; hoc, inquam auxilium ad tres varias usque vices adhibui, circa id tempus, quo menſes, ni turbatus naturæ ordo fuiſſet, redire debuiſ-

sent. Sed & hoc frustra fuit. Diu demum post menses rediere, sed irregulariter semper; vomitus non nisi raro rediit, passim adhuc bonus appetitus, bona digestio, egestio commoda, virium, torositatisque incrementum. Ast vero omnia hæc cum perseverante Amaurosi, & continuo repetentibus capitis, atque oculorum, doloribus.

Videbatur ex hisce concludi oportere, quod visus olim rediisset ad catameniorum restitutionem, quia necdum quid notabiliter aut læsi, aut impacti, obstructique, in Encephalo erat; jam vero ex vomituum tum repetitione, tum diuturnitate, vitium topicum in cranio foret, propter quod Gutta serena ad restitutos menses perennasset: quodque proinde occasio opportuna adesset ejus curam Cauterio tentandi, id quod tutum, quod securum, quod nunquam noxium, sæpe vero efficacissimum, hucusque credideramus.

Altera ergo die, ut monui, qua in puero, operationem eodem modo in hac puella fecimus. Symptomata dolorum ad varias operationis partes, confuse primo; sedatis vero doloribus, eodem se percepisse modo, quo Adolescens narraverat, declaravit. Appetitu gaudentem eodem, quo puerum, modo sustentavimus. Prima nocte vix dormivit, & dolorem in utroque cervicis latere conquesta est; altera die melius: tertia die bene se habuit, excepta febricula; quarta die pejus. Sanguinem tunc misimus, qui pessime phlogisticus. Jamque vox deficere incepit, & caput hebes fieri.

Igitur inopina morte pueri perculsi, mortem puellæ tristes quoque prævidimus. De *Trepano* interea cogitatum. Ne vero illud frustra periclitaremur, plura crania primum cauterio inussimus, trepanumque adhibuimus; & primo quidem ipso ustionis loco. Sed mox stylus Trepani in adusto fundo vacillabat, deinde plus adhuc stylus Trepani maris; ita ut vestigium sufficiens haud potuerit imprimi, quo Trepanum femina dictum tuto

age-

ageret. Quapropter idem eo tentavimus loco, qui ad uſtionem proximus, ut circulus Trepani eam una tangeret, eoque modo ad affectum in cranio locum quoque deveniremus. Etenim tam proxime ad uſtam plagam Trepanum adhibendum eſſe ſuadebat hac ipſa hora facta pueri Anatome, quæ ambas meningas ibidem affectas oſtendebat. Verum & hoc impoſſibile. Dum enim in pertenui cranio (quod ad tutius experimentum eligebamus) corona Trepani partem cranii non uſtam vix tetigerat, profundius jam aduſtam partem penetrabat; & bis, ter adhuc, licet prudentiſſime, ſuſpenſiſſimeque, modiolum agitando, oſſis feſtucæ, ab uſtione fragiliores, in cerebri membranas infigebantur, interea dum diu adhuc perterebranda ea eſſet portio oſſis, quæ aduſta non fuerat, ut totum fruſtulum eximi poſſet: unde concluſimus evidens mortis periculum periculoſiſſima & incertiſſima operatione averti non oportere. Medio die quinto periit, cum leviore faciei convulſione.

In externo cranio omnia ut in bono vulnere. Oſſa cranii reſecta uſtionem non modo multum non penetraſſe, ſed craſſum hoc cranium vix attigiſſe patebat; parte enim aduſta, abraſa, vix de oſſis ſubſtantia quidquam ablatum apparebat. Nihilominus ſub hoc craſſo, vixque ab igne tacto cranio, dura mater ſuppurata inventa eſt, ac totum ſiniſtrum cerebri hemiſphærium, in quo (ut mox patebit) uſtio erat, magna copia puris inter utramque meninga ſcatebat. Et, ut in priore, in utroque cerebri latere utraque Meninx vehementer inflammata erat. Aër autem copioſus, ubique ſe movens, ſeparatim a ſanguine in harum membranarum vaſis ſanguineis, potiſſimum in hemiſphærio ſiniſtro, miro ſane ſpectaculo, inventus eſt. Ventriculus ſuperior in ſiniſtro latere Hydropicus tria plena cochlearia lymphæ geſſit, dexter ſolitam copiam. Cerebrum pone locum uſtionis flavum, & ſolito mollius, ac fere liquidum.

Notabile autem maxime Infundibulum. 1mo Maximum fuit, octo vel novem linearum diametrum habens. 2do Repletum fuit materia grisea, quæ partim pultacea, partim calcaria fuit. 3tio Concretum erat cum pia matre Opticos involvente. 4to Insidebat, premebatque ipsum Opticorum coalitum; non quidem ita ut Optici nervi post coalitum marcescerent, sed saltem sic, ut videretur illorum actio interturbata fuisse, puellaque cæca fuisse mansura, etiam si male haud successisset operatio.

Pulmones, ut in puero præcedente, ubique, ne minima quidem plaga excepta, indissolubiliter cum omnibus in Thorace partibus, mutuisque inter se lobis, connati erant. Oesophagus, & orificium superius ventriculi, duplo, quam solent, ampliores; Pylorus tam arctus, ut calamum scriptorium haud admitteret, in crastinam autem demonstrationem reservatus, hac constrictione, an spasmo evanido? caruit. Ex præcedentibus quippe patuit spasmos a morte non raro superesse.

§. IV. His ita enarratis, seria & tranquilla mente examen doctrinæ de adurendo cranio instituendum est Collato lugubri utroque hoc casu cum allata 40. & ultra Doctorum doctrina, dico 1mo minime verum esse, quod operatio hæc quovis periculo vacet. Et periculosissimam esse, & utrisque nostris letalem fuisse, Historia utraque palam facit.

2do Cauterium in nostris levissime modo crania tetigit, letum induxit: quid non sequatur, necesse est, si uratur profundius?

3tio Si cauterium jussu Autorum, tam profunde adactum fuisset, ut probabiliter ad Diploen penetrasset, ipsum cerebrum immediate adustum fuisset; nam eximiæ tenuitatis cranium fuit. An non ea de causa plures, hac ita instituta operatione, perierint cito, necesse est?

Sed 4to Etiam levissimo cauterii attactu validissima, no-

nocentiſſimaque uſtio fit. In primo noſtro caſu levior, gravior longe in ſecundo, ſuppuratio inventa eſt, in utrisque univerſi capitis inflammatio, tum & aëris perceptibilis intra vaſa ſanguinea collectio magna, varia, in omni loco membranarum, ut ignis in liquoribus aërem, antea non ut talem, jam vero ut aërem exiſtentem, bullisque manifeſtantem ſe ſe, gignere ſolet. Hoc experti nos a leviuſcula aduſtione, quid illi a penetrantiore experti non fuerint?

5to Crania quævis, craſſiſſima æque quam tenuiſſima, ſuſpenſo tacta cauterio, intus ardent ſic, ut digitus ſuppoſitus uratur, & ni retraxeris, ejusdem ſolvatur cuticula. Hoc experimentum pluries in publico Collegio iteravi, ut plusquam 20. homines digitum ſupponentes, ilico eundem retrahere deberent. Eum in finem ſumſi varias veteres calvas, tenuiores, craſſiores, interque easdem unam cujus Bregmatum craſſities lineas quatuor æquabat. Vix per tres minuti horæ ſecundas candens ferrum os tetigerat, quin chirurgus digitum eo tempore admotum, in bullas elevatum doleret. Ergo dura mater, & reliquæ ſubjectæ partes, plus minus adurantur, neceſſe eſt. Igiturne adeo mirum fuit, quod ambo noſtri ad uſtionem vix tenuem oſſis ſuperficiem conſumentem, ſe aduri lamentarentur, licet nec ignem videre poſſent, nec ejusdem adplicandi moniti eſſent.

6to Omnes poſtmodum experimentorum occaſiones captantes, in quovis recenter oblato cranio varia exploravimus. Ubi vix tangit cauterium os, jam ab interna parte bullæ naſcuntur fervidæ, veluti quid ebulliret. Ergo in quacumque etiam leviſſima aduſtione ingens fervor ad interiora percipiatur oportet.

7mo Et maximus, & pernicioſiſſimus ille caloris gradus eſt, qui ab ebulliente oleo; quod fervente aqua fere triplo calidius eſt, gignitur. Varium experimentum id nos docuit. In homine recenter mortuo quatuor diverſis in plagis cranium cauterio leviter tetigimus. Inverſa

tunc olla cranii flava macula in his ipsis quatuor locis inusta erat. Inussimus idem alio loco $\frac{1}{3}$ minuti, id est 20. secundarum spatio: vix os externum ustum erat, quin interiora bullis flavis, fœtidisque, excoquerentur, & digitus suppositus valide exureretur.

8vo Si ad Diploen inurere usque, ut plures Autores jubent, oportet, indigebat ferrum candens tribus, imo pluribus horæ minutis, pro diversa craniorum crassitudine; prout in recentioribus craniis deprehendebamus, loca adusta postmodum abradendo. At vero in vivis ab ustione in uno cranio unius minuti, sesqui minuti in altero, transsudans fervidum oleum ussit jam, corrugavitque omnes meningas, & albam cætera cerebri medullam in flavam convertit. Monitos autem eos velim, qui hæc mea experimenta repetituri sint, ut sumant consuetum Artificum Cauterium, ut *Aquapendens*, *Paræus*, *Hildanus*, *Scultetus &c.* describunt; alioqui nollem de experimenti effectu respondere, si v. g. clavo, vel alio ferro candefacto, vel si non penitus ignito, cranium inurerent.

9no Inconstantius quoque nihil decursu suturarum. Sumsimus plura vetera, plura deinde ad singulas oblatas occasiones crania recentia, & numerosa inter illa deprehendimus, in quibus sutura coronalis pollice inferior ad frontem, vel superior versus suturam Lambdoideam inveniebatur. Intra hoc pollicis spatium suturæ coronales inter sese $\frac{1}{4}$ $\frac{1}{2}$ $\frac{3}{4}$. altitudinis differunt. Neque constanti lege sagittalis sutura in medio est. In puero mortuo os parietale sinistrum longe amplius dextro. Unde cum ipsi in media linea ustio facta esset, invenimus illam $\frac{1}{4}$. pollicis a sutura sagittali distantem. Nonnullis suturæ omnes, vel quædam desunt, imperfecteve adsunt. In puella mortua totum os frontis, & parietale dextrum, nonnisi unicum solidum os fuit, sine vel minimo suturæ vestigio. Quare quod plurimi disertis verbis sicrem constanter se habere affirment, operatio-

nem-

nemque oportere ſemper in ipſo decuſſantium ſe ſe filorum puncto fieri,ut in ſuturarum commiſſuram cadat, inania verba ſunt, experientiæ contraria. Equidem poſſe quemquam in decem ac plures incidere calvas, quarum ejusmodi commiſſura ſit ſuturarum, inficias haud ivero, ſed concedere demum mihi debebit, quo plures calvarias examinaverit, eo numeroſiores inter illas ſe invenire diſſimilitudines.

10mo.Fateri oportet laudatorum Scriptorum hinc inde unum reperiri, qui operationem quidem commendans, eandem tamen remotius a ſuturis eſſe velit; ita quippe *Fallopius:* vel alium æque meticuloſum, qui ſuturas quidem, ſed non confinium ipſum binarum ſuturarum, ſuaſerit aduri. Sed priori ſatisfecimus in puero, in quo uſtio ab utraque ſutura multum diſtabat: alteri caſu auſcultavimus in puella, ubi uſtio fuit pollice altius ſutura coronali. Et nihilominus utrisque hisce meticuloſis caſu ſatisfacientes, ægros utrosque morte amiſimus.

§. V. Candide ergo omnibus ſic expoſitis, quid demum conſequitur? 1mo. Veterum recentiorumque complures haud ea, quæ viderint, expertique fuerint, verum ea duntaxat, quæ alibi audiverint, legerintve, ſcripſiſſe; Artem proinde iſtos non experientia,ſed oneroſis auxiſſe voluminibus.

2. Fuiſſe dubio procul, qui forte ſemel operationem viderint, eamque (ſive quod inflammatio Meningum reſoluta fuerit, ſive quod meticuloſior Artifex aut non penitus candefecerit ferrum, aut cranium vix tetigerit,) letiferam non fuiſſe; imo, quod fonticulus inde excitatus morbum levaverit, profuiſſe obſervaverint: peſſime vero ex rariore obſervatione generaliſſimas regulas poſteris tradidiſſe.

3. Qui vero pluries hanc cranii aduſtionem perfecerint & non niſi fauſtiſſimam deſcripſerint eandem, hos ſuos paucos fortunatos caſus enarraſſe modo, plures re-

ticuisse infaustos. Eundem, quippe ignem qui nobis est, ipsis fuisse; eadem ipsis, quæ nobis, crania: effectus proinde ejusdem ignis, in consimilia crania, fuisse consimiles. Cum igitur demonstratum sit a mitiore, (quam jusserint illi, inustione mortem contigisse, quid non sæpius illos letiferi observasse necesse est, qui adusserint altius?

4. Hos præprimis culpandos esse, fraudisque notandos, eo quod infortunia sua celaverint, suppresserint, conticuerint. Dum enim nihil nisi fausta cecinerint, alios ad imitandum audaces suo reddidere exemplo, eosdemque, ut nos, sero imprudentis imitationis pœnitentes.

5. Solam proinde ac genuinam Artis promovendæ eam esse normam, qua solius amore veritatis, qua unico opitulandi studio, summo cum candore, & Christiana simplicitate, sic facta enarrentur, ut non minus infausta, quam fausta, innotescant. Quo demum efficitur id, ut qui hos Autores consulant, maturius & secum, & cum aliis, deliberent, incertamque forment Prognosim, antequam necessitas forsitan cogeret similes operationes, curasve, confingere.

6. Quam triste est mores Circumforaneorum & Agyrtarum lucripetos, vaniloquos, ambitiosos, adeo multis Medicorum atque Chirurgorum inhærere animis, ut id, quod haud verbis modo, sed etiam factis vilipendunt, detestanturque, nonnunquam tamen nimio systematis ardore excæcati, turpissime imitentur! Profecto non possumus sufficienter nobis invigilare, ne proprio præoccupati amore, aut vana illecti gloriola & coævis inponamus, & posteris. Ad pondus Sanctuarii omnes in Medicina & Chirurgia appendendæ sunt observationes, priusquam in lucem prodeant, ut ars inde capiat augmentum. Etenim dicente veridico *Hippocrate*: „ Vita brevis, ars longa, occasio celeris, experi„ mentum periculosum, judicium difficile." hinc utimur vere demonstratis aliorum, ut tempori parcamus


mus, hisque instructi, ad ulteriora invenienda, & demonstranda annitamur. Et hisce nostris suffulti Nepotes nova adjicient. At vero si non artis amore, sed potius turpis lucri, immeritæ famæ, detestabilis in bonos invidiæ, studio ducimur; si Peregrinatorum complurium similes, mirandarum rerum magis, quam verarum, cupimus scriptores esse; turpiter incautos decipimus in detrimentum Artis, in damnum, perniciemque mortalium, cautos vero animabimus, ut malam nostram fidem orbi patefaciant; quod antequam iteratis experimentis effecerint, millenos errores ii committent, qui nobis, ut candidis veritatis præconibus, fidem adhibuerint.

§. VI. Igiturne hæc operatio ex arte proscribenda? Et in desperatis, aut difficillimis morbis, quorum causa probabiliter in capite hæret, an nihil ultra tentandum est?

Ad primum respondeo, quia operatio multo levius instituta in nostris binis ægris, quam Autores jubent, mortem utrique intulit; quia experimenta in cadaveribus, & in separatis craniis evicere, nunquam sine ingenti discrimine vitæ eam institui posse; merito concludi posse, ac debere id, quod sit ex Arte proscribenda. Et enim rarior operationis hujus felicitas plurimorum interitum non compensat.

Ad alterum dico *Trepanon* in hisce superesse casibus. Est equidem & illud, quod ultro fatendum est, anceps sæpe auxilium, eo quod Cephalearum, Epilepsiarumque causas, nonnisi conjecturemus in capite præsentes esse, vel in ea, quam suspicamur, capitis plaga; Attamen incertitudinis facta prognosi, si ægri velint extrema tentari, novimus per certa experimenta *Trepanon*, erudita manu adplicatum, per se letale nunquam esse; etiamsi prima terebratione irrita, altera vice, pluribusve, ad aliam cranii plagam adplicetur. Hinc, quia non sola Autorum fide, sed quotidiana, in contusis, ac vul-

neratis, experientia discimus non esse per se periculosum Trepanum, sponte admittimus, quæ *Ballonius Paradig.* N°. 19. quæ *Hollerius* Libro Observ. quæ *Duretus* in Annotatione in suam enarrationem in Cap. 2. *Holl.* de morbis internis pag. 27. quæ *Rhodius* Cent. 1. Observ. 69. quæ *P. Forestus*, Libr. 9. Cap. 2. in Scholio, aliique, tum docuerunt, tum exemplis confirmarunt. Quare perperam *Willisius* de An. Brut. Lib. 2. Cap. 2. pag. 75. Edit. in fol. ait. „ Laudari aperturam „ capitis a multis, sed a nemine, quod sciam tentatam. „ Ingentem *Harvæum* Nobili feminæ ob invincibilem Cephalæam proposuisse, & spem exinde fecisse, sed neminem facere operationem voluisse. „ Utique ex allatis Scriptoribus patet sæpius fuisse eandem summo cum effectu institutam.



CAPUT XIII.

De Peculiari Quorundam Medicamentorum Virtute.

§. I. *Ratio cur hoc anno minora numero experimenta circa Aquam Calcis, & Uvam Ursinam, describantur* §. II. *Examen an Ononis prosit calculosis? Anatome. Eadem quæstio de Raphano hortensi.* §. III. *Laus Verbenæ: eaque occasione enarratio diræ cephalææ ad quam curandam frustra Artis fere omnis exhausta supellex* §. IV. *Præstantia Foliorum Aurantiorum in Pulvere, & in Decocto. Admonitio de Prudentia quæ in Viribus Medicamentorum detegendis, determinandis, limitandisque, necessario adhibenda sit.* §. V. *De communibus dictis Anti-Epilepticis.*

§. I. De Aquæ Calcis, & *Uvæ Ursi* viribus, minus hoc anno dicendum habeo, 1mo. quia homi-

minum calculo laborantium numerus longe minor ad Nosocomium accessit. 2do. Quia ad facilem secandi methodum demonstrandam, & amplificandam, plures eorum, quibus ceteroqui alterutrum horum dedissem, calculo secari curavi. 3tio. Quoniam in his morbis etiam aliorum simplicium vires explorare animus fuit. Cæterum plures eorum, quorum, his remediis curatorum, historiam part præcedentibus dedi, denuo videre contigit, & perfecte sanos, omnibusque calculi symptomatibus liberos esse, constitit. Inutilia quoque hæc remedia esse, in quibus degeneres admodum systematis Europæi partes erant, novis constitit observatis; attamen educto calculo iisdem levamen hinc multum sæpe contingere.

§. 11. Casu historiam notabilem didici effectus *Ononidis*, dictæ C B P. *Restæ Bovis*; quam Autores Medico-Botanici ab omni tempore in variis obstructionibus, & calculo, laudarunt. Senator ille, (quem antea Cap. 9 §. 2. Hydrope pectoris extinctum consideravimus,) longis ab annis calculi martyr, & plures minores aliquando excernens, demum a peregrino Patre *Franciscano* id consilii accepit, ut pugillum herbæ *Ononidis*, cum semilibra aquæ pauxillum coctum, quovis mane biberet; ac primo quidem spatio longiore, deinde, levamine insigni inde percepto, repeteret quater in anno idem remedium, spatio 14. dierum. Consilio parens, levamen primo incredibile habuit, deinde liber ab omni calculi symptomate, per aliquot ante mortem annos, sic fuit, ac si eodem laborasset nunquam; nisi semel iterumque, repetitionem remedii aut neglectu, aut studio, procrastinando.

Inspiciendi hujus cadaveris facultatem, ut Cap. 9. jam monui, omni modo quærebam. 1mo. Ob dubia quæpiam, quæ in Hydrope pectoris ejus occurrebant, ut Cap. 9. §. 2. monui. 2do. Ob vires indagandas *Ononidis*, utrum nempe egisset modo, ut Uva Ursi, sym-

pto-

ptomata auferendo, an vero tollendo ipsam Diathesin. 3tio. An, quia cessantibus calculi doloribus, pulmo ægrotare cepit, calculosa Diathesis pulmonem obsideret, ibidemque primo Asthma, deinde Hydropem pectoris, creavisset. Eximius Medicus Aulicus Nobilis a *Hentschel*, qui tanta cum laude inclytæ Facultatis Decanatu integro triennio functus est, & quocum aliquoties super hoc morbo in consilium vocatus fueram, veniam incidendi procuravit.

Ad prima dubia circa Hydropem pectoris respondi cap. 9. pag. 130.

Quoad alterum, nihil aut calculosi, aut degeneris, in toto systemate urinario invenimus; id modo notabamus, quod Ren dexter quadruplo major, cum naturali uretere, sinister Ren quadruplo minor mole esset. Ad tertium dubium quod spectat, pulmones flaccidi quidem lividique erant; at vero quacumque in plaga examinati, nihil gerebant calculosi, aut calcarei; neque unquam in vita quid simile sputis reddiderat.

An ergo *Ononis* diathesin calculosam, expulsis jam antea, qui aderant, calculis, penitus emendavit? sustulit? Nunquid repullulantem eandem diathesin ad remedii neglectum, idem mox suppressit? Multiplico experimenta, sed nondum certi quidquam determinare possum.

Raphani hortensis succum cum oleo sumtum pag. 180. vidimus bimestre tempus tolerabile reddidisse calculoso. Erit & hoc in aliis tentandum.

§. III. Laudanda hic *Verbena* venit, seu *Verbenaca* dicta, *Verbena communis flore ceruleo*, *Verbena recta* C. B. P. 246. Eisen-Kraut / Stal-Kraut.

Galenus de comp. med, sec. loc. Libr. 2. Cap. 2.
„ Omnium porro maxime discutit, & perfecte robo-
„ rat, *Verbena Recta* περιστερεὼν ὁ ὀρθος, maxime viri-
„ dis, imo & arida, cum radicibus, & simul cum ser-
„ pillo oleo incocto .... quin & ipsam per se *Verbena-*

„ *cam*,

„ *cam*, si oleo incoxeris, caputque inde rigaveris, omni capitis dolori antiquo, ex frigiditate, aut ex crassis humoribus oborto medeberis.

Archigenes inter περιάπτα hanc herbam recensuit, quod & posteriores; Galenus vero improbavit id. " Liberat, ait, a capitis dolore, dicit *Archigenes*, *Verbenaca herba*, quam aliqui *sacram* vocant, tum coronæ modo circumposita, tum illita ex Rosaceo & aceto: hoc auxilium oportebat eum non nunc inter Amuleta, sed prius inter medicamenta referre; siquidem revera ei confidit, per longam experientiam cognito & probato.

Dioscorides Libr. 4. Cap. 50. 51. *Herbam sacram* quam Amuleti vice adhibent, aliam *Verbenacam*, περιστερεὼν intelligit, non illam *Rectam*.

Cæterum *Dodonæus* *Verbenam* sive *Verbenacam Rectam* statuit illam esse, quæ capiti applicata, ejusdem medeatur doloribus.

Platerus Libr. 2. Cap. 3. pag. 243. edit. in 4°. eodem modo quo *Dodonæus* loquitur.

Forestus L. 9. in Schol, ad Obs. 52. „ Famulus quidam capite supramodum dolebat. Cum nulla remedia juvarent, tandem ad collum *Verbenam* viridem aliquo modo tritam, ut ab adstantibus non cognosceretur, appendebam, idque nocte, dormienti, & inscio, antequam malum invaderet: & adstantibus mandabam, ne æger, a somno solutus, herbam collo suspensam dimoveret: qua hujus herbæ folius suspensione, miraculi instar hic æger curatus est. *Verbena* a collo suspensa amoveri non debet, nisi exsiccata tandem per se cadat.

Et in prax. Chymiatr. *Joan. Hartmannus*. „ In omni dolore capitis tanquam Arcanum appropriatum, Aqua *Verbenæ* destillata commendatur, sæpe assumpta ad unc. IV. cum gtt. IV. Spir. Vitriol. juvat etiam *Verbena* tota contusa, & capiti imposita.

J. B.

J. B. *Montagnanus* Consil. 20. *Verbenam* quoque inter cephalica laudat. Cum hæc de *Verbena* invenissem, adplicui eandem juvenculæ, cujus casus paulo altius repetendus est, ut medicamenti hujus pateat efficacia.

Hæc femina 25. annos nata, venit ad me 2. Julii 1760. præ diuturno & intolerabili capitis dolore petitura consilium. Mater narrabat, hanc suam filiam ex brachio ancillæ cecidisse, capite in terram alliso; natum inde apostema, & copiosum pus auribus effluxisse. Deinde sexto vitæ anno variolis eam decubuisse adeo malignis, ut tota fere cutis capillata capitis suppurando secesserit. Non recte memoria suggerit matri, utrum lapsui memorato an remedio ignoto, quo cito caput infantis suppurans post variolas exsiccaverit, causam, originemque cephalææ tribuere debeat; cum infantes minus soleant conqueri, & an tunc aliquando puella conquereretur, penitus oblita sit. Cæterum, post variolas meminit mater, post suum decimum annum meminit juvencula, dolores capitis frequentes dirosque adfuisse, verum usque ad 19. ætatis annum eosdem tantum unico sævisse die, nocte siluisse, diebusque insequentibus pluribus, numero incertis; eodemque annorum spatio frequentissimos vomitus ac narium hæmorrhagias, capitis doloribus junctas fuisse, eadem forsan de causa brevioribus, rarioribus. Ab anno vero ætatis 19. graviores capitis dolores diuturnioresque sæviisse, cum longe rariore vomitu ac hæmorrhagia. Ab elapso biennio incepisse vomitus fieri violentos, æruginosos, quos emetico ac purgantibus & tunc sustulerit, & semianno deinde, cum rediissent. Modus porro doloris sic se habebat nunc: Cephalæa totum quidem caput obsidebat; sinistro vero in latere vehementius; cum auditu gravi, & tinnitu auris sinistræ, cum colli dolentis, pulsantisque, Emprostotono, quando erecta est capite, haud ita quando decumbit. Tussim quoque siccam conquerebatur, cor palpitans, insomnes præ doloribus noctes, in quartum & quintum diem re-

tardantem alvum; menſes a 19. anno ætatis regulares quidem paſſim, ſpatioque 6. 7. 8. dierum fluentes, at paucos eosdem, pallidosque; cæterum non dolentes fere; quamvis caput ſub idem tempus gravius doleret. Poſt ultimos æruginoſos vomitus a menſe Novemb. 1759. ad Apr. 1760. lecto hæſit, acerbitate dolorum, affixa. Paulo ante, quam ad me accederet, dolores vehementer poſt venæ ſectionem increverant.

Hac Anamneſi ſic adornata, & tempore meo elapſo, dedi ipſi purgans, quo præ alvo obſtructiſſima egebat, & juſſi poſthac rediret, ut adæquatam ſi fieri poſſet, indicationem formaremus.

Non rediit porro, niſi quatuor elapſis integris poſtliminio menſibus, eo quod præ doloris perſeverantia domo exire haud potuiſſet. Hinc eam de ſalute deſperabundam blande erexi, in Noſocomio ſervavi, ejusque occaſione diſſertationem coram Medicinæ Studioſis feci, in qua a nata Medicina, in noſtra usque tempora, hujus morbi cauſas, ſymptomata, diagnoſin, prognoſin, & curationem, expiſcatus, proſequutusque ſum; & circa quam ab ipſo Januario usque ad Ferias majores iidem domini Studioſi hebdomadali disputatione inter ſe ſe diſceptarunt.

Applicatis quibuscumque cauſis morbi, quas Anatome unquam, obſervatioque detexit, ad caſum datum, concluſimus Cephalæam protopathicam eſſe, eandemque vel ex encephali ſuppuratione poſt lapſum, vel ex maturiore capitis poſt cutem capillatam ſuppurando ablatam exſiccatione, trahere originem. Equidem in ventriculum nonnulla, fateor, ſuſpicio cadebat, quia toties vomitus contigerat, isque poſt emetica cephalæam ſæpius ſedaſſe viſus erat; verum contra, ventriculus inſons ab encephalo affecto in conſenſum rapitur, docentibus id manifeſto capitis contuſionibus, & vulneribus. Præterquam quod haud raro contingat, ut cauſa in capite hærente proritetur ven-

triculus in vomitus bilis flavæ, porraceæ, iſatodis, æruginoſæ, (quemadmodum etiam noſtra ægra aliquoties vomitu reddiderat,) a qua, inter plicas reſidua, ventriculus poſthac leviter expurgandus ſit, ni velimus eum ægrotare.

Prognoſin ambiguam feci, ob morbi diuturnitatem, atque altius irradicatam ejus cauſam. Quum tamen artis induſtria ejusmodi deſperatas fere cephalæas aut egregie mitigatas, aut etiam penitus curatas fuiſſe conſtabat, varia auxilia vario ordine admovi.

Ac primo quidem arridebat ſetaceum ad Nucham, quo quandam revulſionem procuraremus; eundemque in finem data ſunt purgantia hydragoga bis in ſeptimana, dum interea ſpir. frumenti cum ſublimato, & larga bardanæ decocta cum lacte, ad humores veteres emendandos, novosque regenerandos, perpetuo darentur. Primis 20. diebus, nihil inde, poſtmodum vero tantopere lucrata eſt, ut primo integro, dein binis, ternis, pluribusve diebus, cephalæa vacaret, ac tandem integris 5. ſeptimanis prorſum libera, ac ſaniſſima eſſet. Petivit dimitti, & remedia ſibi dari, quibus domi continuatis, corpus contra recidivam muniret. Juſſa igitur eadem continuare, & bonam ſetacei curam habere, 24. Jan. 1761. dimiſſa eſt.

Domi ſana, horum uſu, ſex ſeptimanis vixit, ſed dein in cephalæam diram remittentem quidem, ſed nunquam intermittentem, relapſa, ad 3. Martii denuo intra Noſocomium recepta eſt. Cum antiquis remediis minus feliciter continuantes, cetera artis auxilia ordine admovimus.

Ac primo quidem hirudines plures ad tempora frontemque adhiberi curavi, quæ cruoris quidem ſufficientem copiam, iterato ad 4. usque diem in pleno Auditorio experimento, eduxere, haud juvarunt tamen. Unde 2do. Cucurbitas tum ſiccas, tum ſcarificatas, adpoſui, fronti, vertici, temporibus; idque ad tres vices,

cum

cum debita cruoris evacuatione. Nihil inde opis. Igitur 3^{tio}. auxilium a vena jugulari secta expetivimus. Etiam hinc spe frustratus 4to. caput rasum emolliente cataplasmate totum fovi quatriduo; quod practici jubent eo consilio, ut ajunt, ut apertis suturarum poris via panderetur, qua prava de encephalo exhalarent. Arteriotomen non feci, quia ea & per Hirudines, & scarificatas Cucurbitas, sufficienter facta erat. Quinto empl. de meliloto cum $\frac{1}{4}$ empl. vesic. mistum universo capiti octiduo spatio admotum est; quo inde madente, ac stillante, pauxillum principio, nihil levaminis postliminio, percepit. Sexto *Bartholini* consilii memor, qui in *Anglia* didicerat antiquas cephalæas curari, datis quotidie aliquot guttis liquoris, qui adulta hyeme de vulnerata radice arboris *Juglandis* exstillans, appensa excipitur lagena, etiam hunc succum puellæ non ad guttulas, sed ad duas de die uncias spatio 14. dierum, dedi.

Nihil ergo tot tantisque proficiens, tandem *Verbenam* adhibui. Hæc 13. Aprilis sicca appensa collo est, & 25. Aprilis recens collecta, tum & aqua ejusdem stillatitia ad unc. IV. de die cum gtt. IV. Spir. vitrioli, data est. Subitum sane inde levamen habuit, subitoque integram doloris absentiam, sine ulla vel unius diei recidiva, spatio primum duorum mensium. Tumque ipsi, indicanti mihi, quod semper ad sinistrum oculum punctum dolens superesset, quem olim Spir. frumenti cum sublimato sublatum meminisset, internum verbenæ usum detraxi, spiritumque hunc substitui. Continuavit domi suæ spiritum, & verbenæ amuletum, ad diem 6. Julii, quo cephalæa rediit, dira adjuncta cardialgia, & vomitu frequenti, cum brachiorum introtorsione inter vomendum. Purgantibus, scuto stomachico, paregorico, nervinis, roborantibus, & verbena capiti adpensa, integre convaluit sub finem Julii, & bene hucusque habet.

 §. IV.

§. IV. *Aurantiorum folia* uſum in Medicina pulcrum habent. Eximius Medicus, vetus meus candidiſſimusque amicus, *Haganus* Poliater, *Abr. Weſterhoff*, plusquam elapſo abhinc anno, coactus fuerat ſplendidarum perſonarum hortatu, remedium quoddam arcanum ſuſcipere, ea oneroſa lege, ut quid eſſet, id, niſi conſentiente Autore, nemini patefaceret. Cum Amicorum omnia communia ſint, mihi aliquam ejusdem copiam fecit, ut data oportunitate in morbis convulſivis, in quibus non ſemper, ſed ſæpe, mirifice prodeſt, nocet vero nunquam, ut expertus teſtabatur, vim ejusdem explorarem. Offerebat ſe ſe menſe Januario currentis anni apta occaſio. Puella 18. ann. quam materna AUGUSTISSIMÆ liberalitas, ut multos alios centenos pueros, puellasque, clam alit, convulſiones patiebatur adeo miras, adeo horrendas, ut rariſſimi ſane exempli eſſent, utque nullum genus convulſionum notum ſit, quod hic non adeſſet: nulla pars corporis libera manſit, & nova atque inſueta ſymptomata ſcenam hanc terribilem fere quotidie mutabant: projectumque in altum corpus fuit ſic, ac ſi fortiſſimi viri illud in ſublime projicerent. Spatio 3. ſeptimanarum quidquid artis, quidquid experientiæ eſſet, indefeſſa opera adplicaverat veteranus Medicus, expertiſſimus Practicus, Dominus *ab Hentſchel*, ſed fruſtra. Cum AUGUSTISSIMÆ mandato optimo huic viro jungerer, totamque pene artem exhauſtam fruſtra cernerem, ſubit ilico Arcani memoria. Collegæ narro innocuum per ſe, at ſtupendum quandoque medicamentum. Annuit. Damus. Quid plura? Scrupuli unius doſi cum potu Chocoladæ miſta primo die, quæ 12. horis integris perſeveraverant convulſiones, trihorio finiuntur; altero die ſemihora, tertio vix umbra levis malorum, prætereaque nihil; cito autem vires rediere, corpori ſua mentique alacritas. Scrupulum tamen pulveris quotidie dedi ad 14. diem usque. Exinde ſemper ſana fuit.

Induſtria ac dexteritate ſua celeber, Ocularius *Wincel*, dum hac hyeme ſuam cataractas extrahendi artem, tanta cum laude *Viennæ* exerceret, ajebat Arcanum illud *Haganum* nonniſi folia *Aurantiorum* continere, & decocti quidem forma ad Chocoladam componendam adhiberi, at vero pulverem e foliis hisce paratum quoque ſimili potui admiſceri poſſe, ac prodeſſe. Cum id tot rationibus aſſeveraret, curavit Ill. D. *Præſes* magnam copiam foliorum ubique colligi, & ad omnia Noſocomia, Orphanotrophia, Gerotrophia, Ptochotrophia mitti, ad experimenta capienda. Dedi pulverem deſperato epileptico ultra menſis ſpatio, ſed incaſſum. Itidem puellæ, choreæ *S. Viti* reliquiis adhuc laboranti, pulverem hunc fruſtra longo tempore dedi; poſthac vero, cum *Hagani* pulveris decem ſuperſtites ſcrupulos eidem decem diebus dediſſem, penitus convaluit. An ergo in *Hagano* pulvere quid admiſtum aliud? Nunquid ex tot *Aurantiorum* ſpeciebus determinatam ſpeciem *Haganus* habet, quæ veluti præ reliquis *Aurantiis* ſpecifica eſſet? An vero, ſi idem ſit, hic contigit, quod ſæpe, ut principio vix quid Medicina præſtet, in fine autem juvet egregie? Uſus docebit.

Decoctum illud, unde Chocolada paratur, dictante nobis egregio *Wincel*, ſic & fit, & datur. Fol. 30. 36. *Aurantiorum* cum libra aquæ coquuntur ad $\frac{1}{3}$ conſumtionem, potumque Chocoladam inde formatum ægri bibunt, repetendo poſt 4. aut 5. dies idem. Præparata autem corpora volunt, triduo uſu aquæ mellitæ, & dein purgante: altera tunc die poſt purgans exhibent hoc medicamentum. Alii deſcripti decocti tertiam partem tribus ſubſequentibus diebus dant cum Chocolada, quam ſine adjunctis calidis eſſe jubent. Suadentque illi in lecto hunc potum ſumere, & bihorio deinde quieſcere. Porro & ternos hos potus matutinos, & prævias purgationes, toties eſſe repetendas, quoties id exigit pertinacia morbi.

Optimus Medicus, integerrimus Amicus, Senator & Poliater *Haganus C. H. Velse*, communicavit mecum hanc Decocti formam. ℞. Fol. Aurantior. N°. 120. (id est circiter unc. j. & dr. vj.) in Aq. pluv. unc. xx. decoque spatio 2. vel 3. horarum, vase clauso; colato adde vini rubr. unc. x. Sacchar. cononid. q. s. ad gratiam. Sumat æger bis, ter, quater, prout necessitas jubet, unc. iij. iv. quotidie, aut solas, aut mistas cum levi Chocolada. Testatur idem hocce remedium mire reficere, & roborare ægros; egregie aliquando *Colicam Pictonum* mitigare; Colicæ hujus sedare vomitus; & quæ purgantia, atque opiata hactenus operata non essent, ope decocti nunc operari. In Hystericis convulsionibus necdum multa experimenta se habere, reticere se tamen non posse notabilem casum biennis infantis, fatui, ut videbatur, futuri: qui anni ab illinc spatio levioribus convulsionibus quotidie vexatus; a semianno clamoribus convulsivis, nonnunquam epilepsiæ, quandoque catalepseos, contortus symptomatibus; sumserat ter die quid hujus decocti spatio 20. dierum citra levamen notabile, posthac vero eo cum effectu, ut elapso demum mense ne umbram quidem morbi amplius haberet, hilarisque idem, atque ingenuus, adpareret.

Profecto hujus efficaciam decocti mirificam, & ego expertus fui in viro quinquagenario, qui post hemicraniam in horridas faciei convulsiones 20. 30. una die repetentes, inciderat. Junxeratque se se ea memoriæ labes, ut noscens, qui accederent, omnes, noscens omnia, quæ videret, tangeretque, tamen nomina indere propria ipsis non posset, passimque per omnia balbutiret: & quamvis gallice, aut italice, interrogatus, si quid utcumque intelligibile responderet, id germanice duntaxat, præter omnem sane morem, fuit. Unc. ij. quovis bihorio decocti datæ, sensim notabiliter mutarunt, tandem spatio sex dierum integre

su-

sustulerunt hunc morbum, cum omnibus suis stupendis symptomatibus, omnesque restituerunt functiones.

Puella 16. annorum febre scarlatina correpta mense Septembri anno 1760., dein convulsione 7. Octobr. latere dextro paralytica facta est, & perfecte aphona. Cum nihil consueta Artis auxilia juvarent, misit eam Ill. Præses ad meam Machinam electream. Pauxillum quidem spatio 6. mensium lucrabatur, ut articulare voces quasdam potuerit, ut etiam paralysis minueretur; verum pauca illa emendatio cum non augeretur, dedi tria decocta Aurantiorum, posteaque pulveres, interea dum ad Machinam diligenter quotidie accederet. Mensis spatio sic pergens, lucratur voce incredibiliter, ut nunc spes sit ejusdem restituendæ, & paralyseos penitus curandæ. Observatio hæc incitavit me, ut cunctis, quibus vim electrinam nunc adplico, simul pulveres fol. aurant. darem, visurus an plura exempla colligere queam felicioris successus vis electrinæ ope horum.

In Epilepticis nec decocto, nec pulvere foliorum, aliquid hucusque profeci; data tamen occasione repetam experimentum, cum audio id aliis succedere. In tremore post terrorem superstite videbar primo victor morbi futurus, deinceps vero minime, tandem vero iterum multum. Vidi a laudatissimo Physico Nosocomii civici *Schreibers* homini, choream *S. Viti* ab annis pessime habenti, idem ultra mensis spatium dari, cum aliqua duntaxat emendatione in principio, ita ut levior illa emendatio non augeretur, licet idem decoctum longo temporis spatio continuaretur: fatendum est tamen inceptam illam emendationem constanter permanere.

Porro indigebit remedium istud, ut & *Verbena*, pluraque alia, maturiore ac diuturniore examine, priusquam quid certi circa idem concludatur. Nunquam enim in similibus tentandis, evulgandisque, sufficienter cauti esse possumus. Coævis scribimus, & posteris. Hi, in-

institutis iisdem experimentis, aut eadem, quæ nos; aut aliter, quam nos; aut nihil omnino, quod nos; videbunt. Si nos rite, casteque & prudenter, nostra notaverimus, tam fausta quam adversa, quam inutilia, quam imperfecta; profecto dum Coætanei, serique Nepotes, eadem prudentia experimenta nostra repetiverint, idem, quod nos, semper adnotabunt.

Hoc demum modo Canones formabuntur practici, qui limitent morbos, gradusque morborum, in quibus prosit, non prosit, noceatve, medicamentum. Sin vero aut perfunctorie, aut nimis glorianter, aut immeritæ cupidine famæ, experimenta evulgaverimus, consequetur necessario id, ut nos, & præsens ætas, & posteritas, jure condemnent. Remedium sustulisse morbum videri potest, nec forte sustulit: ut si alia simul data fuerint, quæ emendare morbum potuerint; aut si periodici morbi sint, ut plures Cardialgiæ, Cephalææ, Hemicraniæ, Arthritides, Rheumatismi, &c. qui vel sponte, vel mutatis aëre, vitæ genere, alimentis, vel naturæ opera, aut mitigentur, aut sileant, aut penitus sæpe superentur. Securos quoque nos esse oportet, quod ægri summa accuratione remedium adhibuerint; quodque non clam alia aut prætulerint, aut intermiscuerint saltem, & tamen ne forte irascamur, neve illi careant nostra amicitia, gratia, patrocinio, tribuant nobis gloriam curæ. Hæc ut mihi contigere, contingunt & cæteris.

Hinc monitos Lectores meos volo, ut quæ observata communico, ea novis dignentur experimentis urgere, sique forsitan violasse hinc inde prudentiæ regulas videar, ut id publico, meo etiam expresso nomine, palam faciant. Erit profecto unde gratias illis perpetuas agam. DEO vivimus, & proximo; vivimus veritati, non patri fallaciæ & mendacii, diabolo.

§. V. Quæ Priscis Anti-Epileptica dicta, *Pœonia mas*, *Valeriana Sylvestris*, *Viscus quercinum*, pluribus

ex-

experimentis etiam hoc anno factis, vere Anti-Epileptica esse novi, docui, demonstravi; at vero aut modicæ, aut nullius omnino efficaciæ esse, in multis, imo forte crebrioribus in casibus, quoque expertus dolui. Hi tamen casus non derogant illis, modo suos intra limites singuli coërceantur. *Valerianæ Sylvestris* in *Fabio* efficacia effecit forsitan, ut debito celebrior illa inclaresceret, utque fallax sæpius vilesceret multis. Mansit tamen, æternumque Anti-Epileptica Planta manebit, suis determinatis in casibus. Suspicor simile quid fore de *Aurantiorum* foliis.



ANTONII DE HAEN

Consiliarii Aulici, ac Medicinæ Practicæ, in Alma ac Antiquissima Universitate Vindobonensi, Professoris Primarii,

PARS SEPTIMA

RATIONIS MEDENDI

IN


NOSOCOMIO PRACTICO VINDOBONENSI.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud PETRUM VAN DER EYK,
MDCCLXIII.

ELENCHUS CAPITUM

RA-



RATIO MEDENDI
IN NOSOCOMIO PRACTICO VINDOBONENSI.



CAPUT XIV.

De Aneurysmate Externo, Spurio.

§. I. *Aneurysma spurium in Brachio, a missione sanguinis natum*, Compressione *curatum. Biga observationum adjungitur, quæ quantumvis per se simplices, & cuique obviæ censeri possint, ob frequentem nihilominus earundem in Clinicis neglectum, nova commendatione indigent.* §. II. *Aneurysmatis Spurii trunci ipsius arteriæ Femoralis, inflicto vulnere nati*, Interceptio. *Gangrænæ, & Sphaceli, assiduo, diuturno, copioso, ac, ni fallor, citra exemplum hucusque interne, externeque dato, Cortice Peruviano, felicissima curatio.* §. III. *Apologia Corticis adversus ejusdem detrectatores, audaciorisque nostræ eundem exhibendi dosis.* §. IV. *In Urinam plurimo curæ tempore a nostro vulnerato redditam, quædam observationes, ea intentione collectæ, ut constaret, an in Diagnosi ac Prognosi quid lucis afferrent, nec ne?* §. V. *Disquisitio num Fungi Agarici ad arteriæ vulnus non modo lamellatim facta adplicatio, verum etiam ejusdem pulveris per totum vulnus conspersio, laudanda sit?*

§. I. ericulosissimi hujus, frequentisque Chirurgici morbi, plura exempla dedi in hujus Operis *Tomo I. cap.* 30. *Tom. II. cap.* 6. & *Tom. ejusd. cap.* 10. Faustaque simul & infausta nostra conamina communicavi. Septimam hanc partem ab eodem argumento, quod annus Academicus nova eidem argumenta suppeditârit, auspicabor.

Anno 1761. Nov. 10. instrumento resiliente Balneator Pictori 25. annorum, pectoris ardorem & raucedinem conquerenti, venam tudit; mirante ægro quod momento temporis tria vasa replerentur, vimque prosilientis cruoris Chirurgus ægre retunderet. Tumens porro præ validiore compressione brachium, spiritu quopiam fricare ille jussit, effecitque inde ut artum, a tribus retro septimanis immobilem, sauciatus iterum flectere, artemque pictoriam, quamvis non expedite, tamen exercere posset. Quem interea Balneator solabatur integræ spe curæ, quidquid supererat impedimenti a lympha duntaxat, quæ ad venæ, cutisque vulnus afflueret, oriri ratus.

At vero contrarium expertus est homo infelix, tumore intra 7. aut 8. septimanarum spatium ovum gallinaceum mole referente. De eventu sollicitus, adiit 5. Jan. hujus, quem vivimus, anni, Exp. D. *Reutter*, Chirurgiæ Doctorem, Virum curis experientiaque clarum; qui postquam in decimum diem machinam comprimentem externam frustra adplicuisset, hominem demum meis curis commendavit.

Origo mali, ac progrediendi modus, Aneurysma spurium esse declarabant. Carebat tamen pulsatione, nec non motu illo tremulo, de quo Tomo I. egi: verum nos, ab effuso cruore, eodemque coagulato, per brachii cellulositatem, pulsuum perceptionem,

nem, tremulumque motum, suffocari conjecimus.

Die Jan. 16. dexterrimus Chirurgiæ Proffessor *Leber*, operationem peregit; præsentibus Magnifico Domino Archiatro, & inclytæ Facultatis Medicæ Vice-Præside *Kestler*, egregio Medico, & sollertissimo Nosocomii Civici Physico, *Schreibers*, Chirurgo S. S. M. M. *ab Hombourg*, Chirurgiæ Doctore *Reutter*, Aulico Chirurgo *Fischer*, Doctissimo, ac plurimæ spei Chirurgo, *Scherer*, aliisque pluribus Medicinæ, Chirurgiæque cultoribus.

Dilatato sursum, deorsumque vulnere, globosum corpus apparuit, ambiguum utrum tendo Bicipitis brachii esset, an membrana fortis, quam validior brachii compressio ex membrana cellulosa formasset? Non esse tendinem, sed compressione natam membranam, plura mox evincebant. 1mo Tendo si fuisset, oportuisset illum a cohæsione sua naturali cum cute, ope cellulositatis genita, solvere: verum stylus libere intrabat sursum, deorsumque. 2do Amotis integumentis, debuisset brachium extentum quoque tendinis extenti rigiditatem ostendere; verum id neutiquam. 3^tio^ Amotis integumentis figura rotunda erat, hemisphærii, extrorsum versi, instar, atque ad superiorem partem subito declivis: ut evidenter adpareret de tendinea expansione nihil superesse. 4to Si tendo fuisset cruori coagulato superextentus, tumorem utique, dum brachium extendebamus, comprimere debuisset; at vero tumor æque globosus esse perseveravit. 5to Facta levi tumoris incisione, & vulnere dilatato in longitudine, necessum fuisset ut porrecto in longitudinem brachio apertura clauderetur; verum ea mansit æque aperta. 6to. Educto cruore, nulla tensio partis aderat, dum arteriam vulneratam quærentes, brachium vario modo extendebamus: porro si Aponeurosis inclusisset tumorem, aperturam longitudinalem a nobis factam, extento brachio, claudere debuisset.

Igitur tumor ipſe cum ſua membrana exacte ſic ſe habuit, quemadmodum *Rat. Med. Tom. I. cap.* 30. expoſui. Nempe ſanguis arterioſus in celluloſitatem illam, quæ arteriam, venam, nervumque, laxe colligit, effuſus, eandem dilatat, extendit, expandit, in craſſiorem compingit membranam; eoque facilius, quo Chirurgus tum diutius, tum fortius, brachium compreſſerit. Scilicet vis cruoris, arteriæ vulnere pulſi, locum foramini proximum ampliat, celluloſitatem removendo, & cavum quoddam format, quod ideo hemisphærium refert, quia celluloſitas in extremo circulo tumoris ad arteriam arcte adpreſſa & agglutinata, coïvit cum eadem. Saccus proinde ſic producitur clauſus. Si vis ſanguinis non ſolvat hanc in ambitu cohæſionem, durum trumbum formare cogitur, arteriæ foramen ita demum obturantem, ut effluere queat nihil. Atque ita ſola compreſſio externa, citra ullam loci aperturam factam, perfecte Aneurysma curat, ut *Tomo I. cap. citat.* exemplis demonſtravi. Sin vero proſilientis de vulnere ſanguinis vis tanta eſt, ut ſacci celluloſi, per ambitum cum arteria accreti, plagam forte debiliorem ſolvat, aut laceret, ſanguis effunditur per adipoſam membranam, inter, ſub, ſupraque muſculos, cutem elevat, citoque ita putreſcit ſæpe, ut brachium, imo aliquando totus homo, ſphacelo pereat. Unde cita operatione tunc opus eſſe intelligitur. Ita femina *Tomo I. cap.* 30., ut & *Tom. II. cap.* 6., ſic etiam pictor noſter.

Igitur inciſa globoſæ hujus maſſæ membrana, prodiit ſanguis congrumatus, isque haud de ſacco duntaxat, verum ex lacerato ambitu ſacci verſus brachium ſuperius & inferius olim effuſus.

Eluto vulnere, & laxata tortili machina, videbamur videre arteriam mox ſupra bifurcationem ſauciatam, & quidem ab interno ſuo latere. Utique re-

resiliente Chirurgorum instrumento vas sic vulnerari potest.

Videbamur, inquam, videre: nam cum arteria & ante bifurcationem suam, & post eandem, emittat ramos plures, decipere nos posset ramus oriundus ex arteria cubitæa, si ille forte adpareret solito amplior. Hinc in Aneurysmate cum plurimo sanguine effuso, ubi longiore incisione opus, accuratius rem hanc definimus, minus accurate in incisione breviore; ut in casu præsenti: quatuor enim pondere uncias eductus non superabat cruor. Fatendum tamen est a magnitudine arteriarum, trunco quodam prodeuntium, conjecturam probabiliorem sæpius reddi.

Laterale arteriæ vulnus suspensos tenuit animos, utrum Agarico, & compressione artificiosa, in vasis latus forte minus premente, hac comprimendi methodo uteremur: an vero tutius interceptione? Attamen mira Agarici virtus, qui etiam in pulverem versus adplicari ubique possit, atque cum vase veluti conglutinetur, vota adstantium in consuetam compressionem nostram vertit: ea tamen lege, ut filo munitæ acus perpetuo ad manus forent, ad arteriæ interceptionem, minus prosperante compressione, faciendam.

Chirurgus igitur parva, eademque rite complanata Agarici lamella, vulneri imposita, me suadente vicina per ambitum loca ejusdem pulvere contexit, nec non etiam vulneris ambitum omnis; siquidem alias ea vasa, quæ ex arteria, vulneri superiore, nascuntur, hæmorrhagia haud raro turbant, labefactantque apparatum. Postmodum stratum, ut ajunt, super stratum, ampliores sensim Agarici lamellas imposuit, donec, quæ imposita duodecima erat, debitam monstraret altitudinem, quam deinde plumaceolis siccis, compressisque admotis, idonea ligatura firmabat.

Manus friguerat sub operatione: at vero illa post operationem mox fota calido vino & aqua, intra ho-

ram calere cepit. Bihorio elapſo teſtabatur aeger admodum leve ſibi toto in brachio eſſe, doloremque perquam tolerabilem. Caluit bene manus, pulſusque percipi in carpo ceptus. Nemo ſane horum, quos in noſocomio ſimiles curavi, tolerabilius ab hac operatione habuit; nunquam inquietus, vix unquam febricitans, noctibus gaviſus tranquillis, adpetitu pollens, contentum perpetuo & tranquillum teſtatus animum.

Ad 5. diem, (hyems quippe erat,) prima deligatio facta eſt. Sanguis ex ambitu vulneris tranſſudans, adparatum parumper maculaverat, & etiamnum, amotis plumaceolis, effluebat aliquantillum: Agaricus vero ſuo fixus in loco inventus eſt. Hinc vulnus, ut prius, deligavimus. Excoriatio tamen cum exulceratione nata a tortili machina, ſolvere hanc, proſpicere illi, aliamque machinam admovere, ſuadebat. Quo in opere læti deprehendebamus quod ablato per aliquot minuta toto hoc vinculo, vulneri ita inhæreret Agaricus, ut nihil de vulnere effluxiſſe apparatus doceret.

Die ab operatione octavo altera, die undecimo tertia deligatio facta, Fungi optimam adhæſionem, laxata etiam machina tortili, oſtendit.

Die 15. incipiente, nempe 30. Jan. in quarta deligatione totus cecidit Agarici acervus, laxataque machina nihil de vulnere exiit. Novas tamen lamellas eidem, majoris ſecuritatis gratia, impoſuimus.

Biduo exinde elapſo novus excidit de vulnere Agaricus. Vulnus optimum undecumque. Agaricus alius impoſitus. Laxata machina tortili ne gutta ſanguinis effluxiſſe viſa. Exin quovis die deligatio. Agarico jam tertium elapſo, novum non ſubſtituimus; inchoantem undique incarnationem, ita dictam, impediturum rati. Ineunte Martio optima cicatrix. Martio circiter medio domum ſanus repetiit, ſerio monitus ne integro biennio hoc brachium ad gravius aliquod onus tollendum, laboresve validiores perferendos, adhibe-

hiberet; prætereaque quovis 14. die me conveniret examinandi causa. Redeuntem sæpius in sanitate perseverantem deprehendimus.

Observationem practicam hic oportet geminam adjungere. 1mo Licet, qui hanc operationem subierint, longiore tempore lecto affixi, alvum, vix egerant, non est tamen, quod nos sollicitos reddat; eo quod solo jure carnium cum optimo pane nutriti vix sibi coacervent fæces. Fracto crure citra detrimentum homines mensis, & ultra, spatio, alvo inculpate carent. Imo præstat raram habere eandem, ne frequentiore corporis ad egerendum motu solvatur adparatus, artusque flectatur. Utique noster homo, ad 13. diem usque, nec natura ad alvum sollicitatus, nec per artem admotus fuit. Cum autem ad 13. diem nonnulla desidendi conamina adverteret, suppositorio immisso posuit alvum siccam, copiosam; non in excipulum, sellamve perforatam, sed in supposita linteamina, ne motu facto deligatio brachii quid pateretur. Alteram alvum septimo postea die, suppositorio iterum adjutus, reddidit; ex quo vero plenius nutriebatur, sponte & quotidie.

Altera observatio practica circa cautelam versatur, quæ in ægris, diuturniore tempore lecto affixis, excoriationem, gangrænam, & sphacelum averruncet; cautelam, quam hinc inde observo in ægrorum damna haud satis adhiberi. Toto octennio, & quod plus est, ex quo ægrorum publicam gessi in nosocomio curam, nulla unquam visa est partium excoriatio; eo quod mature cunctis decumbentibus, sive Acuto morbo, sive Chronico, sive Vulnere detentis, tota corporis, qua incumbunt, pars, bis die, unguento molli lavetur; composito ex albumine binorum ovorum, quod primo bene conquassatum, dein modico igni, quo leviter incalescat, impositum, continuoque motum, sensim, ac guttatim fere, cum unciis vj. spir. vini commisce-

miſcetur. Prudentes ægrorum noſtrorum Cuſtodes norunt etiam his, qui citra piaculum verti in latera nequeant, poſtica corporis innocue inungere.

§. II. Ordine ſecundus, qui ſequitur æger, multam ſuppeditat tum medicam doctrinam, tum chirurgicam: ac præterea docet quantumcumque veteranos Practicos diſcendi occaſionem quotidie nanciſci.

Juvenis 24. annorum, procerus, robuſtus, braxator, anno 1761. Nov. 15. in femoris ſiniſtri media, eademque interiore plaga, vulnus accipit valde profundum quidem, ſed anguſtum admodum, plurimum ſanguinis principio fundens, intra octiduum autem ſponte coaleſcens. Deinde ambitus cicatriculæ tumere cepit, poſthac autem totum femur, quin & integrum crus œdematoſum, frigidumque redditum fuit; ut 27. poſt acceptum vulnus die, ad nos delatus, exhibuit, Horrebamus collapſam hominis pallidamque faciem, febrim cum debili pulſu, tuſſiculam continuam, pectoris anxitudinem. Adornando anamneſin, intelleximus Chirurgum bis venam tudiſſe, ut ſanguinis arterioſi impetum compeſceret; Aneuryſma pronuntiaſſe; verum nec per ſe, nec per alios, quod ſaltem debuiſſet, ſi aptus ipſe non eſſet, requiſita auxilia adhibuiſſe. Cum vel ſorti ſuæ, adeoque certæ morti, homo miſerrime emaciatus ac debilitatus, committendus eſſet, vel anceps auxilium ilico tentandum, operationem ſequenti die, ſcilicet 12. Dec. ſequenti modo inſtituimus.

Admoto primum tortili inſtrumento, vulnus per longitudinem ſurſum, deorſumque dilatatum eſt, eoque eductæ ferme quinque libræ grumoſi cruoris. Ipſa Cruralis (Femoralis dicenda potius) arteria perfoſſa deprehendebatur; id quod proſiliens, laxata machina, ſanguis demonſtrabat evidenter. Cum vulnus quatuor & ultra pollicum profunditatem haberet, dilatandum ſurſum ac deorſum ultra fuit, ut in fundo

opera-

operaremur; tumque tandem arteriam ipſam maſſa partim fibroſa, partim calloſa, informi, digitum hinc inde craſſa, circumvolutam, ac connatam, deprehendimus. Si locus compreſſioni, priori in homine inſtitutæ, aptus fuiſſet, minus de hoc alieno corpore ſolliciti fuiſſemus, utpote illi ejus loco, unde cruor exſiliret, admoturi Agaricum, vimque compreſſionis maximam; jam vero ad ingentem adeo Arteriam, ad profundiſſimam adeo plagam, tantæque magnitudinis vulnus, veriti ut firmus, ut in latera haud vacillans, vix figeretur Agaricus, compreſſionem ſolitam periclitari auſi non fuimus, ſed interceptionem prætulimus.

Equidem, fateor, Cl. Vir *L. Heiſterus*, curam felicem ſola comprimendi methodo perfecit arteriæ femoralis, at vero ille hominem mox a vulnere ſuſcepto, hominem cætera ſanum ac vegetum; nos autem ſemimortuum, a 27. retro diebus neglectum, in quo nil liceret periclitari, ſed omnium tutiſſimum illico adhibendum foret, in cura ſuſcepimus. Vid. *Diſput. Chirurg.* ab eximio *Hall. coll. Tom.* 5. *N.* 132.

Tentata igitur Interceptio fuit. Sed in eadem facienda jubet ars Nervum ſeparare, ne comprehenſus ille atque conſtrictus, convulſiones, tetanos, mortemque producat. Id vero hic viſum impoſſible, cum neque circumcretam maſſam, ſupra deſcriptam, ab arteria ſolvere, neque in eadem maſſa confuſa, calloſa, informi tota, nervum invenire poſſemus. Cum tamen neceſſaria omnino interceptio viſa eſſet, tria nos utcumque conſolabantur. Ae. 1mo quidem quod Nervus, ſi arteriæ propinquus, unaque cum illa in maſſa informi involutus, cum arteria ligaretur, minus ob eandem hanc maſſam a filo conſtringeretur, ideoque tantas haud generaret convulſiones. 2do Quod Nervus ſubito cum Arteria ligatus haud in ſingulis operationibus convulſiones faceret;

experientia illorum, qui Nervum nunquam separent, id confirmante. 3tio Cum aliquando Nervos majores, digiti, imo pollicis, latitudine ab arteria femorali in cadaveribus deprehendissemus remotos, spes blandiebatur fore, ut hic quoque remotior locaretur. Vid. *Disp. Chir. Hall. Tom.* 5. *N.* 140., in qua cautela hæc a *Dionis*, aliisque adeo inculcata, minus necessaria esse judicatur. Saltem hic adhiberi non poterat.

Eloto igitur probe vulnere Cl. Chir. Professor acu longissima atque incurva, filis pluribus bene ceratis instructa, arteriam subiit, tenaculo acum, post arteriam positam, indeque leviter emergentem, ad se adduxit, atque ita arteriam, interposito splenio-lo, ne ligando perscinderetur, intercepit, constrixit. Laxata machina tortili, vulnus vasis egregie clausum esse apparuit, sanguine non nisi lateralibus de vasis saltu profluente, unde vulnus linteo carpto opletum, factaque ligatura est.

His peractis multorum animos dubitatio subiit, an ligata arteria tanta, crus inevitabili gangræna haud periret, adeoque & homo totus? Et num propterea amputatio, cujus apparatus omnis ad manum erat, non esset instituenda? Sed ab eadem omnino dehortabar validas, ni fallor, ob causas. Primo, quod hujus arteriæ interceptionem *primi* non tentaremus. Secundo, quod Anatome abunde nos convincat pluribus in locis, ligata arteria insuperioribus, laterales arterias dari, quæ *anastomizando*, cum arteriis lateralibus, infra ligatam arteriam oriundis, ita sensim cum illis dilatantur, ut defectum intercepti trunci suppleant abunde, quemadmodum sola contemplatio Tab. 23. *Eustachii* docet. Tandem, quod in ægro hoc amputatio non nisi summo in femore institui posset, ubi passim letalis; eoque magis hic, quod quatuor septimanarum spatio res neglecta vires ægri, sanguinemque, dilapidasset; ut haud inanis

nis ille metus esset ne inevitabili inter amputandum hæmorrhagia, nostris sub manibus expiraret. Amputationem autem rebar, si reparatis viribus propter enarratam causam adhuc indicaretur, tutius deinceps posse institui.

Sed alter scrupulus mentes aliorum invasit, scilicet ne sanguis, qui inter operandum multus effluxerat, adeoque in tam magno vulnere, inter musculos, dudum ante a se mutuo disjunctos, copiosus hærebat, nec propter hominis, sub operatione fere deficientis, languorem, eximi vix poterat, ne, inquam, ille putrefactionem summam excitaret, resorptusque mortem; dum non nisi pluribus posthac diebus prima deligatio fieret: adeoque prudentiæ esse, ut quiete aliquot horarum concessa, vulnus circumspecte aperiretur, & grumosus educeretur cruor. Nimis forte facilis, concessi. Verum enormis adeo hæmorrhagia aderat, ut veriti ne, non modo ex lateralibus vasis discissis, sed etiam forte ex vasis lateralibus integris, communicantibus anastomosi cum trunco sub ejusdem ligatura, de vulnere arteriæ efflueret, (neque enim ligaturam, nisi supra ejusdem vulnus unicam, fecerant,) ut, inquam, binas Agarici lamellas vulneratæ arteriæ adplicuerimus, linteo carpto cuncta repleverimus, & firmissima ligatura muniverimus universam plagam.

Facile hanc historiam, quippe ad rem ipsam nihil facientem, omisisse potuissem, ni nonnullæ rationes candidam ejusdem relationem postulassent. 1mo Ut pateat in morbis Indicantia & Contra-indicantia nonnunquam ita urgere utrinque, ut, utra sequaris, plane ambigas. 2do Ut mature examinemus an illorum methodus, qui tam infra, quam supra vulnus, arteriam intercipiunt, præ simplici ligatura non præstet: ne id, quod nostro in casu verebamur, aliis in casibus re vera contingens, operationem redderet

in-

infelicem; cum vel hinc, vel tam forti e contrario arteriæ constrictione, ut gangræna inferiorum sequeretur, homo periret?

Atque hæc de ipsa operatione dicta sunto. Emulsionis Libræ 4. cum unc. ij. Syr. Diac. dabantur spatio 24. horarum, intermedioque tempore sæpius juris carnis pauxillum. Integro hoc die pectoris anxietas, tussis, sitis, parvus idemque frequens pulsus, agrypnia, observabantur; & ut pridie operationis, ita jam, prodiit urina jumentosa, nisi quod exactis 24. horis nonnihil deponeret crassamenti.

Cruri porro universo, œdematoso eidem ac frigido, mox ab operatione calidum fomentum circumdedimus, compositum ex Scordio, Absinthio, Alliaria, Abrotano, Floribus Chamom. & Samb. aqua, vinoque incoctis, quavis hora, &, si opus, quavis dimidia hora renovandum: cum autem ad frigidiorem partem fomenta mox frigeant, calefactum eidem ex lana stragulum circumvolvimus. Effectum hinc, ut femur, crus, ac pes, modice calerent perpetuo.

Dec. 13. Sudor mane, pleniore paulo cum pulsu. Jus, & Emulsio, ut die prima. Aqua hordei sitim sedavit. Jus ipsi placuit præprimis. Lingua humida & alba. Urina post meridiem naturalis. Post sudorem pulsus melior, anxietas tolerabilior. Nunquid secundum egregium *La Motte* post puerperium, nunquid post magnas cruoris evacuationes, sudor laudandus? Laudandusque veluti indicium retusi ad apertas arterias impetus sanguinis, ejusdemque ad cutem derivati?

Dec. 14. ab hora post mediam noctem tertia, ad decimam, breves habuit, bonosque somnos. Pes probe calet, etiamsi fomentum ad horam renovetur duntaxat, ubi heri vix suffecerat ejusdem ad mediam horam renovatio. Pauca febris, exigua anxietas, pulsus

ſus non parvus, appetitus. Fœtor ad vulneris adparatum multus, cui forte ſymbolam contulit ſanguis, qui brevi poſt deligationem transſudando univerſum maculaverat adparatum.

Dec. 15. ſomni mediæ horæ, iique frequentes, adfuere, dummodo Machina tortilis pauxillum relaxaretur. Appetitus. Deligatio prima, aut ſi mavis altera, facta eſt; ea tamen cautione, ut & lintea carpta verſus arteriam, & Agaricus, loco linquerentur ſuo. Planta pedis, quod fomento eſſet corrugata, magno gaudio noſtro dolebat.

Dec. 16. in deligatione ob fœtorem iterata, pus comparuit. Somni meliores. Pedis naturalis calor.

Dec. 17. fœtor immanis matutinam ſuaſit, veſpertinamque deligationem. Veſpere quid ſanguinis prodiit, binæque cecidere Agarici lamellæ. Fluor autem cruoris lentus erat, isque omni vulneris in ambitu. Qui porro, ſive venoſus, ſive etiam arterioſus, ſufficienter docuit ab inſtrumento tortili haud ita comprimi arteriam, quin tranſitus ſanguini concederetur. Docuit præterea anaſtomoſes a longo forte tempore, (dum & copioſo, eoque coagulato cruore, & valido Balneatoris apparatu, compreſſa arteria eſſet,) fieri ceptas, officio jam fungi ſuo: vel ſi quis id eo tempore necdum concedere vellet, ſaltem ſanguinem ad femur advehi per alias arterias, quam quæ ab intercepta, interceptæve ramis: *Euſtach. Alb.* Tab. 24. Lit. A. D. E. Dolor cum in pede, tum in vulnere; in vulnere autem nunc magis. Hac veſpera primam alvum reddidit ſponte. Nocte utcumque dormivit.

Decembris 18. deligatio utraque quid ſanguinis oſtendit, per lintea carpta tranſſudantis, nonnihilque puris. Vix ultra febrilis pulſus, ac cætera bonus. Hucusque Urinæ, unica ea 13. Dec. excepta, vel jumentoſæ redditæ, vel, quæ limpidæ redditæ, hæ

tum

tum rubicundiores fuere, tum cito factæ jumentosæ. Sedimen. porro posuere tarde, imo sæpe altero modo die.

Dec. 19. omnia ut heri, sed sordidius vulnus.

Dec. 20. universa vulneris facies gangrænosa. Unde ad externum Corticis Peruviani usum, internumque deventum est. Assumsit quotidie Extr. Cort. unciam mediam, mistam cum unc. iv. Aq. Samb. & unc. ij. Mellis. Fomentum parabatur ex unc. iv. pulv. Cort. bihorio cum aqua coctis, ita ut superessent modo Libræ duæ. Hinc involvebatur femur universum, interea dum crus & pes solito tegerentur fomento. Decoctum idem corticis, cui inditum tantillum spiritus thereb., vulneri imponebatur plumaceolis exceptum. Sensim hinc omne gangrænosum, factis hinc inde scarificationibus levioribus, separabatur, partim emendabatur, mutabaturque in sanum.

Urinas ad usque nonum diem descripsi: ab illo vero die hæ minus jumentosæ prodiere, citiusque deponentes, omnes vero naturali rubicundiores. Neque febrilis pulsus ab 8. vel 9. die observatus amplius est. Emulsio cum cortice, de nocte potissimum, semper assumta est. Spiritum thereb. nunc parciorem fomento, nunc copiosum addidimus, prout major, minorve esset gangrænæ metus, aut prout nonnulla vulneris vascula plus minus sanguinis funderent. Resistit enim potenter hic spiritus putredini, & oscula vasorum constringit. Cum dosis corticis extracti sufficere non videbatur, cumque alias experientia nos docuerat ejusmodi dari hominum, morborumque naturas, quibus ille in decocto, quam in extracto aut pulvere, efficacior esset, curavi ejusdem triti uncias ij. bihorio cum aqua coqui, atque colati liquidi libris duabus uncias mellis tres admisceri, singuloque absumi nycthemeri spatio.

At-

Atque sic sat prospere peracta res est ad usque 26. Decembris. Hoc vero die æger denuo conquestus est anxietates, prostratum penitus appetitum, vehementem a cortice horrorem. Vulnus quod purum esset, corticis usui 24. horis supersedi. Inde nunc minui anxietates, reddique sibi appetitum testabatur æger. Monitus autem, convictus immo de corticis peruviani necessitate, denuo assumsit illum, vique se cogens, eidem assumendo assuevit tandem.

28. Dec. moderatior hucusque tussis, atque notabilem tenacis glutinis copiam quotidie ejiciens, nunc laboriosior fiebat, acriorque. Lenivit autem eandem oleosus, idemque paregoricus, linctus. Digitos pedis belle movit.

1762. Jan. 2. & 3. urinæ naturales; at vero Jan. 4. 5. 6. 7. eædem quæ priores, pag. præc. descriptæ. Ab 8. Jan. rubicundiores cum crasso, eodemque subalbido, citoque adparente, sedimento; cum tenuioribus per universam urinam furfuribus ad superficiem usque dispersis, cumque pellicula in superficie, ad certos luminis adspectus varios referente colores, & pingui quidem adparente, sed examine instituto pingui non reperta. Microscopio enim pellicula hæc exhibebat nihil, nisi opacam hinc inde, informemque massam, nullibi pellucidam, nulla spicula salina gerentem. Combusta vero in carbonem mutabatur, qui microscopio conspectus longa gerebat, eademque alba, atque splendentia corpuscula: hæc examine chemico ulterius explorare me tunc neglexisse, est quod nunc doleam. Singulo biduo, triduove, alvus commode soluta est.

Pus interim ad singulam duodecimam deligationis horam bonum quidem, at vero superans vulneris rationem. Tandem 11. Jan. comperiimus, ad variam partium pressionem pus fœtidum, & a profundiore plaga ea, in qua filum hærebat, & ab inferiore vulneris

neris angulo, in cavum vulnus effluere; ſpecillo interim magnam utriusque hujus loci altitudinem non monſtrante. Poſthac preſſum internum externumque femur vulneris cavum pure replevit, quod ſanguine miſtum perquam fœtebat. Neque id mirabamur valdopere: etenim ingens effuſi, ejusdemque congrumati ſanguinis, copia, longiore ante operationem tempore, varios inter muſculos ſibi ſinus foderat; unde a ſemiconſumta celluloſitate, ipſoque corrupto cruore, pus hoc ſanioſum, ac fœtidum, oriri neceſſum fuit.

Notandum eſt urinas mox deſcriptas, cum puris primo copioſioris, deinde ſanioſi, in vulnus affluxu, una comparuiſſe. An ab ejusdem portione intra ſanguinem reſorpta?

His igitur ita viſis, vulnus perluimus, & in omnes ejusdem ſinus, anfractusque, injecimus decoctum ſaturatum corticis ſpiritu therebinthinæ miſtum.

Jan. 15. & 16. pure & modico, & vix fœtido, in vulnus affluente, urinæ vix ultra id craſſum ſedimen habuere, vix in ſuperficie pellem, vix præternaturalem ultra colorem.

Necdum ligatæ filum arteriæ vacillat, licet jam ſit dies ab operatione peracta quintus & trigeſimus. Egregius *Monroo* Tom. 2. *Act. Edimb.* narrat in Arteriæ Brachialis interceptione, poſt elapſos demum binos cum dimidio menſes, filum cecidiſſe: in noſtro igitur homine, conſiderato craſſo illo, quod involvit Arteriam, corpore, tarditatem ſolutionis fili non mirabamur.

Feliciter aliquantiſper progreſſi, 8. Febr. iterum vidimus, quid in vulnere ſubnaſci grangrænoſi, indiesque idem augeri, nec non vagam oriri febriculam, cum horrore ingenti. Patiens percepit horrorem febrilem de ipſo vulneris ſuboriri cavo, inde ad dorſum, univerſumque tandem corpus invadere;

du-

durare autem illum uno tempore per bihorium, per horam alio, nonnunquam media hora, vel & horæ quadrante, aut & minus. Longiores principio horrores insequutus calor est; horrores vero illi, qui multo breviores, nec cavo de vulnere oriebantur, nec excipientem sese habuere calorem.

Cortex igitur hucusque quamvis maxime indicatus, scopo non satisfaciebat tamen: dosi proinde, eadem indicatione non manente duntaxat, sed multum aucta, augendus erat. Dedimus quotidie decoctum 3. unciarum, triduoque post unc. 4. idque, ut patebit, tempore longissimo.

Urinas durante gangræna denuo tum crassas vidimus, sive jumentosas, tum oleosa tectas crassaque pelle, tum tandem crassum sedimen ponentes.

Ad 16. Febr. liquefacto omni gangrænoso, vulnus adparuit triplo amplius. In eoque sinum versus locum susceptionis ampliorem deprehendentes, & exacte ibidem omnia perquirentes, ansam fili deteximus laxam circum arteriam, mobilemque, ac proinde inutilem; imo mole & irritatione noxiam. Docebatque amplitudo ansæ consumtum jam esse, quod arteriæ circumcretum fuerat, corpus informe; nec non arteriam ipsam dudum in ligamentum conversam esse, cum alioqui hæmorrhagiæ exortæ fuissent: confirmabat idem defectus eo in loco pulsationis, confirmabat etiam Machinæ tortilis citra vel minimam sanguinis guttulam integra relaxatio. Filum igitur hoc crassum, quippe octuplex, pure putrido turgens, ob idque noxium, abscidimus.

Ab hoc die observata multa emendatio est. Febr. 17. vagi horrores cessarunt, gangrænaque victa sic, ut ad 21. Februar. vix superesset quidquam. Cessante gangræna, Urinæ per aliquot horas jumentosæ, brevi crassum deposuere ac farinaceum sedimen, cum pellicula leviore, vixque pingui visa: a 25. vero Febr.

colore naturales vix ultra ſedimen ponebant. Purum jam vulnus, ſuperſtite tamen ſinu, quo in loco filum hæſerat, cujus in fundum ſtylus ad $\frac{2}{3}$ pollicis intrabat: cæterum bonus adpetitus, ſomnus, alvus. Aeger in lecto ſæpius ſedet.

28. Febr. veſpertina ſeptima horruit valde, ac deſuper incaluit; Martii 1. ad 8. matutinam pariter. In vulnere tamen eousque nil obſervabamus ſiniſtri. Horâ nona febris cum horrore modico. Siccius veſpere vulnus, novusque horror. Vulneris majores de nocte dolores. Martii 2. bis & horruit, & caluit. Craſſa eſt urina, & cum pellis variegato, ut olim, colore.

Die demum 3. Martii gangræna iterum in vulnere viſa. Die 4. magis, & quidem ſic, ut undique ſtigmata nigra conſpicerentur, ut fundus verſus arteriam totus eſſet, profundeque, ſphacelatus, & ut ſanies fœtida cavum repleret univerſum. Inutilisne hinc cortex? An copioſior dandus? Utique ejusdem indicatio, ſi unquam, ſi ullibi, hic ſaltem maxima. Igitur cum dec. Cort. unc. iv. quotidie evacuando unciam pulveris ejusdem commiſcui; ſextoque exin die uncias pulveris duas. Etiam digeſtivo plurimum ſpiritus Therebinthinæ adjectum eſt.

Mirabamur toto octiduo hoc urinas, non ut olim, ſed naturales præter propter prodire. Copioſiorne corticis hic quid contulit uſus?

Interim ſuperandæ gangrænæ non eramus. Doctiſſ. *Schreibers* narrabat egregios in bello ſe vidiſſe effectus in ſimilibus a Theriaca Andromachi, cum æquali copia ſpiritus therebintinæ miſta. Quo remedio non, niſi in principio, ſatisfaciente, impoſuit Cl. Chirurgiæ Profeſſor Unguentum de ſtyrace cum $\frac{1}{4}$ ung. ægyptiaci. Juvante neque illo, imo ſequente deligatione cuncta ſphacelata exhibente, ſuaſi corticem peruv. primum toti inſpergere vulneri,

de-

deinde cum digestivo eunde n misceri; hinc tridui spatio elapso mirum quam purum vulnus adpareret.

Oportet autem exacte nihil non notare. Cum æger a vulneris mundatione doleret, solatio ipsi magno fuit pus, vel saniem, siphonis ope educi. Gangræna igitur toties redeunte, subdubitare cepimus an suctio siphonis, auferendo toties, ac valide, athmosphæræ compressionem, has carnes fungosiores non redderet, adeoque in gangrænam proniores? Imo, quandoquidem adversis in rebus undecumque petatur nocumentorum suspicio, etiam ab injectione ad vulneris depurationem, siphone facienda, abstinendum esse decrevimus, ne aër cum injecta materie ad nudas has fungosasque ac semimortuas carnes vi repetita adpressus, noceret iisdem. Saltem ex quo ad 22. Martii plumaceolæ mollissimæ vulnus expurgarunt, similesque injectionis materia madentes cuncta perluere, gangræna sisti, pedetentimque minui visa est, amplius non reditura.

Quo toto porro tempore cum eadem hucusque pugnaveramus, urinæ fere naturales fuere, unico eo ab ea sanorum discrepantes, quod nubeculam paululo crassiorem, ac veluti farina crassiuscula refertam, gererent: ex quo vero malum superari ceptum, urinæ tum parciores fuere, tum fuscorubræ, tum etiam per integras 12. horas aliquoties jumentosæ, idque crassiore, partim oroboidæo, partim furfureo, cum sedimento. Horrores autem cum, vel absque, insequente calore, quales ante anteriores gangrænas, æger ante hanc postremam, eamque vehementem, perpessus non est. An quod plus nunc assumserit Corticis?

Hac igitur methodo Corticem tum assumendi, tum adplicandi, citra vel minimam adversitatem, Aprilem, Majumque mensem, transegit æger. Majo finiente vulnus penitus clausum fuit, vires au-

ctæ, cruris immanis tumor ſenſim concidit, ejusdemque ſic eſt reſtitutus uſus, ut binis primo ſcipionibus, poſtmodum unico, demum ſine ullius ope, ambulare diſceret. Cum vero toto flacceſſeret corpore, ac crure penitus non detumeſceret, Corticis uſum ſenſim quidem parciorem, integrum autem non detraxi, niſi Auguſto menſe finiente; crure interea probe fricto, & genu curvi immobilitate unguentis molliſſimis, frictionibusque, emendata.

Sumtuum, quos Noſocomium pro homine, ſeptem cum dimidio menſium ſpatio, profudit, rationem ineuntes, comperiimus eum aſſumſiſſe in Extracto uncias Corticis 7. in pulvere Libras $6\frac{1}{2}$ in Decoctis Libras $34\frac{1}{2}$ præter Libras 11. in fomentis. Ita ut ſolvere debuerimus, pro Libris Corticis 52. & 7. unc. Extracti ejusdem, Aureos præterpropter quadraginta.

Rariora exempla, arbitror, ſunt dati, adplicitique, enormi hac quantitate, Corticis; unde expediet ſuper eodem paucis diſſerere: ſepoſitis tamen, & intactis perpetuo iis obſervationibus, quas a *Revelatione* habemus, in tot SS. Scripturarum locis docente Deum, quas ſive nutricias vires, ſive medicatas, creatis inſeverit rebus, ſæpe easdem illis auferre, & e contrario ipſas illas vires hisce infundere, quæ prius inde deſtituerentur. Hisce, inquam, ſepoſitis, ſic ratiocinor: Corticem peruvianum, ut anti-gangrænoſum, practici multis ab annis, quidquid contra muſſitarent nonnulli, ſalutarunt. Haud raro tamen aut vis morbi ſuperior, aut alia cauſa quæcumque, omnem ejusdem eluſit efficaciam. Sed hoc etiam quævis cum Specifica habent, tum methodica remedia. Hinc fauſtorum eventuum inquirendæ nobis ſunt, infauſtorumque cauſæ.

Harum prima in ipſo remedio invenitur, quod circumſcriptum limitibus eſt, quos ultra citraque progredi nefas.

Se-

Secundo, in corpore aſſumentis latere illa poteſt. Ut ab una parte Alimenta, inſtituto CREATORIS, corpora nutriunt, longosque ſuſtentant in annos; utque ab altera parte ejusmodi homines dari advertimus, qui ſive a morbo noto, ſive a nulla nobis manifeſta cauſa, minime inde nutriantur, imo debita cum alimentorum copia decreſcant, contabeſcantque, & pereant; ita Medicamenta ſæpius quidem organa corporis aſſumentis apta inveniunt, a quibus per quoscumque corporis anfractus, per genus humorum omne, adeoque per locos quoscumque, ubi latet origo mali, circumferantur, viresque ſic ſuas exerceant, attamen diffiteri non poſſumus ſelectiſſima Medicamina aliquando ejusmodi adplicari corporibus, quorum organicæ partes prorſum ineptæ ſint, quæ illud circumducant, præparent, ſubigant, cauſisque admoveant morboſis. Itaque iners hac lege cum ſit, ut in nutritione inepta alimenta conſiderabamus, morbus pergit, donec vita in auras fatiſcat.

Tertio erit & aliunde derivanda cauſa. Poteſt ad agendum quam optimum cum Alimentum, tum Medicamentum eſſe; poteſt etiam ad circumferendum, ad ſubigendum, ad adplicandum, corpus Aſſumentis validum eſſe; dum interea nec illo corpus reficiatur, neque hoc tollatur morbus. Cuivis id manifeſtum puto. Quicumque Medici legis Hippocraticae de nutriendis ægris ignari, diætam tenuiſſimam a primordiis, perque omnem decurſum Acutorum, obſervant, neque fere mutant reconvaleſcentibus, hi neque morbum integre debellant, nec firmam revocant ſanitatem: nocentque eo magis, quo pleniore diæta homo uſus in ſanitate fuerat.

Ut hic alimenta, ita ſæpe ſe medicamenta habent. Bona hæc quidem, & ſelecta, haud magis emendabunt morbum, debito parcius ſi exhibueris, quam alimenta parcius data non reſtituunt vires reconvaleſcentium:

 tum

tum quod ad morbi magnitudinem, ac violentiam, exhibendi auxilii justa requiratur proportio, tum quod medicamentorum multorum ea sæpe natura sit, ut parcius data plus noceant, quam prosint. Nonne purgans pharmacum, perparce datum, sæpe torminum atque anxietatum autor, cum alvo clausa? Et restrictius exhibita Nepenthe, an non sæpe insomnia pro somnis, pro dolorum lenimine anxietates, caloresque conciliet? Nunquid, *Sydenhamo* autore, præstat quibusdam sanguinem non, quam haud sufficienter, misisse?

Tandem quarto, inertiae sive alimenti, sive medelæ, ea merito causa est, quod, viribus illa mutandi dudum dilapidatis, exhibeantur, provecto scilicet sic morbo, ut homo certa & inevitabili lege in mortem tendat.

Porro si quatuor has considerationes ad energiam medicamentorum adplicuerimus, &, de quo potissimum agitur, ad Corticem peruvianum, mox manifestam, cur sæpe hic nil operetur, rationem capiemus. Ponatur ille, ubi non indicetur, datus, frustra expectabitur ab eo morbi sanatio. Detur rite indicatus, sed inepto ad cooperandum corpori, sed ægro irreparabiliter exhausto, neque vires exseret suas. Dederis optima cum indicatione corpori aptissimo, haud id, quod intenderis, obtinebis, apta ni dederis dosi. At vero aptam quam demum vocabimus dosin? Qui rite indicatum Corticem noverit, rite inventurus dosin ejusdem est, prudenter augendo, donec cernat agentem. Neque pondus hic quidquam, aut mensura, determinat, sed morbi levamen. Nunquid eandem observationem alia quæcumque medicamenta non demonstrent? Corpora dantur, quæ alvo purgare difficillimum; ne dicam impossibile: purgans sextuplo fortius solito, sed forma liquida, sed per epicrasin datum donec operetur, optatum ferit scopum. Admiran-

randus per omnia *Sydenham* inanem excussit nobis de Opio formidinem, tum universis in morbis, tum in Variolis. An non aucta vehementer opii dosi letalem alioqui Ileum solutum vidimus, *Rat. Med. Tom. I, pag.* 184.? Quindecim forte anni sunt, cum feminæ, intolerabilibus uterini cancri doloribus desperabundæ ac furibundæ, unicum possem ab opio afferre solamen. Granis paucioribus delusus, adscendi sensim, donec septuaginta ac duobus granis spatio 24. hor. datis, sedamen dolorum, virium refectionem, citra vel minimum tamen somnum, aliquot horarum spatio, cernerem.

Quæ si ita se habent, nonne audacioris dosis Corticis adornata Apologia est? Effectusque egregius, ab interno ejusdem externoque usu observatus, an hanc non approbet, non tueatur, non laudet audaciam? Nunquid etiam tum hoc notabile exemplum, tum complura alia, non demonstrent inanem eorum metum prorsum ridiculum esse, qui vel a mediocri Corticis usu meticulosi, vel cum purgantibus illum socient, vel purgantia exhibeant post eundem; quibus demum innocui remedii imaginariam malignitatem, obstructionum genitricem, se eliminare arbitrentur?

Novi equidem, audioque, optimos hos viros ad experientiam provocare, qua a peruviano Cortice Lienis, Hepatis, Mesenterii, &c. obstructiones, & cum maxime Hydropem ac Scorbutum, innuente jam dudum *Sydenhamo*, productos fuisse, evincere conentur. Sed pace horum, quos veneror, Virorum, parumper subdubitare fas sit, an experientia decantata illa rite capta, adeoque an valida sit? Quid enim? Febres intermittentes, dimissæ sibi, generant obstructiones viscerum, & Icterum, & Cachexiam, & Scorbutum, & Hydropa: quique letalis per se morbus non est, hoc demum modo homini letalis fit. Fiunt porro haec Febre penitus sibi, etiam citra ullam medicinam, dimis-

ſa; omnium ſæculorum experientia, id teſtante, magno *Boerhaavio* colligente & deſcribente *Cap. de Febr. in gen.* & *de Febr. Interm.*

Si proinde ejusmodi eſſe queat febrium ſibi dimiſſarum funeſtus effectus, quo demum jure effectus dicatur Corticis? Opponentes quidem expecto autoritatem *Sydenhami*, *Boerhaavii*, Illuſtriſſimique noſtri Præſidis *B. van Zwieten*, uno id ore affirmantium; fateorque lubens tres hosce celeberrimos Autores ita ſcripſiſſe; verum ſimul reperio ita mitigatam a poſteriore priorum binorum ſententiam fuiſſe, ut deeſſe non potuerit quin *Comm. Tom. III. pag. 599.* hæc ſcriberet: " Antea --- notatum fuit quod poſt has (intermittentes) Febres, imprimis ſi diuturnæ & validæ fuerint, humores craſſi & acres reddantur, ſimulque ſolidæ partes corporis debilitentur; unde ob laxa vaſa, & liquida craſſa, atque acria ſimul, Febres intermittentes aliquando terminarentur in Scorbutum, & alios morbos Chronicos. *Ubi autem pertinacibus talibus Febribus curandis adhibetur Cortex Peruvianus, tunc mutationes humorum & ſolidarum partium corporis, per ipſam Febrim prægreſſam factæ, male adſcribuntur uſui Corticis Peruviani.*

Et quantum ad noſtros ægros, qui per octo annos in noſocomio noſtro copioſiſſimo uſi Cortice fuerint, nondum ulla Chronica inde mala notare potuimus: neque in viro, quo de agitur, nulla ſcorbuti ſigna nobis aut oculi exhibent, aut gingivæ, aut artus; imo cachecticum habitum, inchoantemque hydropem, largo Corticis uſu ſublatum eſſe læti conſpicimus. Ut proinde rariores videantur, qui id innuant, arguantve, caſus.

Imo ſi vera promere datur, Chronica mala inde orta experti in noſocomio fuimus, quod vel meticuloſiores Medici, vel præparci, aut egeni ægri, Corticem nec ſat magna doſi, nec ſufficiente poſt mor-

bum

bum devictum tempore, assumerent. Unde nos neutiquam contenti quod ægri quovis 14. die a curata febre dosin Corticis sumerent, semper binarum, trium, pluriumque septimanarum spatio, continuavimus ejusdem usum, donec integram restitutam cerneremus stabilemque sanitatem.

Interim vix possibile creditu, quantum detrimenti humano generi afferat præjudicata hæc opinio. Utique centenos ægros perdit quotannis. Neque juvat quidquam aliorum experimentis convinci, siquidem præjudicium, alta mente repositum, contraria experimenta admittit quidem, laudatque, non sequitur tamen. Clarorum virorum epistolas possideo, qui ad lecta mea opuscula me laudibus accumulantes, curam febrium malignarum abundantiore Cortice peractam, vehementer quidem admirabantur, atque laudabant, at vero nunquam imitaturos sese profitebantur, eo quod Hydropem, aliaque infortunia, a Corticis liberaliore exhibitione observasse se autumarent. Feminam a frequentiore abortu, atque enormibus hæmorrhagiis ferme enectam, frequentiore Corticis usu reviviscentem salutaveram; at vero brevi in veteres ærumnas relapsam dolui, postquam cum medentium, tum matronarum turba, lamentabili voce perniciosos diuturnioris Corticis peruviani effectus enarrarent, auribusque ejusdem tamdiu obstreperent, ut tandem ipsis infelix auscultaret.

Verum demus tandem id contingere nonnunquam, quod magni in arte viri tantopere formidarint, ego vero necdum potuerim observare. An ergo, quod Scorbutus, quod Hydrops, quod Obstructiones, liberaliori Corticis dosi nascantur nonnunquam, eo demum adigere nos debeat, ut miseros mortales, aut sine Cortice, aut sine eodem copiosissimo, certissime perituros, cumque eodem largissimo servandos, iniquæ ipsorum sorti dimittamus potius, quam ut

concedamus illos in vitam Cortice revocatos discrimen subire Scorbuti, Hydropis, aliusve cujuscumque morbi chronici? Profecto aut nihil in Medicis intelligo, aut sententia hæc mea veris ac genuinis Artis præceptis innititur, qua statuo vitali indicatione merito nos urgeri, ut vitam servemus præprimis, prospecturi postliminio symptomatibus pravis, hic, ut creditur, inevitabilibus, mox ubi vel levissima eorundem primordia advertemus.

Atque hæc de Cortice dicta sunto. Verbo nunc urinas commemorem, quarum varia phænomena in universo morbi decursu exacte, sæpiusque de die; in chartas conjeci. Crassas eas, inque crassitudine perseverantes, & pridie operationis, & spatio 10. dierum post illam, conspeximus. Dein a principio dati, dosi moderata, Corticis, minus jumentosas, citiusque deponentes, quasvis autem naturali urina tinctiores.

Januarii 2. & 3. rebus bene satis se habentibus urinæ fere naturales; quatuor vero deinde subsequis diebus, prioribus iterum similes. Demum vero ab 8. Jan. rubicundiores cum crasso, subalbido, eoque cito apparente, sedimento, cum furfuribus tenuioribus, ad superficiem usque dispersis, cumque pellicula pingui, eademque crassa, in superficie, ad varios luminis adspectus rubellis, flavis, purpureis, viridibus, donata coloribus. Quo porro tempore ejusmodi urina erat, pus ratione vulneris copiosius fuit, simulque quod in sinubus delitescebat, fœtidum. Januarii 14. & 15. pure modico iterum, vixque fœtido, urina pariter vix ultra sedimen habuit, vix pelliculam, vix alium a naturali colorem. Gangræna posthac adparente cum febribus horrificis, crassæ iterum urinæ, jumentosæ, eadem, qua antea, pelle tectæ, crassum, postquam diutus stetissent, deponentes sedimen: Gangræna devicta, jumentosæ quidem, ast brevi subsidentes, pelle

le tenuiore vix tectæ, tandem fere naturales. Febre vaga horrifica magnam gangrænam 28. Febr. denunciante, urinæ craſſæ iterum ac returbatæ, furfureæ, pelle eadem, qua olim, tectæ. Sub hac gangræna, quacum diu incaſſum luctabamur, aucta multum Corticis doſi, mirabamur urinas prope naturales esſe, exceptis toto hoc 3. ſeptimanarum tempore binis tantummodo vicibus. Prope naturales eas ideo vocor quia eo ſolo a naturalibus differebant, quod nubeculam paulo craſſiorem, in eaque pauxillum craſſioris gererent farinæ.

Sphacelo ſtante, imminuente, ſuperato, urinæ tum parciores fuerunt, tum fuſco rubræ, per ſemidiem nonnunquam turbatæ, cum ſedimine partim furfureo, partim oroboïdeo. Tandem poſt ſuperatum morbum coëunte ſenſim vulnere, varietatem multam exhibuerunt, aliquando penitus naturales, alio tempore fere naturales, haud raro etiam cum oroboïdeo, craſſoque ſedimento.

Doctrina implicata ſatis de urinis num forſean hinc illuſtraretur, hujus excurſionis cauſa eſt. Sed quam obſcura ſæpe, quam abdita, quam inexplicabilis illa! Ordinem ſervabant urinæ aliquem, ad explicationem aptum, usque ad poſterioris gangrænæ finem; nullum vero obſervarunt poſtea. Corticis ope videbantur in prioribus gangrænis in melius mutatæ; poſt gangrænam ultimam, Corticis doſi eadem data, miras continuo exhibuere varietates. Et cur urinæ hic toties turbatæ ac jumentoſæ? In Acutis adparentes notant pertinacem fere cruditatem cum inchoante, ſed inani ad coctionem niſu; hic vero gangrænam imo ſphacelum: „ pellicula, qualis hic, notat in morbis Acutis ab„ undantiam terræ & ſalis hebetioris in ſanguine, „ hinc ſcorbuti, calculique præſaga; hi morbi poſt curam obſervati non ſunt, & pellis hæc comitata perpetuo gangrænam fuit. Habuimus ſæpius urinas fere

fere rubras, cum ſedimine aut ruffo, aut furfuraceo, aut orobo toſto, tritoque ſimili, aut ſquamoſo: deſignat illa „ 1. antegreſſum eſſe motum attri-
„ tus vehementem. 2. Vaſa laxa. 3. Cruorem acrem,
„ ſalinum, ſolutum, nutritioni ineptum. 4. Febres
„ intermittentes valido paroxysmo defunctas. 5. In
„ oris ſeptentrionalibus his ſcorbutum. Præſagit.
„ 1. longitudinem morbi. 2. Vaſculorum attritio-
„ nem, debilitationem, deſtructionem. 3. Sudores,
„ urinas, ſalivam, diarrhœas, colliquativas. 4. A-
„ trophiam. 5. Hydropes quoscumque. Ita magnus *Boerhaave* in incomparabili capite *de Urinis*. Attamen urinæ ejusmodi neque in Diagnoſi, neque in Prognoſi, horum vix quidquam habuere, quin contraria potius. Quid enim attritui valido magis contrarium languore perpetuo?

Non ea porro mente hæc ſcribo, ut doctrinæ de urinis detraham quidquam. Magnifacio quippe eandem, & in noſocomio, ad Diagnoſin atque Prognoſin inſtruendam, oportunam judico, doceoque. Nihilominus hanc ipſam doctrinam necdum eſſe ad perfectionem deductam, tum me præſens caſus, tum aliæ multæ obſervationes, convincunt. Interim hæc nos, quo certiorem illam reddamus, potenter exſtimulant.

Super Fungo Agarici quæſtionem proponendo, hoc caput terminabo. *Rat. Med. Tom. I. pag.* 265. & in præſentis capitis *caſu priore*, enarravi nos & Agarici lamellas vulneri ſolius Arteriæ, & pulverem ejusdem toti quanto vulneri admoviſſe; hosque tres homines, SUMMO NUMINE AUSPICANTE, integræ reddidiſſe ſanitati. At vero cum idem fecerimus in homine de quo *Part. V. pag.* 88. & in femina, de qua *Part. VI. pag.* 138. eosque morte amiſerimus ambos; quæritur, laudandane ſit Agarici pulveris inſperſio, an vituperanda?

Res-

Reſpondeo 1mo Hominem *Part. V. pag.* 88. hæmorrhagia haud compeſcenda poſt crus amputatum periiſſe, mortis proinde cauſam citra Agaricum manifeſtam eſſe.

2do Feminæ, de qua *Part. VI. pag.* 138. adeo esſe miram hiſtoriam, adeo quasvis Phyſiologiæ regulas excedentem, ut plane inexplicabilis cunctis ſuis in partibus adpareat, utque hinc examen Agarici pulveris faciat nihil.

3^tio^ Tres noſtras fortunatas curas id manifeſto docuiſſe, quod aut vulneri, aut vulneratis, ſiniſtri nihil inde contigerit: imo in duobus viris toto curæ tempore, ſanitatem ejusmodi adfuiſſe, ut, niſi oculis contuiti, vix credere potuiſſemus.

4to Neque me capere, cur noceret, cauſam. Ignoramus forte veram ejusdem agendi rationem: ſed ſive agat vulnus arteriæ conſtringendo; ſive cruorem de vulnere proſilientem mox condenſando, ſolidumque in trumbum, qui vaſis aperturam indiſſolubiliter conſolidet, coagmentetque, cogendo; ſive denique utroque modo; utique alios ab his effectus in aperta reliquorum vulneris vaſorum oſcula, inque illum, qui vel in his vaſis continetur, vel ex vaſis profluit, ſanguinem, non producet. Hoc ſi verum, tunc hæmorrhagiam impediet cunctorum in toto vulnere vaſorum; quæ alioquin vaſa ipſa, quamdiu machina tortilis aliquem admittit, quem admittere debet, circulum ſanguinis, fundere cruorem poſſunt, effuſo cruore Agaricum ab arteriæ vulnere ſolvere, generare in vulnere putredinem, purisque impedire generationem. Unde jure concludere videor hanc pulveris inſperſionem omnibus de cauſis utilem, neceſſariamque eſſe.

At vero reſorbeaturne Agaricus? Reſorptusque ſitne ſanguini, ceterisque Venenum humoribus?

Qualitatem venenatam Agaricum, qua Agaricum,

Poſſi-

possidere, necdum demonstratum est: nihilominus mechanice id forte verum erit, quod tenuis ejusdem pulvis, qua pulvis, resorptus, cum humoribus circumductus, minimisque vasis impulsus, generare obstructiones possit, easdemque in corticis cerebri, cerebellique vasis perniciosas & letales. Quæritur proinde num resorbetur? Minime, neque etiam resorberi videtur posse. Constringendo enim coagulandoque, prohibet toto vulneris in ambitu resorptionem; id quod cum ceteris tum adstringentibus, tum coagulantibus, commune habet. Quid enim? An pulveres ad hæmorrhagias sive compescendas, sive averruncandas; pulveres, inquam, rebus compositis ejusmodi, quæ tam qualitate propria, quam mechanica rigiditate, venena sunt, vulneribus inculpate non insperguntur? Vitriola puta, Alumen, Aeruginem Aeris? An decoctum Colcotharis Vitrioli, quod quamvis colatum, millenas in se continet venenatas particulas, tuto non applicatur crudis tum vulneribus, tum ulceribus? Et spiritum Therebinthinæ, præsentaneum, si humoribus nostris admisceatur, venenum, nonne citra metum resorptionis adplicamus audacter? Quantumne emolumenti vulnera & ulcera ab unguento ægyptiaco non capiunt, quod ejusmodi tamen continet, quæ mista humoribus, veneno sint? Unde in femoris gangræna ac sphacelo, prout in hac ipsa morbi historia patuit, sine ullo resorptionis metu tum spiritum Therebinthinæ, tum unguentum ægyptiacum, Chirurgi adplicuerunt.

De Aneurysmate vero.

§. I. *Resumitur Historia mulieris data* Part. V. pag. 83. *eo quod nunc cadavere suo præteriti nostri erroris nos convicerit. Conjectura super causis, quæ Aneurysmatis veri ideam nobis olim creaverant, & confirmatio repetitæ toties difficultatis dijudicandorum Aneurysmatum.* §. II. *Aneurysma spatio* 40. *annorum citra noxam, citraque incrementum, gestatum.* §. III. *Aneurysmatis veri, nec non Asthmatis, ceterorumque Chronicorum pectoris morborum, Apoplexiæ præterea, ac variarum capitis ægritudinum, causas sufficientes, easdemque superabundantes, in se homo, dum viveret, gessit, citra effectum, inde physice expectandum* §. IV. *Alia historia priori perquam similis.* §. IV. *Digressio occasione hac facta, circa causam morborum petendam aut non petendam, a pulmonum cum vicinis sibi partibus coalitu.*

§. I. De Aneurysmate interno novas, quas adjiciam, observationes habeo. Feminæ binæ, de quibus *Part. V. & VI.* eadem methodo, quam ibidem descripsi, vitam miseram pergunt tolerabiliter agere, licet in una Aneurysma supra claviculam jam extet binorum pollicum diametro, quod ipsum forte non nisi continuatio sit illius, quod dudum intra pectus gessit. Verum ea femina, cujus ampla historia data est *Part. V. pag.* 83. §. 2. post abcessum in externo pectore apertum aneurysmatica visa nobis, sic quidem ut internum pectoris aneurysma nunc inter cartilagines costarum extrorsum verti crederetur, hæc, inquam, femina, cum morte sua veram mali naturam exhibuerit nobis, Lectorum poscit attentionem.

Miseranda hæc femina, postquam ea contigerant, quæ relata *Part. V.*, vitam perpetuo ærumnosam duxit,

duxit, tum Aneurysmatis, tum pulmonis partim obſtructi, partimque nonnihil ſuppurati, ſymptomatibus; ſic nihilominus, ut alio atque alio tempore tolerabiliora hæcce, vehementiorave, eſſent. Qui in pectore apertus a nobis tumor fuerat, vehementerque pulſans in fundo ſuo tuberculum exhibuerat, ad finem Octobris 1760. haud pulſavit amplius; at vero ejusdem viciniæ toto in ambitu pulſatio talis, ut viderentur inde attolli coſtæ. Ineunte Decembri ne veſtigium quidem tumoris ſuperfuit, at vero toto ſcrobis cordis in ambitu perennis pulſatio; quo autem loco inſederat tumor, perpetuum obſervatur Lymphæ ſtillicidium, conſolidationem aperturæ prohibens; nec exſiccatum, niſi cum Hydrops intercus ante mortem medio præterpropter anno, corpore inferiore oboriretur. Sputa pauca ejecit mucoſa, aut purulenta, aut ſanguine tincta, purum imo ſanguinem nonnunquam. Quæ aberat nunquam anxietas, ſic demum crevit, ut tribus ultimis vitæ menſibus ſedere erecta dies debuerit noctesque, idque in ſedili duntaxat, pendulis perpetuo cruribus, ob idque etiam indies tumidioribus. Decimo quarto die ante mortem, crura ſponte aperta copioſo ſero fluxere, nec ſine ingenti labore, ſaturatoque Corticis Peruviani fomento, præſervari a Sphacelo potuere. Animi deliquia leviora a dimidio ante mortem anno pati ceperat; pulſationes autem conſueto loco per totum id tempus nullas, ſed internas tam validas, ut haud ipſa tantummodo, verum & adſtantes easdem oculis, auribusque perciperent. Ita demum 23. Febr. 1762. vita miſerrima functa eſt.

In cadaveris luſtratione prima noſtra ſollicitudo erat illius plagæ in thorace examinandæ, quam olim abſceſſum, poſtmodum Aneurysma, idque evanidum tandem, arbitrati eramus. Rimati hunc locum, & ſupra coſtas, & poſt illas, intraque easdem,

dem, Aneurysmatis, aliusve tumoris vestigium, frustra quæsivimus. Unde ad alia conversi, Pericardium universum tenue quidem vidimus, at versus basin cordis præ tenuitate omnino pellucidum. Cor totum tactu durum, ac dextrum quidem cum duritie depressum, sinistrum autem rotundius. Auricula dextra cum sinu distentissima erat a polyposo corpore, quod ultra duos in diametro pollices habens, constansque idem externa alba, neutiquam vasculosa, membrana, interne copioso coagulato sanguine, tandem utroque suo latere quædam veluti ligamenta crassa, albaque emittebat, quibuscum sese columnis plicisque auriculæ, ut & inter columnas, affigebat. Erant porro columnæ ac plicæ auriculæ hujus eadem proportione quoad molem auctæ, qua moles totius aucta auriculæ esset. Polyposo hoc corpore in sinum dextrum maxime extenso sinus hic amplissimus ita replebatur, ut sanguis non nisi furtim post polypum in cor dextrum potuerit illabi. Arteria pulmonalis longum habuit fortemque polypum, accretum uni semilunarium valvularum. Cor dextrum consuetæ quidem in pariete crassitudinis fuit, columnas musculosas autem tum numerosas valde, tum crassas adeo durasque, ut nulla earum carnem, veram omnes cartilaginem, referrent. Adeo ampla hujus cavitas, ut junctos meos tres digitos commode caperet. Lævus vero ventriculus & durus erat, & digitum pariete crassus, angustus autem ita, ut indicem digitum meum vix locaret, paucissimis demum columnis instructus, hisque non liberis, sed ipso cum pariete intime nexis. Liberi in thorace pulmones, excepta levi cum jugulo, & utrinque cum diaphragmate cohæsione, pleni utrique plurimis, iisdemque duris, ac saniosо pure refertis, tuberculis. Tuberculorum diversa moles; sic, ut majora semicohleare puris continerent. In abdomine

nihil inventum, quod ad morbum referri posset. Coli enim ac ventriculi forma, & decursus præternaturales hujus subsellii non sunt, sed ad alia reservandi.

Sub Anatome, postque eandem, alii alios intuebamur, hæsitabundi quærebamus num olim decepti essemus? Et si decepti, quamnam ob causam? Equidem Aneurysma verum adesse posse, idemque manifesto deprehensum esse, posteaque prorsum evanuisse, notabili exemplo *Tomo I. cap. 30. p. 252. & 258.* constiterat. Verumtamen id ipsum Aneurysma a costis quidem, quas inter se penetraverat olim, remotius, & ad costas superiores nunc proximius, nihilominus a morte inveniebatur, loco mutatum duntaxat; hic vero nullum Aneurysmatis tota in vicinia vestigium. Undenam ergo perceptio manifestissima pulsantis tumoris? Eaque integro percepta biennio? Deinde tumor cur evanidus? Et cui causæ adscribunda est totius circa scrobem cordis plagæ pulsatio? Quid, quod internæ pulsationis violentia tanta fuerit, ut visu, audituque etiam ab adstantibus perciperetur?

Tuberculorum pulmonis signa, ordine priora, Historia morbi notavit, & signa Aneurysmatis illis posteriora. Igitur a natis, sensimque crescentibus, hisce tuberculis, capimus facile cordi dextro nasci demum resistentiam, augerique, quo suum sanguinem difficilius transmittere potuerit per pulmonem. Utique subito hujus resistentiæ incremento cor brevi suffocatum, enectaque femina fuisset; sed malorum lento adeo, ut vix advertatur, incremento, vitalia assuescere, ex tot exemplis in variis *Rat. Med. Part.* allatis conclusimus, ut hic faciles idem admittamus. Cor igitur dextrum tota fabrica sua, cum sinu atque auricula extensum, columnis crassioribus, durioribus, numerosioribusque instructum; cor sinistrum, forte quod minus sangui-

nis

ſis a pulmone reciperet, anguſtum, liberis columnis muſculoſis deſtitutum, in parietibus vehementer incraſſatum, rigidumque, nec ultra fere contractile; cor, inquam, hoc non niſi vitioſiſſimas actiones edere debuit, & baſi ſua, auricula, ſinuque vario tempore variis impleri, deplerique, modis. Adeone inepte ſuſpicaremur hoc mirabile cor degeneraſcentes ſuas, extentaſque partes, certo quodam tempore ad coſtas ac latera ſterni admoviſſe; alioque tempore ab illis removiſſe, quemadmodum *Tomo I.* locis citatis totum Aneurysma & coſtis admoverat ſeſe, & removerat?

Hæc porro ſi probabilia videantur, ponatur tandem, quo tempore hoc cor cum ſuis tumidis appendicibus hærebat coſtis proximius, ponatur, inquam, a communi quacumque alia cauſa tumorum, natus hoc eodem loco tumor quisquam, qui primo durus, dein pro parte purulentus, effuſoque pure fundum adhuc durum, ſuppurari necdum aptum, habens; numquid ille a pulſu vehementi cartilaginum coſtarum etiam pulſare non debuerit? & ſi ſub illo tumore veluti centrum pulſationis hujus degeneraſcentis, coſtisque admoti cordis fuit, an ſimilitudo cum vero Aneuryſmate magna non fuerit?

Interim jure merito videor jam toties monuiſſe, quam incerta ſæpe erroneave ſit vera Aneuryſmatum diagnoſis! Quamque ridiculum ſit in hiſce incertitudinibus, & errorum diſcrimine, Medicorum ac Chirurgorum chorum inter ſeſe mutuo altercari; dum ſæpe Anatome neminem rem acu tetigiſſe, manifeſtat! Juvat proinde noſſe varios Naturæ errores, ut ſæpius, quid eſſe dato in caſu poſſit, quam quid ſit, ſententiam ſuper eo rogati, reſpondere queamus. Quæ ſequuntur proxime, hoc meum monitum confirmabunt.

§. II. Quantumvis periculo plena res Aneuryſma,

inculpate poteſt 30, 40. annorum ſpatio Aneurysma externum geri. Femina quadragenaria habet a quo tempore meminit, & ut putat, a nativitate, parvum Aneurysma ad ſuperiorem, eamque lateralem cartilaginis Thyroidææ partem dextram, piſi magnitudine, nec majus unquam, nec minus; nunc magis conſpicuum, quod ex biennio, cum primum me adiret, a diuturniore lactatione vehementer emacruerit. Videtur Aneuryſma Carotidis externæ rami primi; quem *Winslow* anteriorem, ſive internum carotidis externæ ramum, vocat.

§. III. Dantur in corpore humano cauſæ Aneurysmatum validæ, imo Aneurysmata ipſa interna valida, citra ſui indicia, alios potius morbos, quam hæc, mentita.

Homo ille, qui *Part. VI. cap.* 13. foliis Aurantiorum a terrificis ſuis convulſionibus liberatus, ac ſaneſcere inde viſus erat, perfectam non recuperavit ſanitatem, aut ſaltem non conſtantem, ex quo ejus hiſtoriam dedi. Cum ſanitatem anni abhinc ſpatio recuperaſſe videbatur, ſervavit ſemper pulſum, qui ipſi a triennio perpetuus fuerat, tum naturali omnium hominum pulſu, tum ſuo ipſius priſtino, celeriorem, fortiorem; &, quotiescumque per diem explorabatur, ſemper miram exhibentem in ipſa illa celeritate, ac fortitudine varietatem, imo remiſſiones quandoque & duritiem. Hic, inquam, pulſus, ipſi a triennio ante morbum familiaris, eundem a morbo perpetuo concomitatus eſt. Deinde quæ a biennio eum vexaverat moleſta tuſſis, a morbo rediit, ſputa educens aut ſeroſa, aut glutinoſa, nunquam vero, niſi ſub vitæ finem, idque tum raro, tum parce, purulenta. Hæc igitur bina, quorum alterum a triennio, alterum a biennio, affuerat, ſanus nunc iterum viſus æger, pati denuo cepit.

Reſolventia, attenuantia, humectantia, emollientia,

ria, cujusvis generis longo tempore ipsi præscripta sunt, nonnihilque profuerunt: at vero sive morbus arte superior, sive negligentia in assumendo, sive notabiles in usu VI. rer. non nat. excessus, emendationem nec notabilem ægro produxerunt, nec constantem.

Sensim symptomata accessere, quæ vias dictas primas affectas esse innuerent. Flatuum quippe incredibile prorsum quantam vim maxime ore, nonnunquam etiam ano, redderet. Vix unquam simile vidi. Equidem ipsi id fuerat ab adolescentia familiare, ut si quis ipsi, scienti quantumvis, ac videnti, manum brachiumve rudius attingebat, copiosos mox ore dimitteret flatus; ita ut miris nervorum affectionibus obnoxius jam tum haberetur: at vero nunc citra ejusmodi causas, flatus aut erupere, aut si non erumperent, continuo anxietates in ventre vel ad præcordia, ipsosve colicos generarunt dolores; evanida mox iterum symptomata, dum frequentes, fortes, ac sonori ructus, flatusque, explodebantur.

Docebant hæc, inquam, primarum viarum affectionem. Verum a quibusnam affectis partibus? Sane totius abdominis externe tacti naturalis mollitudo, optima alvus, bilis præsentia laudabilis, appetitus egregius, summa viarum primarum, dum flatus non urgerent, libertas atque integritas; notabile viarum primarum vitium non admittebant.

Historia morbi, præcedenti parte relata, verosimile id ponebat, quod convulsionum sedes in capite esset. Dolor siquidem capitis supra oculum fixus, vertigo, tinnitus aurium, sæpius longe ante convulsiones, interque easdem percepti, id insinuabant: at vero ne illis viæ primæ symbolam conferrent, flatus post singulam convulsionem emissi, eandemque terminantes, haud levem dabant suspicionem.

Quin & aliud quid confusionem formandæ diag-

noſeos peperit. Febris ante natas convulſiones Parte VI. deſcriptas, quatuor menſium ſpatio ægrum tenuerat. Eodemque tempore pulſus de die fortis, ac frequens, ſæpiusque durus, obſervabatur ad veſperas debilis, ac celer; cum frigore non horrifico, trihorii, aut quadrihorii ſpatio, durante: Aegro interim nec ſitiente veſpere, nec lectum petente, imo exeunte, ſpectaculis ſe recreante, hominumque domi, foriſque, frequentante ſocietatem. Convulſionibus porro curatis, continuatoque poſt easdem curatas Aurantiorum foliorum ultra menſem decocto, exulavit penitus hæc Febris, nec niſi ultimo vitæ menſe poſt quartam pomeridianam frigore ac calore conſpicua, 10.-12. horarum ſpatio ægrum vexavit: ſed de iis, quæ prope mortem contigere, mox acturus, ea, quæ diu antea obſervata, modo proſequar.

Igitur dum tuſſis pluribus ſilebat horis, dum incommodo flatus non erant, dum Febris vel penitus aberat, vel veſpere vexabat duntaxat, dum denique frequens, ac fortis, ſæpeque durus pulſus, in ceteris hominibus febrilis vocandus, homini perſeverabat; nemo ſane, qui multi affuere, Medicorum toto ejus in corpore accuſare aut culpare quidquam potuit. Caput ſerenum; Reſpiratio, etiam valido in motu, fortis, conſtans, profunda; validus appetitus; naturalis, debitoque tempore reddita alvus; lingua perpetuo pura; molle abdomen, videbantur iterum omnem viarum primarum affectarum, affectorum primario Thoracis viſcerum, ſuſpicionem abigere.

Hæc cum ſic ſe haberent, frequenter convocata Medicorum conſilia non niſi palliative, ut vocant, agendum eſſe concluſerunt; notabile quid latere ſeſe credere conſtanter faſſi. Remedia igitur hoc ſcopo data, etiam poſthac ſumta, quam olim, accuratius, nunquam emendationem genuere conſtantem. Quæ glutini

tini ac tussi dicata, nullius erant frugis. Quæ ad flatus dissipandos laudamus, apta, multa, ac varia, & efficacissima, usu passim cassa fuere. Ipseque Peruvianus Cortex imminuit quidem, sed non sustulit Febrem; isque alias & debilioris pulsus animator, & frequentioris moderator nullam unquam in consueto ægri pulsu mutationem produxit. Egregius *Boerhaave* censebat in ejusmodi pulsu Acre adesse, quod moveret validius, & crassum quod minora vasa obstrueret. Acrimoniæ singularis species nullis unquam signis determinanda fuit, sed suspicionem ejusdem latentis nonnulli tum juvenilis vitæ, tum virilis, formabant errores: Verum nec Mercurius, nec saturata Sarsæ parillæ decocta, quidquam profuerunt.

Atque ita ad vitæ terminum properabatur. Crurum tumor sensim ad genua, femoraque conscendens, prioribus se junxit ærumnis. Sponte sæpe sua, Medicorum hortatu nonnunquam, Sedlicensibus aquis abundanter se purgantibus, depellere has aquas, sed frustra, annisus est. Demum ultimo vitæ mense anxietates, interno in pectore dolores, respiratio nonnihil debilis, appetitus prostratus, explosio flatuum continua; dolor brachiorum vagus, ac tumor; tussis per semihoram & ultra continuans, cum sputis aut serosis, aut mucosis, aut, quod rarius tamen, purulentis; decumbendi impossibilitas, insomnia, vitam fere intolerabilem reddiderunt, metumque, ne forsitan Hydrops pectoris, aut tetrius quid in thorace generaretur, incusserunt. Gravis per ultimum octiduum Peripneumonia densum ac phlogisticum sanguinem iterato pertusa vena ostendit. Tandem anxietatibus auctis, jamque perpetuis expiravit.

Invenimus in Cadavere cranium crassum cum copiosa diploë; sinum longitudinalem vacuum fere; in cranio, supra orbitam dextram, plagam denarii magnitudine cariosam, cui meninges accretæ, ip-

 sum-

ſumque eodem in loco cerebrnm leviter inde mutatum. Sub pia Matre toto quidem in cerebro, ſed in ſiniſtro hemisphærio plus, effuſum ſerum. Piæ Matris vaſa turgidiora ſanguine, in hemisphærio dextro. Ventriculi ſuperiores fere vacui; plexus choroidæi exſangues, ac veluti repleti muco. Aëris nonnihil cum pauco admodum cruore in Arteria Cervicali *Williſii* Et quos in ventriculo quarto plexus choroidæos ſolemus invenire, horum hic ne reliquias quidem. Nervos opticos ante coalitum quidem æquales, poſt eundem vero ita inæquales reperiimus, ut ſiniſter ab ipſo coalitu, ad usque orbitam, craſſitudine dextrum longé ſuperaret. In thorace nullus hydrops, neque pus; pulmones obſcure rubri, hinc inde lividi, flaccidi ita, ut hinc inde inter attactum diffluerent fere, at vero nihil omnino purulenti. Aſperæ arteriæ annuli cartilaginei plane oſſei erant; oſſei & illi Bronchiorum: horum priores ad Bronchiorum initia, diviſionesque, ſua oſſea extremitate, ſed interna Bronchiorum membrana tecta, intra cavum aëreum, idque pluribus in locis, utrinque prominebant. Cor magnum, ſed flaccidum, coagulato cruore utroque in cavo plenum, parietibus ſuis, ac potiſſimum ſiniſtris, extenuatum valde, columnis carneis in utraque cavitate inſtructum exilibus, debilibusque. Valvularum mitralium margines ſiniſtri cordis duræ, fereque oſſeæ, ex ſeſe genuerunt quandam penitus oſſeam ſubſtantiam, oblongamque eandem, & phalangi primæ digiti minimi magnitudine parem, in cor ipſum ſua pendulam gravitate. In Abdomine Ventriculus decem librarum, capta menſura, capax, non craſſus. Magnum Omentum. Jecur, Splen, Pancreas, Renes, maxime dexter, debito longe flaccidiores. Copioſa, fuſco-flava, Bilis. Ad Genitalia nihil repertum vitioſi.

Oſtendit hæc, ni fallor, Hiſtoria anatomica abunde

unde id, quod dixeram, posse scilicet esse præsentes in corpore Aneurysmatum causas, citra eorundem symptomata. Cor utroque in cavo flaccidum, extenuatum, extenuatius in sinistro, oportuisset aneurysmaticum fieri. Corpus osseum mole adeo magnum ad mitrales Venæ pulmonalis valvulas intime, lataque basi, nexum, cum sanguine a pulmonibus omni momento in sinistrum cor pulsum, ac proinde hoc cor præternaturaliter irritans, vicissimque contrahente se corde ad valvulas repulsum; corpus, inquam hoc, & cor, & venam pulmonalem, perpetuo irritans, sanguinisque transitum turbans, debuisset necessario hoc cor extenuatum reddere aneurysmaticum, & Venarum pulmonalium communem alveum vehementer varicosum.

Ut causa Aneurysmatis sine effectu, ita Asthmatis, Dyspnœæ, Orthopnœæ, manifestissimas causas, citra horum morborum in vita præsentiam in cadavere experti sumus. Non enim annuli Asperæ arteriæ tantummodo, verum & Bronchiorum vel si mavis intimorum Bronchiorum frusta cartilaginea, plane ossea erant, quæ ad majorum Bronchiorum divisiones intra cavum aëreum notabiliter prominula, cum inspirato, tum expirato aëri, impedimento & offendiculo esse eminentia sua, & coarctatione, debuerunt. Attamen non nisi brevi ante mortem, ab hisce causis, quas longa modo dies generat, quidquam Asthmatici, affinibusque illi symptomatibus simile pertulit æger. Interim non advertimus in quinquagenario homine cartilagineorum horum annulorum naturam in osseam mutari, sed solummodo, & nonnunquam, in decrepito senio; ut bene notat incomparabilis *Morgagni lib.* 2. *Epist. Anat. Med* 15. *Artic.* 18. *pag.* 133. Nihilominus observavimus in ægro nostro Respirationem illibatam, profundam, fortem, lentam, non mutatam a motu

& loquela, constantem; verbo talem, qua meliorem habere nemo mortalium possit. Ergone ossea hæc degeneratio solius invincibilis tussis, non aliorum morborum causa fuit? In hoc homine sic videtur saltem.

Verum & Apoplexiæ variorumque capitis morborum caussas idem gessit, quos habuit nunquam. Pauculum seri supra cerebrum effusum, quod integris ejus membranis & crassum esse, & pelluciditate vitreum, videtur; quodque perfectis membranis, tenuis modo lympha est; Apoplexiam, Mortes subitaneas, Paralyses; Convulsiones, sæpe producit, ut me toties Anatome docuit, ut casuum anatomicorum Collectores referunt, ut evidentissimis exemplis, tum *Valsavæ*, tum suis, *Morgagni* demonstravit, *Lib.* 1. *Epist. Anat. Med.* 4. Equidem affuere ex hisce Convulsiones; sed an hæ inde? Dubitatum fuisse, innui supra, num a viis primis haud oriundæ, quod flatus, ore pulsi, harum paroxysmos constanti lege terminarent. Sed demus neque hinc easdem ortas esse; demus a causis in encephalo agentibus, id quod tam sæpe observamus, Ventriculum fuisse spasmodice affectum; nonne ex Anatome constitit binas notabiles causas, convulsionibus generandis aptas natas, in cranio repertas esse? Serum scilicet effusum pauculum, & caries cranii cum concretione membranarum, & cerebri degeneratione, ad locum cariosum: quarum posterior ad id longe potentior priore adparet.

Interim utravis harum ortas convulsiones credideris, mirari mecum debebis, quod causæ hæ mechanicæ ultimis octo vitæ mensibus integre siluerint. Nunquid vis Fol. Aurant. adeo energica, ut causas tales mechanicas liget, ne queant ultra effectus producere suos?

Quam ardua aliquando res, morborum diagnosis! Quam indignum honori artis, velle in ejusmodi consultationibus ob fallaces similitudines aliquid ita propug-

pugnare, ut haud ita ſentientium famæ inde detrahatur! Mortui ſæpe veriora, quam vivi, loquuntur.

§. IV. Sed en haud abſimilem caſum! Juvenis 28. annorum ſicci, &, ut videbatur, ſpasmodici Aſthmatis, paroxyſmis a biennio affligebatur, cauſæ, præter nimias forte lucubrationes, ignarus. Conſuluerat me morbum per annum paſſus, dein alios, tandem me convenit iterum die 17. Septembris proxime elapſi. Contigit porro ut eo tempore coram me, pluribusque Studioſis, paroxyſmo invaderetur. Sederet ſuaſi; renuit, mitius ſibi eſſe, citiusque ſtanti paroxyſmum terminari, ratus. Reſpiratio anheloſa, cita, brevis; niſi ipſo eam ita cohibente, & retinente, ut cuncti horreremus. Unicum in reſpiratione cohibenda ſolatium ſitum eſſe teſtabatur. Pulſus eodem tempore parvus, tempore rythmoque inæqualis. Spatio 5. aut 6. minutorum terminabatur acceſſus; poſt quem rite valentem ſe ſemper ajebat. Quandoquidem ſelectiſſimis remediis a variis Medicis præſcriptis tanto tempore fruſtra uſus eſſet, autor fui, ut quovis trihorio aut etiam bihorio ſumeret guttulas 5. 6. 7. cum aqua ſpiritus ſalis ammon. cui ad perfectam ſaturationem additus eſſet ſal ſuccini volatilis; ſumeret autem ſpiritum hunc ſine calce viva paratum, ſiquidem paratus cum illa, non efferveſceret, adeoque perfectum non indicaret ſaturationis punctum; notante ita in Chemia ſua *Hofmanno*. Bene inde habuit, uſque ad 21. Sept. cum perfecte ſanum ſe perhibens, circa horam 10. veſpertinam paroxyſmo correptus, ad horam dimidiam poſt mediam noctem expiraret.

Die 24. Sept. Anatomen feci, præſente Viro Illuſtriſſimo *Mac-neven ô Kelli*, inclytæ Facultatis Medicæ *Pragenſis* Directore per univerſum *Bohemiæ* Regnum, ac Profeſſore, Clariſſimo Domino *Pachner*, Fundationis *Windhagianæ* Phyſico laudatiſſimo & circum-

cumstante magna Studiosorum corona.

Pulmo dexter universus pleuræ, diaphragmati, ac jugulo accretus; anterius ad Sternum quidem levius, ad posteriorem autem inferioremque thoracis partem firmius, indissolubiliter vero ad jugulum; quin & ipsi inter se mutuo coaluerant lobi. Notabamus autem qua parte lobus superior jugulo cohærebat, inæqualem duritiem, ac tubercula fere cartilaginea, continentia partim pus saniosum, partim duram ac ferme caseosam materiem. Pulmo sinister perfecte sanus, undique liber.

Annuli asperæ arteriæ, Bronchiorumque tum annuli, tum frusta cartilaginea, rigiditate osseam æmulabantur naturam; ut mecum clari, qui adstabant, Viri, studiosorumque seniores, judicabant.

Cor magnum valde. In pericardio aqua modica. In corde utroque, inque vasis majoribus, imo & perscissis multis minoribus, fluidissimus, absque vel minima alicubi concretione polyposa, sanguis; contra quam in iteratis toties luctis, & animæ retentionibus, expectari poterat. Cor dextrum tenue valde in parietibus, sinistrum valde crassum, durum, ac rigidum. Capax satis cor dextrum, ut tres digitos junctos, eosdemque fere medios, capere posset; capacissimum adeo sinistrum, ut totus pugnus in eo absconderetur, vertereturque. Copia in utroque fluidi sanguinis, in dextro major.

Aorta arteria ampla valde a basi cordis usque ultra suum ita vocatum angulum; inde parum angustior, sensim denuo dilatabatur in amplitudinem duplo majorem, ad iliacas fere usque; ita quidem, ut ibidem primo longitudine sex latorum digitorum dilatata, tandem solitam capacitatem, Iliacas datura, affectaret.

Ventriculus magnus, altitudinis quidem solitæ, sed duplo majoris latitudinis. Ingens hepar, ponde-

ro-

rosum, compactum, lobo sinistro suo magnam sinistri Epigastrii plagam explens. In vesicula fellea bilis tenuissima, colore ichoris, aut loturæ carnium rubicundioris. Splen durus admodum, figuræ triangularis, angulo acutiore ventriculum contegens. Colon totum contractissimum & vacuum.

Igitur cor dextrum, ratione sinistri, parvum, ac debile; cor sinistrum duritie ac densitate non modo robustum, sed non sufficienter flexile atque obsequiosum, capacitate autem aneurysmaticum. Aneurysmatica magna sui portione Aorta. Pulmo in toto latere dextro vicinis partibus concretus, in lobo superiore intime connatus, & tuberculis durissimis ultra medium obsessus. Hæc, inquam, & multa, & capitalia, vitia deteximus, interea dum nulla in vita signa Aneurysmatis sive Cordis, sive Aortæ; nulla signa affecti primario a cohæsione, a corruptione, ab annulorum cartilagineorum rigiditate, pulmonis, comparerent. Et cum causis adeo valentibus morborum tum gravissimorum, tum perpetuorum, non adfuit integro biennio nisi periodicus morbus cum intermedia sanitate, qui similitudinem gessit affectionis spasmodicæ mesochondriacorum forte musculorum; quam detento, dilatato, calefacto, rarefactoque aëre, solvere conabatur.

§. V. Terminarem hanc historiam, nisi obviam eundum foret iis, qui forte mirabuntur, minus versati in Anatomicis, quod inter causas majorum morborum hic videar cohæsionem cum pleura pulmonum collocare. Imitatus fui varios *Sepulcreti Anatomici*, ac *Medicinæ septentrionalis* Autores; imitatus etiam *Boerhavium Instit.* §. 835. Sano autem sensu hæc intelligenda sunt.

In cadaveribus secandis raro deprehendimus liberos ab omni cohæsione pulmones; ut haud inepte *Diemerbroeckius* tertiam aut quartam mortalium partem


tem, hac cohæſione minore majoreve laborantem, ſuſpicatus fuerit; idque ſæpenumero ſic, ut nulla ejusdem in vita ſigna, aut ſuſpicio, affuerint. E contrario, in graviſſimis, iisdemque annoſis pectoris, pulmonisque morbis, nullam, aut vix memorabilem adhæſionem detegimus, ut hoc ipſo capite bina obſervatione conſtitit. An nihilominus his poſitis nulli ab hac cauſa aut poſſibiles morbi, aut inevitabiles? Difficilius admittunt, qui pulmones pleuræ perpetuo contiguos eſſe ſtatuunt. Demus autem verius hoc ſyſtema eſſe eo, quod id neget, an ideo cohæſio hæc nunquam morbifica eſt? An ſufficienter conſiderant illi, quanta interſit differentia inter pulmones pleuræ, exhalante rore intermedio, ſemper admotos, liberos tamen ſanosque; & pulmones ſive totos, ſive medios, cum pleura unitos, & non raro, eodem rore deficiente, induratos? Equidem ad experimentum provocant, quo toties a morte inventa cohæſio integra, ſine ejusdem in vita notato indicio. Sed quærant primo hi diligentius apud caſuum collectores num vera narrent? Examinent, num frequentes ſint caſus connatorum undique pulmonum, cum reſpiratione in viventibus illibata? Aſſerere auſim vix paucos inveniendos fore. Hinc 2do dico unico pulmone connato, altero libero; vel datis minoribus utriusque, alterutriusve pulmonis adhæſionibus, videri nonnunquam ſic aſſueſcere naturam, ut homines quidem initio male habeant, quales utique novi, deinceps vero aſſueſcant, nec multo ante obitum tempore notas ejusdem exhibeant. Verum an ideo nulli, qui inde male habeant? Et cognoviſſe me tales puto; & deſcriptos ab obſervatoribus ejusmodi caſus lego, qui nullam aliam notam læſæ reſpirationis cauſam, præter hanc, notent; & magnum *Boerhaavium* hanc etiam morbi recenſentem cauſam deprehendo. Sed tertio, demus tandem inventos in cadaveribus pulmo-

mones undique connatos utrosque, respiratione in vita neutiquam læsa, qualem unum, alterumve casum ipse descripsi, an ideo integra hæc concretio ex morborum erit expungenda causis? Anatome detexit cerebrum cum membranis suis æque exacte implere calvariam, quam pulmones, secundum multorum sententiam, exacte semper repleant thoracem: Ergone connata pia meninx cum dura, arctiusque hæc cum illa concreta, nunquam venient inter causas recensendæ morborum? Præsertim cum ex anatomicis constet hæc sic gesta in vita fuisse, nullis comparentibus signis? Certe & inculpate hæc tolerata fuisse novi; sed simul, aut Apoplexiæ, aut Epilepsiæ, aut Convulsionis, aut Maniæ, aliorumve capitis nervorumque morborum, unicam extitisse detexi a morte causam. Pericardium secundum *Halleri* in *Addendis* ad *Tom. I. Elem. Physf.* sententiam, exacte tegitur perpetuo a superficie cordis, „ nisi „ quantum tenuis aquula intercedat; an ideo pericardium cum corde concretum nunquam extiterit cordis palpitantis, aliorumve morborum, origo? Experientia mea in cadaveribus propria, notisque a scriptoribus casibus, novi & inculpate quandoque nunc cordis cum pericardio coalitum toleratum, at sæpius non, nisi cum vita penitus miseranda, gestum.

Si tamen quis a me petierit quid causæ credam, cur hos pulmonum, cerebri meningum, pericardii, coalitus, hi inculpate ferant, graviter illi? respondeo quidem in genere, ut supra, videri nonnullos sic ærumnarum assuescere causis, ut validis vitæ viribus easdem superent: alios vero esse, quibus vita imbecillior nequeat earundem causarum suffocare activitatem; attamen insufficientem ad plures casus solvendos hanc responsionem esse facile quisque perspicit, qui mecum considerat historias ab autoribus,

ribus, & etiam a me *Tom. I. & Part. VI.* hujus operis, communicatas, quæ pro omni responsione doceant nostram crassam vitæ humanæ, ejusdemque latitudinis, ignorantiam. Videantur in hanc rem *Vindiciæ* meæ contra *Hallerum*, a pag. 232. ad 236.

Tandem ex hisce & innumeris tum in Partibus prioribus, tum a casuum collectoribus recensitis, sectionibus anatomicis, evidenter capimus causas mechanicas, fixas, validas, diuturnas, perennium morborum, in corpore humano latere, quæ vel nunquam in actum ducantur, vel per paroxysmos duntaxat, vel etiam perpetuos generent morbos: unde qui malo non perpetuo perpetuas negaret causas, sæpe vehementer falleretur. Causæ hæ perpetuæ, si morbum continuant, procegumenæ simul & procatarcticæ causæ vicem gerunt; sin vero intermittentem, videntur procegumenæ præsentibus sæpe carere procatarcticis. Cur autem causæ completæ & proximæ, vere existentes, morbum non generent, ad hoc supra respondi.



CAPUT XVI.

De Hydrope Cystico, & Hydatibus.

§. I. *Repetitur mirus feminæ morbus, qui longe lateque descriptus* Tomo I. cap. 31. & Part. V. cap. 2. §. 4. *ac tandem ejusdem additur per mortem finis. Stupenda Anatome, doctrinam illustrans de Hydatibus. Quæstio de usu ac natura ventriculorum superiorum cerebri.* §. II. *Jecur scirrhosum in vita visum, a morte inventum est mirifice hydaticum.* §. III. *Binæ Hydatides Mammarum, quas scirrhi in cancrum vergentis larva nobis imposuisse, ipsa chirurgica*

ta enucleatio nos docuit. §. IV. *Glandula ingens Thyroidæa, præter quodcumque fere genus tumorum, exhibuit nobis quoque ingentes Hydatidas, aquosas, ichorosas, saniosas, sanguineas.* §. V. *Induratos glandularum, partiumque glandulosarum, tumores, haud raro mentiri naturam scrophulosam, scirrhosamve, variis exemplis, tum a Clarissimo* Morgagni, *tum a propria experientia petitis, demonstratur.* §. VI. *Miranda origo Hydatidum in Viro, quæ specie Herniæ inguinalis incompletæ, scirrhosorumve in ventre tumorum, nos luserat, Anatome detecta.* §. VII. *Examen universæ de Hydatidibus doctrinæ, quæ tandem apparet potius quid non sit Hydatis, quam quid sit, exposuisse* §. VIII. *Cuduntur ex cunctis hucusque enarratis Theoremata decem pathologica, & practica.*

§. I. In variis hujus operis partibus multus fui, longusque, in hoc articulo; talis denuo futurus, eo quod similium observationum finis nunquam detur.

Inchoabo a retexendo filo, quod abruptum fuit *Parte V. cap.* 2. §. 4. quandoquidem feminæ hujus calamitatibus mors finem imposuit, adeoque causas morbi obscurioris rimandi fecit copiam.

Anni 1760. autumnum, maximamque hyemis partem, incommode ac misere citra auxilium transegit, quia auxilium noluit. Anno 1761. Febr. 3. me iterum convenit, monstroso plane, ac veluti in acumen prominulo ventre, citra vel minimam, excepta exigua sinistri Epigastrii plaga, fluctuationem.

Tertiam Paracentesin petivit. Diu super illa inter nos deliberantes, dubii pependimus. Constabat enim ex prioribus & Abdominis laborare, & Cystidis hydrope. Hydrops abdominis autem nunc, ut dixi, fluctuatione vix percipiendus erat. Interim

urſit adeo vitalis indicatio, adeo proxime ſuffocanda mulier nobis viſa eſt, adeo anxietates arcebant ſomnum, ut integris ſeptem ſeptimanis oculis non vidiſſet illum, adeo denique citam operationem a nobis per DEUM flagitabat, ut paracenteſin demum eo epigaſtrii a latere umbilici loco, in quo levem fluctuationem nos percepiſſe ſupra monui, inſtituerimus; ea videlicet ſpe, ut aquæ hydropicæ abdominis certo quodam corporis poſitu, lenique abdominis ab inferioribus eo ducta directaque preſſione, hinc totæ effluerent.

Spes autem hæc fefellit nos. Qui locus fluctuare nobis viſus, is verus ſaccus fuit, plenus humore glutinoſo, tres pollices profundus, nec fere quidquam, præ tenacitate effundens.

Porro infelix noſtrum conamen incuſſit nobis metum, ne ad aperturam, id quod in ſimilibus ſolemne, Gangræna fieret. Hinc tuſſi quidem miſtura cum Oxym. ſq. proſpexi, Gangrænæ autem Cortice. Unde ſola Gangræna averruncabatur, cetera vero ſymptomata increvere, nauſeæque ac vomitus frequentiſſimi, pertinaciſſimique, una cum deleto penitus appetitu, ſe prioribus adjunxerunt.

Quod hanc calamitatem unice moderabatur, vinum fuit. Unde per aliquot dies nihil ipſi dedi, quam ovorum vitellos cum vino & aqua conquaſſatos, pauxilloque toſti panis. Præterea Enema injectum quotidie eſt. Mirum ſane quantopere hinc refocillaretur mulier, quam blando ſomno inde recrearetur, quamque bonum appetitum, ac digeſtionem etiam aliorum ciborum inde nanciſceretur! Unde lares ſuos repetere avida, noſocomio dimitti petivit. Abiit 5. Martii.

Tandem, ultimoque, ad 10. Junii reducebatur, ventre tumidiſſimo, cum ejuſdem leviore fluctuantis liquidi veriſimilitudine, cum vaginæ prolapſu, ocu-

oculis ac facie collapsis, pulsu vix percipiundo, jamque in tertium diem continuato vomitu. Vomitu ad sextum diem superato, calamitates reliquæ auctæ sunt; ipsaque insomnis, delira, & integro triduo cum morte luctata, expiravit Junii 17.

Factu difficilis anatome fuit, eademque adhuc difficilior explicatu. Ita ut qui præsens eandem non viderit, ejusdem legitimam ideam vix formare sibi possit.

Ut in vita, ita in cadavere nihil non extenuatissimum, solo ventre excepto. Animus erat, ablatis integumentis ac musculis, Peritonæum prudentissime aperire; quo in situ immutato & acuminatum tumorem, & totum contemplaremur abdomen. Conamen vero hoc nostrum elusit idem Peritonæum, indissolubiliter, ac frequentissime, cum contentis in ventre partibus, connatum. Pertundendum ergo ubique fuit, eoque facto gelatum flavum, separatis in loculis inclusum, prodiit undecumque. Digitus singulos intrusus in loculos, aliorum loculorum sepimenta detexit; e quibus pertusis, pressisque, liquor priori similis, præ tenacitate vix fluens, prodiit.

Lento demum, ac tædioso, sordidoque plane examine, constitit degenerascentem uterum non esse, qui corpus adeo prominens in abdomine produceret, ut forte suspicati *Part. V. pag.* 28. eramus. Uterum enim invenimus mole naturali minorem, vaginam autem ejus elongatam & productam ad altitudinem illam, quæ quatuor digitis latis altior pelvi esset. In latere sinistro Ovarium durius quidem, sed mole non majus, parvaque cum tuba. Uterus apertus facultatem dabat stylo prudenter subeundi orificium Tubæ dextræ, atque ita docuit hanc tubam ad latum ab utero digitum mox abire in saccum ingentem sic, ut totum hoc monstrosum abdomen tam

in sinistro hypogastrio, ac ventre, quam in dextro, expleret. Crassus præterea hic saccus erat, informis, interne politus, ac glutinosissima sanie repletus.

Deprehendebatur autem idem duos includere tumores; alterum suo in fundo prope uterum, ovalem, depressum, palmæ manus magnitudine parem, polita membrana vestitum, ast loculis simili glutinosa sanie refertis divisum; alterum in suo dextro latere, rotundum, rubrum, tuberosum, biennis pueri pugnum æquantem.

Cum Ovarium dextrum non inveniremus, alterutrum horum tumorum suspicabamur Ovarium esse, verosimilius autem eum, qui utero propior; idque ita contigisse, ut tuba primo Ovario extenso accrevisset, ac postmodum inferiora Ovarii præternaturaliter circumplexa, idem demum intra suum cavum locasset.

Atque hi quidem tumores ii erant, qui in cavo sacco prominebant: ceterum plures cernere erat, minores, majores, unum pugno majorem, intra crassam sacci substantiam locatos, ob idque internam ejusdem externamque superficiem inæqualem admodum ac tuberosam efficientes. Erant & hi, haud secus, quam priores, sanioso glutine repleti.

Porro in Epigastrio erat sacci fundus. Dixeram saccum replere cum dextrum sinistrumque hypogastrium, tum ventrem: non replebat tamen spatium anterius circa umbilicum, infraque eundem; spatium, inquam, illud, in quo venter quondam adparens acuminatus, graviditatem mentitus erat, ut *pag.* 28. *Part. V.* relatum est. Erat igitur in spatio descripto alius peculiaris tumor, magno sacco anterius adnatus, capitis humani magnitudinem æquans, posterius planus, anterius protuberans, compositus quoque numerosissimis Hydatidibus, per sua latera mu-

mutuo accretis, hincque referens totidem ſeparatos loculos, hic tenues, ibi denſos, membranis tuberoſos, omnes autem tenaciſſimo glutine, in alio fuſcescente, in alio flavescente, alio iterum viridescente, repletos.

Jamque Peritonæum aliud ſpectaculum dabat. Concreverat ſiquidem id cum ſacco magno, in toto ejusdem ambitu, quo contiguum illi erat; verum ita, ut Peritonæum eſſe crederet nemo noſtrum. Etenim, & qua parte ſaccum magnum contingebat, & qua reliquum cingebat abdomen, & qua viſcera abdominis includebat, gerebat ubique tubercula plurima, quæ in loculos diviſa, eandem glutinoſam materiem continebant: eorundemque loculorum ope etiam Hydatidibus cum magno illo ac glomerato ad umbilicum tumore intime & commiſtum, & confuſum, deprehendimus.

Vix Inteſtina cognovimus. Ea quippe, tam craſſa, quam tenuia, adeo inter ſeſe commiſta erant, adeo concreta & connata, ut primo intuitu nihil minus quam inteſtina referrent. Vera horum ratio erat quod Hydatides in univerſo Inteſtinorum ambitu, & in utraque Meſenterii ac Meſocoli ſuperficie excreviſſent, inter ſeſe coiviſſent, ob idque ita omnia inteſtina inter ſe mutuo adunaſſent, conglomeraſſent, contraxiſſentque, ut nihil inteſtinis ſimile referrent. Sed & Hydatidas easdem glutinoſiſſimus ichor, ſaniesve, expleverat. Interea mirabamur veſicam urinariam loco locatam ſuo, ita ut a peritonæo ſuo in loco ſervata illa, vagina & ſurſum excreviſſet, uti antea dictum, & deorſum relaxata eſſet, cum prolapſum formaſſet; ſuo tamen cum veſica nexu manſiſſet immobilis. Forte pondus incumbentis ſacci impedivit veſicam ſurſum pergere, & vaginam ſequi: dum e contrario in hiſtoria relata *Part. VI. cap.* 10. *pag.* 152. degeneraſcens teſticulus dexter, re-

cto intestino immoto, vesicam urinariam viri in cristam Ilei sinistri usque dimovisset, adeoque urethram elongasset.

Thoracis angusta valde capacitas. In dextra camera Gibbum Diaphragmatis distabat a summo jugulo digitis latis quatuor, quinque digitis in sinistra. Pulmones nec mali, nec compacti, nec ullibi pleuræ, nisi versus jugulum, accreti. Cor in dextro ventriculo Polypum gerebat magnum, atque album, adscendentem in Arteriam Pulmonalem; in sinistro suo ventriculo duplo minorem, eumque cum alio, qui in Auricula, polypo, connatum.

Vasa Piæ Matris sanguine turgida. Ventriculi laterales, sive superiores cerebri, vix guttulas lymphæ paucas gerebant; egregie licet distenti, magni, fornicati. Quid causæ, cur, ubi omnia in cranio tam plena, ut mox a compressione externa ablata cerebrum excrescat in fungos, tamen vacuos toties a nobis repertos hos ventriculos non comprimat, non deleat, vis reliqua molis cerebri, sanguinisque appellentis? Cur in vacuis ventriculis Plexus Choroidæus non perpetuo aneurysmaticus, varicosus, hydaticus?

Si totam anatomen respiciamus, quid monstri Mortales sæpe sinu alunt suo! Quam frequens mutatio exiguæ tubæ Fallopianæ in massam enormem, ac prope incognitam! Sed causa, origoque, tot millenarum in quovis viscere, in quavis membranacea parte, Hydatidum, quæ assignanda demum? Confer cum hisce historiam Hydatidum in ventre feminæ, *Tomo I. cap.* 31. *pag.* 290. Obscuram totam hanc Medicinæ partem esse sequentes confirmabunt Historiæ.

§. II Eruditissimus Medicus, nosocomii Hispanici vigilantissimus Physicus, *Hazenohrl*, ejusque solertissimus Assistens *Lascowitz*, 14. Febr. hujus anni,

anni, copiam mihi fecere hepatis hominis, pridie ibidem denati, una cum morbi hiſtoria.

Juvenis 24. annorum, tumido Epigaſtrio quidem toto, in medio autem ac dextro longe tumidiore, a quadriennio laboraverat. Impedimento id tamen non erat, quo minus Chirurgiam addiſceret, jamque in Noſocomio Hiſpanico Aſſiſtentis Chirurgiæ munere fungeretur, donec 4. Febr. acute decumbere ceperit. Die febris quinto delirare cepit, inque nonum delirans, obiit.

Nihil lymphæ in tumido ventre, ſed jecur monſtroſæ molis, ac pluribus veluti ſcirrhis videbatur obſeſſum. Horum unum Vir præſtantiſſimus cum ſuo Aſſiſtente aperuerat, cumque inſoliti quid ibidem detegeret, Hepar cum reliquis tumoribus intactum ad me mittere decrevit. Igitur ille aperto iſto tumore magno, in viſceris hujus lobi dextri anteriore parte, utcumque verſum lobum minorem ſito, mox erumpentem, inque ſeſe inſilientem Lympham ad plures, ut putat, menſuras, (inopinato quippe in caſu vas ad manum haud erat) ſtupens vidit. Elapſa autem Lympha, invenit membranam albam, craſſam, multis in plagis diaphanam, excavatum in jecinore locum exacte quidem contingentem, verum nullibi adhærentem illi, cum eove connexam. Hanc loco repoſitam, una cum Hepate toto ad me miſit.

Membranam dixi, quod, qua alia eam voce nominem, non habeo; verum quo ſenſu alias membranam vocamus, eo ſane membrana vocanda non erat. Alba quidem craſſaque erat; ſed ſive bono nudoque oculo, ſive microſcopio intuebaris, nullis omnino ſive vaſis ſive fibris apparebat compoſita; ovi albumini ad latam patinam effuſo, atque coagulato, quam ſimillima; lacerabilis ita, ac ſi cultro quis eam perſcidiſſet. Erat etiam lævis, politisſimaque excavati jecoris ſuperficies.

Jamque alterum eodem in lobo tumorem aperiens,

deprehendi Hydatidas, non, ut in priore, quæ totum cavum exacte expleret, unicam, sed numerosas, libere fluctuantes, citra vel minimam alicubi adhæsionem, citra ullius pedunculi vestigia, ejus molis inter sese differentiæ, ut minimæ vix lineam in diametro haberent, deinde crescente ordine majores pollicis essent, imo & sesquipollicis diametri.

Cavum tertium in lobo sinistro similes omnino Hydatidas gerebat.

Deinde quarto similes reperii non in cavo hepatis, sed in magno eoque oblongo corpore, quod ad lateris extremi sinistri lobi superiora accretum, figura Lienem referret, quodque tamen Lien non esset; eo quod is, in cadavere, separatus ab illo tumore, inventus fuisset. Aquam continuit cum omnis generis Hydatibus.

Quintus locus erat a latere dextro prioris maximique cavi, hepar tam profunde excavans, ut pugnus in eo locari posset; isque non, quemadmodum omnes præcedentes, aqua limpida, verum amurca nigra, tactuque arenacea, repletus: membrana porro unica, explens totum cavum, hanc amurcam continebat, lacera hinc inde ac complicata, & ab aspera amurca adhærente valde indurata.

Pars dextra superiorque lobi dextri continebat *Sextum* cavum, priore majus, biloculare, crassa itidem ac pingui amurca plenum.

Vesicula fellea paucam quidem, attamen flavam bilem habuit. Pararuntne Hepatis non excavati portiones hanc bilem? An vera ipsius Cystidis felleæ parata fabrica fuit?

In altero, tertioque, ac quarto cavo, multas hydatidas confractas reperire fuit, unde forte aqua illa, in qua reliquæ integræ libere fluctuarunt. In quinto & sexto nulla aqua, sed amurca.

§. III. Scirrhum in Cancrum vergentem olim cum dex-

dexterrimo Chirurgo in *Hollandia* enucleaturus, obstupui, ablatis integumentis, inchoatoque enucleationis opere, tumorem subito frangi, & effluente aqua copiosa, totam concidere mammam. Curato vulnere recrevit tumor, qui magnos excitans dolores, ablatus non fuit; femina, nescio a quo morbo, brevi extincta.

Contigit mihi idem *Viennæ*. Doctissimus Chirurgiæ Professor *Leber*, egoque, certo statuebamus verum in Mamma scirrhum adesse, liberumque eundem, & enucleandum. Sub operatione constitit pugni magnitudinis Hydatida esse, quæ a circumcreta, compressuque indurata cellulositate inæquali, scirrhi inæqualitatem referret. Habebat pellem externam albam crassam, lacerabilem, nihil omnino aut fibrosam, aut vasculosam, ea de causa non fractam duntaxat, quantumvis debilem, quod ab integumentis & circumcreta indurataque cellulositate æqualiter premeretur. Præter Lympham, qua turgebat, continuit quatuor exiguas hydatidas, liberrimas, pedunculi vestigio omnino carentes.

§. IV. Glandulam Thyroidæam tumentem nonnulli *Austriacorum* habent, plus *Styri*, his magis *Carinthi*, omnium autem minime *Tyrolenses*, amplissimæ salubrisque Provinciæ incolæ; quibus tamen ab Autoribus familiarissima dici solet: hos, inquam, omnium minime eidem obnoxios esse, bis beatam hanc provinciam peragratus, attentus in rem, expertus sum.

In cadavere horrendam mole Thyroidæam glandulam nactus, publice dissecui. Mecum Auditores mirabantur nullum fere genus tumorum dari, quin in hac sola Thyroidæa inveniretur. Hic enim Steatoma, ibi Atheroma, alio in loco Purulentus tumor, in alio Hydaticus, in alio erat coagulatus sanguis, fluidus fere in alio, imo hinc glutine loculus plenus e-

rat, alibi calce cum sebo mista, &c. Hæc autem omnia in una eademque Thyroidæa glandula.

§. V. Anno 1757. in *Tom. I. Rat. Med. cap.* 20. varia exempla attuli similium tumorum, maxime in cadavere pueri decennis *pag. ibid.* 127.-128. addidique *pag.* 130. quosdam similium tumorum plane incurabiles esse; alios curari quidem, sed redire; nonnullos vero perfecte curari, non redituros. Curabiliores profecto hydaticos tumores pronuntiabimus, cum fracta aut consumta pellicula, resorberi lympha possit, & membrana hydatica fundi, indurataque cellulositas inflammando, suppurandoque consumi. Sed & omnis sorbilis materia, ut puta sanguis, ichor, pus, sanies, aqua, serum, cum sorberi a massa humorum possit, collabentes suos tumores exhibere sæpe debet. Unde hi vel sponte, vel post data remedia non raro evanescunt, iterum, vel minime, redituri.

Uxori optimi *Morgagni*, *Epist.* 50. tumor nuci avellanæ par, forma, duritie, magnitudine, subito de nocte evanescit; redit; repente iterum disparet, non rediturus.

Et ejusd. *Epist. n* 27. „ Ipsam vero glandulam, „ Febri nulla prævia, sensim intumescere, & du„ ram fieri, non secus, ac alias in collo subjectas, „ cum in strumas grandescunt, nimis omnibus no„ tum est, quibus magnum plerumque negotium fa„ cessunt, Medicis & Chirurgis. Nonnunquam ta„ men longe facilius, quam sperari posset, resolvun„ tur. Sic in septenni Puella *Veneta* Parotidem me„ mini duram factam, ac valde tumentem, nec si„ ne dolore jam tangendam, omni quæ substiterat, „ paulatim quidem, sed penitus, discussa, materie, „ ad naturæ modum rediisse, uno, ut vidi inunctio„ nis ex *Oleo Philosophorum* auxilio.

Pergit ille porro: „ De Strumis autem *Valisne-*

„ *rium*

„ *rium* nostrum audivi haud semel testantem, cum
„ rustica mulier filiolam ad ipsum adduxisset stru-
„ mosam, ipse autem ut pauperculæ, & puellulæ,
„ nihil nisi vinum tenue sumendum imperasset, in
„ quo insecta, quæ Asellos vocant, essent macera-
„ ta, mulierque ex iisdem vel plura, quam ipse di-
„ xerat, in vinum semper injecisset, plurimasque
„ urinas sic movisset, exacto mense cum filia redi-
„ isse, non sine sui admiratione persanata.

Idem *Morgagni Epist.* 50. *a n.* 31. *ad* 36. plura exempla habet durorum tumorum, a sola materie liquida eosdem extendente. Omnium vero notabilissimum *Epist.* 29. *n.* 12.

Similem & nos, hoc ipso ineunte anno, in nosocomio habuimus. Mulier quadragenaria, biennio antea enixa, suum primo infantem, deinde cum eodem & alium lactat. Visa aliquantisper id ferre inculpate, demum medio Martio 1761. dolore lateris affici cepit, idque in æstatem usque. Ablactato tunc infante utroque, venaque tusa, sensim quidem lateris dolorem abivisse ajebat, ambas vero mammas in tumores duros, a se mutuo separatos, mammamque vehementer extendentes, ac valide demum dolentes, permutatas esse.

Consilium empiricum adplicandi ad dorsum Nucistæ folia, ea spe, fore ut inde mammæ emollescerent, scrupulose sequitur; ita ut trium septimanarum spatio, quinquies die, integrum horum foliorum manipulum dorso admoveat. Cessanti demum ab hac adplicatione, tumor in dorso observatur Avellanæ magnitudine, quo mole sensim aucto, dolentes tumidæque mammæ pedetentim minuebantur; dorsique tumore, binos viriles pugnos exsuperante, ita concidisse mammas, ut quæ torosas easdem, formosasque habere solebat, vix nunc earum exhibere nobis reliquias posset.

Pau-

Pauperrima cum esset, & publicæ instructioni apta censeretur, a Viro Exp. & Practico felicissimo *J. Schreibers* ad nosocomium nostrum missa est, 9. Jan. hujus quem vivimus anni. Accesserat prioribus ærumnis, quod a 14. diebus singultu, tussi, ac meri cruoris sputo frequenter laboraret. Igitur capitis instar tumorem video, eumque a metastatica mammarum materie natum ratus, fluctuantemque in eo deprehendens materiem, pertundi curavi. Copioso pure cum sanguine effluente, vix imminuta apparebat tumoris moles. Plurima cellulositas semilacera indies magnis solvebatur laciniis, concidebatque sic demum tumor, ut sesquimensis spatio curaretur.

Quæstio est utrum sponte Naturæ facta sit materiæ ad dorsum transmigratio, an vi foliorum Nucistæ? Vis aromatica, ac proinde stimulans, his foliis inest: vim solventem, dissipantem, roborantem, legimus iisdem adscriptam esse. Et egregius *Fr. Hoffman* laudat oleum Nucistæ ut paregoricum; & *Essentiam Nucistæ*, cum ea *Croci*, & *Aqua Anhaltina*, pro linimento loci spasmo affecti.

Experimentis iteratis quæstio hæc determinanda est. Interim quod supra relatum, & a *Morgagni* observatum, denuo hic confirmatur: materiem liquidam duras reddentem tumidasque partes, posse vel integre, vel pro parte; ad tempus, vel perpetuo; deserere has partes, & vel novas sibi vias tumoresve formare, vel consuetis corporis viis eliminari.

§. VI. Anno 1744. ineunte, Vir procerus, eusarcos, tenebricosa nocte cadit de Promontorio *Delphensi* in flumen præceps, undaque ægre ereptus, & per summa frigora iter plurium dierum, publicus Reipublicæ Nuntius, prosequutus, tumorem percepit in inguine lævo: quem, quod molestus non esset, celavit integro anni spatio. Anno 1745. inchoante, tumor pollices fere quatuor in majore diametro,

tro, duos in minore, habens, levem ſiniſtri cruris cum ſtuporem creare, tum dolorem, cepit. Cumque jam prava, ut mox patebit, ſymptomata ſe jungerent, me cum binis Chirurgis in conſilium vocavit. Tumor ipſe inveniebatur durus, inæqualis, indolens, ſub expanſione Aponeurotica obliqui externi muſculi veluti ex Abdomine natus, ac partim surſum, partimque deorſum ſeſe extendens. Attactu tumoris vix doluit homo, ſed vagas imo in ventre anxietates (ſic enim ajebat) paſſus ſæpius eſt, easque nocte adeo moleſtas, ut lectum relinquere pluries cogeretur: Alvus vix, niſi vi, mota unquam, urina parca, nauſea frequens, vomitus ſed parcus idem rarusque; una cum cruris ſiniſtri œdemate. Ambigua primum Herniæ femoralis ſigna, ambigua deinde ſigna tumoris ſcirrhoſæ prope duritiei; tumoris, qui longa radice intra pelvim productus, Inteſtinum Rectum, & Veſicam urinariam premere videbatur, animos noſtros in varia auxilia fruſtra convertiſſe facile quisque per ſe videt. Levia denique animi deliquia acceſſere, quæ ægrum 25. die, ex quo affueram ipſi, ſuſtulerunt.

In Cadavere invenimus tumorem illum intus cavum, plenum ichore, muco, & puriformi quadam materia, ex inguine continuatum per ſiniſtram pelvis partem, Rectumque inter ac Veſicam interponentem ſe; &, ut in inguine, ita quoque in pelvi, tumoribus cavis muco, ichore, pure, repletis, conſtantem. Hydatides præterea duas in ſiniſtro, eodemque admodum magno, Rene, alteram diametri ſemipollicis, alteram pollicis integri, ambas autem non ad Renem, ſed intra ipſius magni Renis corticalem ſubſtantiam reconditas. Cætera omnia in corpore bona.

Igitur terror, violentia præcipitis caſus, frigusque & tunc, & in itinere deinceps perceptum, Hyda-

datidas in Peritonæo generarunt, quæ ſenſim durioribus calloſisque involucris inſtructæ, nervos & inguinalia vaſa, inteſtinum rectum, veſicam, ſuis in functionibus turbarunt; quæque, lege conſueta, anxietates, nauſeas, vomitus, vigilias, leipothymias, ipſamque mortem, demum genuerunt.

Multis igitur obſervationibus ſic collectis atque enarratis, operæ pretium fore videtur in naturam tumorum Cyſticorum, præprimis autem Hydatidum, pathologice inquirere.

§. VII. De Hydatidum, non quo ſenſu *Hippocrates* veterumque plures, ſed quo nos eas intelligimus, origine, fabrica, progreſſu, fuit dudum ab Anatomicis, Medicisque diſceptatum; certi tamen quid nunquam adhuc prolatum. Scripſere de Hydatide in *Sepulcreti* Tom. II. *Spigelius*, *Th. Bartholinus*, *Diemerbroeck*, *Etmuller:* in *Actis Acad. Reg. Sc. Paris.* Viri egregii *Maloet*, & *Morand*; in *Actis Edimb.* egregius *Monroo*, Comment. Literaria *Norimbergenſia*; & ſparſim plures, ut *Warthon*, peculiari tractatu *Bidloo*, *Hofmannus* quoque, & egregius *Boerhaave* in *Epiſt. de Glandulis* ad *Ruiſchium*, ut etiam diſſertatione peculiari doctiſſimus *Grashuis:* præterquam quod nonnulli Græcorum Medicinæ parentum earundem meminerint.

Collectis horum omnium ſententiis, fuere I^mo^, qui a degeneraſcentibus ipſis glandulis Hydatidum deduxerint originem. Non ſufficienter hæc ſententia experimentis fulcitur. Dum in glanduloſa fabrica humor contentus eſt, degenerem fabricam glandulæ detegimus, & in cadavere maxime: in plerisque autem Hydatidibus, quarum data hiſtoria a nobis fuit, nihil ſimilis fabricæ detectum eſt, imo prorſus contrarium. Id porro huic ſententiæ concedemus, quod glandulæ ſæpius inventæ fuerunt a materia aquoſa, ichoroſa, ſanguinea, purulenta, ſanioſa, diſtentæ,

at-

atque induratæ; haud vero id, quod omnis tumor, quem aqua, aliusve enarratorum humorum implet, diſtenditque, glandula ſit.

II^{da} Sententia illorum eſt, qui naſci hydatidas in vaſis Lymphaticis credant ſicque generari, ut tale vas inter ſingulas quasque, quibus ſcatet, valvulas, in globum extendatur; dum nempe ab obſtaculo quocumque Lympha oppoſito motu remeat, ſicque ipſa ſibi viam claudit. Cenſeo hoc modo non niſi unicam poſſe Hydatidem naſci, & non ingentes illos, ſive Hydatidum racemos, quales uterus non raro format, emittitque, ſive innumeras illas ſolitarias Hydatidas. Etenim reflua contrario ſenſu Lympha, dum unam erigit valvulam, ſimul ſibi viam ad reliquas valvulas præcludit.

III^{tia} Sententia vermes ad Hydatidas fabricandas neceſſarios credit. Verminoſa Pathologia, luxuriantis ingenii fætus, hypotheſibus innumeris nixa, probata nunquam, niſi paucis experimentis, quæ, ut recte monet *Morgagni*, ad caſus peculiares, haud vero ad univerſam Pathologiam ſpectent; hæc, inquam toties reſuſcitata, & ſponte corruens, etiam hic ejusmodi ſortem nacta eſt, ut fere nemo poſthac fuerit, qui hypotheſin hanc, de origine Hydatidum ab uno, alterove aut fictam, aut reſuſcitatam, tueri auſus fuerit.

IV^{ta} Sententia fert valvulas Lymphaticorum vaſorum, dum Lympha contrario niſu per illa fluere cogitur, impleri ab eadem, & turgere: Lympham hanc ſtagnantem lentiores, tenacioresque partes, a ſuo centro ad circumferentiam pellere; naſci ſic membranam externam illam: præterea vero ab inteſtino motu ejusdem Lymphæ, in hoc ſemel formato cavo, produci a loco quopiam, ceu centro, quemdam motum, qui motus, dum ab illo, ceu centro, ducit craſſiora, ſimul ad aliquam ab illo centro diſtan-

tiam format novam rotundamque pellem; adeoque ſic rationem ſe dare credunt Hydatidum minorum, in majore libere fluctuantium.

Ingenioſe ſane hi: utinam tam vere! Ac primo quidem tria, quatuorve, ſimul ſupponunt, absque ullo argumento, quo vel unum ſuppoſitum firment. Deinde Hydatidas credunt inter quasque Lymphaticorum vaſorum valvulas, eo, quo explicuere modo, formari. Ergo haberent ſemper degeneraſcentem membranam, in eaque fibras, vaſaque, pro extremo involucro. Cur ergo toties & libere fluctuantes Hydatidas, & Hydatidas majores, in quibus cæteræ innatent, invenimus haud alio involucro donatas, quam illi ſimili, quod a coagulante ſe ovi albumine, album, ſciſſile, minime vaſculoſum, fibroſumve, formatur? Si hoc pro ſe aſſumſerint, aſſeruerintque id inde probari, quod ſupra de generatione mira involucrorum Hydatidum dixerant; unicum modo, quod regeram, habeo: Demus paulisper illis hanc involucri nativitatem; vel ipſum vas lymphaticum, in quo hydatis eo modo formatur, conſtanti lege involucrum hydaticum circumdabit; vel hydatis formata findet ſuum vas lymphaticum, & cadet: Si hoc ultimum ſtatuunt, rogo 1. cur nunquam ibidem, ubi hydatides in viſcere excavato invenimus, ſimul invenimus, vaſorum Lymphaticorum, præternaturaliter & extenſorum, & diffractorum, exuvias? reliquias? veſtigia aliqua? Rogo 2. ſi hydatis frangendo vas ſuum lymphaticum ſe liberat, quomodo demum millenos hydatidum explicabunt racemos? Et tandem quod ad 2. ſententiam dixi, id hic convenit: ſi a retrogrado Lymphæ motu, presſaque valvula, hydatis fit, non fiet unquam in toto illo vaſe niſi unica: via ad cæteras valvulas præcluſa, erecta una.

V[ta] Sententia, ob ineluctabiles priorum Sententia-

tiarum difficultates, in cellulis membranæ adiposæ aut cellulosæ hydatidum ponit originem. Et graves quidem in arte Viri hanc sententiam amplectuntur. Tum quod cellulositas major minorve ubique reperiatur, ubi inventæ hydatides. Tum quod videantur in cellulosa substantia nonnunquam cellulæ, quarum aliæ pus, aliæ aquam, aliæ sebum, gelatum, &c. gerunt, sicque hydatidum intellectum facilitare videntur. Tum denique, quod cellulæ adiposæ videantur habere in sese minores cellulas, ac veluti sepimenta, ad explicandas hydatidas, in hydatide inventas, apta nata.

Verum & maximis hæc sententia est implicita difficultatibus. Sumamus generata in hac membrana Hordeola dicta, sumamus Atheromata, Steatomata, Melicerides, &c. an unquam quis vidit involucra horum, quemadmodum ea, quæ descripsi, Hydatidum, cocto albumini ovi similia colore, consistentia, crassitie, dilacerabilitate facili & abrupta?

Quamvis igitur a sex mille ferme annis occasiones videndi Hydatidas mortales habuerint; & quidem primo in pecore, quod ab origine mundi DEO offerendum, primo, num quid morbosi non haberet, lustrandum esset; deinde tum in pecore ad usus philosophicos adhibito; tum in hominibus, qui vel ad durabilem conditurам post mortem præparabantur, vel ad usus anatomicos, pathologicosque lustrabantur: quamvis, inquam, gens humana per numerosa adeo sæcula Hydatidas frequentissimas viderit, nihil tamen certi, quam certas observationes, habet; meliusque, quid non sint, quam quid sint, docere potest. Ita ut in theoretica contemplatione Hydatidum nos doctiores non reperiamus, quam ante mille pluresque præterea centenos annos se fatebatur *Aretæus Cappadox Lib.* 2. *de caus. diut. morb. Cap.* 1. ubi historia Hydatidum in abdomine repertarum relata.

„ Unde, inquit, id genus veſiculæ eruperint, via „ haud facile reperitur - - - & qualis ſit ipſarum „ generationis modus, quid dicam, nihil certi habeo.

§. VIII. Nihilominus ea quæ certa obſervando novimus, hæc Pathologicos in uſus nos multa docent.

Ac primo quidem Hydatidas plerumque ab ejusmodi continente materia formari, quæ ni undique partibus ſive ſolidis, ſive fluidis, fulciretur æqualiter, diſſiliret, contentumque effunderet humorem.

2do Generari ſic in corpore humano corpora organica morboſa, quæ ſive fibroſæ, ſive vaſculoſæ naturæ, ne vel minimam quidem umbram habent. Bis modo *Morgagni* vaſa videre ſibi viſus eſt; raro & in paucis, vaſa detexi ego: in centenis milleniſque nulla vidi. Vicina celluloſitas degeneraſcens, atque adhærens, imponere poteſt, ut falſo habeatur pro vero Hydatidis involucro.

3tio Non ſemper pellucidam in hydatide inveniri materiem, ſed quoque haud raro glutinoſam, vix fluidam, vix ductilem, deinde ichoroſam, ſanioſam, purulentam, imo terreſtrem, ut continentem ſuam tunicam incruſtet, induret; colore denique albam aut flavam, aut fuſcam, aut plane viridem, aut etiam nigram.

4to Hydatidas vel racematim inter ſeſe, diviſim tamen, cohærere, pedunculo pendulas, haud raro oblongas, atque pyriformes; vel ſolitarias, liberasque hærentes, ſive in majori Hydatide in viſcere aliquo, ſive in cavo abdominis; vel denique complures Hydatidas mutuis concreſcere lateribus, ut favo apum, quam Hydatidibus, ſimiliores ſint.

5to Inertem bullam aquoſam, levi digiti attactu deſtruendam, ejus eſſe potentiæ, ut creſcendo, a ſeſe removeat compactam viſcerum maſſam, & qui-

dem

dem duram adeo, ut illa Hepatis eſt. An pro dilatatrice cauſa neceſſariam fingemus animam, quemadmodum eam neceſſariam eſſe, ut uterus, ovulo in eodem hærente, diſtendatur, *Stahlianorum* quibusdam placuit? Utique noſtro in caſu petulans hæc anima condemnanda valde, & caſtiganda foret. Sufficiat nobis obſervata phyſica alia haberi, quæ a *Mariotte*, *Boerhaave*, *S' Gravezande*, *Muſſchenbroek*, exculta, a nonnullis vero male intellecta, pejusque adplicata, egregiam ſuppeditent hujus phænomeni explicationem.

6to Nullam omnino noſtro in corpore partem, plagamve, dari, quæ ab hoc morbo immunis præſtari queat. In Utero, in Ovario, in Tuba, in Inteſtinis, in Hepate, in Renibus, in Peritonæo, in Omento, in Pulmonibus, in Plexu Choroideo, in Mammis, in Genu, in Glandula thyroidæa, in Glandulis colli, vidi ipſe: in longe numeroſioribus partibus, imo in ipſa cordis ſubſtantia, optimus vidit *Morgagni.*

7mo Non modo in partibus cæterum naturaliter conſtitutis, verum etiam ita degeneraſcentibus, ut monſtra potius, quam partem corporis referant, Hydatidas inveniri, ut abunde docuit hujus capitis §. I.

8vo Sponte ſaepe easdem rumpi, ruptasque demum in viſcerum ſuperficie cicatricem adeo naturalem relinquere, ut quisque facile juraret vulnere olim ibidem inflicto natam hanc cicatricem eſſe: quemadmodum in cadaveribus rem invenit *Morgagni.* Unde ſerio animadvertit in Medicos & Chirurgos, qui, inventa cicatricula, publice teſtati ſint cor gravi vulnere quondam laboraſſe, aut Uterum, aut Jecur, &c. Hinc prudentiae eſſe, ſi quis ſimile quidpiam in *contenta* parte deprehendat, ut ſimul cicatricis veſtigia quærat in parte *continente*, antequam contentam illam partem vulnere quondam affectam fuiſſe aſſeveret.

9no Cum ſimilitudo tanta ſit inter Hydatidas, Athe-

romata, Steatomata, Scirrhos, & Cancros, tum quod durities sæpe æqualis sit; tum quod degenerascens cellulositas inaequalitate & duritie tumores duros & inæquales, & asperos referat, qui tamen minime scirrhosi sint; tum denique quod tumor quiscumque, premendo nervos, dolores excitet: hinc ab una parte prudenter & caute procedendum esse in definienda, determinandaque natura tumoris, ab altera parte nihil certius esse, quam quod vel errantem nostram vel dubiam sententiam, dies corrigat vivo adhuc homine, qui tumorem habet, aut denato saltem.

10mo Hydropas, cum multis hydatidibus junctos, si ex casuum, morte alias detectorum, similitudine, suspicamur adesse, nec remediis internis, nec paracentesi, curabiles esse; excepto forte uno alterove, qui narratur, casu: hinc cum vitalis indicatio præprimis hic urgeat, cavendum esse a remediis drasticis, ne vires concidant; & evacuantibus paucis, maximeque regimine roborante, vitam quoad ejus fieri possit, protrahendam esse. Hinc forte haud penitus ineptam hanc regulam esse: "Is Hydrops omnium maxime cura-„ bilis est, qui omnibus suis signis manifestus ab *Hip-„ pocrate Libro 2. Prorrhetic. Edit. Foës. pag. 89.*" describitur: signis, inquam, perfectæ atque illibatæ sanitatis, excepto solo Hydrope. Novi equidem durum, quinimo ridiculum nonnullis videri *Hippocratem* sibi tot illæsas functiones reservantem, ad bonam formandam in Hydrope prognosin, ut rari profecto dentur, de quibus bene augurari liceret, Hydropici: neque me latet vel ideo pluribus *Hippocratem* vituperari, quod ipsi horum complures vel tuto, jucunde, brevique, vel etiam nonnullos laboriose, ab hoc morbo restituerint, quibus vix media affuisset pars earum, quas requisiverat Cous, conditionum: novi, inquam, hæc omnia; nihilominus velint, nolintque illi, tandem mecum fateantur necesse est

nun

nunquam fere turpius auguria noſtra ab eventu derideri, quam in Hydrope: adeoque nihil eo eſſe certius, quam Hydropicos eo eſſe curabiliores, quo pluribus functionibus gaudeant illibatis; & vice verſa, eosdem eo plus ſubire diſcriminis, quo illarum plures læſas habeant. Atque hoc totum, hoc unicum, quod magnus ſibi voluerit *Hippocrates*. Quapropter ſi Hydrops hominem multum lædat; ſi neque remediis, neque auxilio paracenteſeos obaudiat; ſi redeat, curatus quantumvis viſus; ſi poſt punctionem æger ventrem tumidulum ſervet, idque maxime inæqualiter; ſi vires haud conſtanter emendentur; &c. juſtus Medicorum metus eſt, ne palliativa tota fuerit, quæ facta ſit, cura; ne viſcera ſive valdopere, ſive irreparabiliter, obſtructa, indurata, ſcirrhoſave ſint; ne ſaccati tumores, ne præprimis legio adſit Hydatidum. Cumque in his omnibus aut magnum in curando laborem in nonnullis, aut curam abſolutam in pluribus nullam, Medici experiantur, jure utique merito *Hippocrates*, quo fauſta caneret, tot requiſivit conditiones.

Proderit profecto hæc nobis obſervatio, ut haud illos imitemur, qui continuo in Hydrope pertinaciore nihil non tentantes, debiles aliunde ægrorum vires ultra projiciant, atque eosdem, ut ita dicam, ante fata necent; ſed meliora ab *Hippocrate*, Virisque *Hippocraticis*, edocti, eam in dandis, adplicandisque auxiliis prudentiam adhibeamus, qua viribus, præprimisque Vitalibus, religioſiſſime parcamus.

De Inteſtino in Inguine perforato, & Excrementis inde foras expulſis.

§. I. *Vulnera aut Sphaceli Inteſtinorum tam ſimplicia, quam cum jactura ſubſtantiæ, ſæpe letalia, non raro curabilia, ſive cum labefactata deinceps ſanitate, ſive cum eadem præterpropter integra. Caſus enarratur feminæ, quæ inflammatione, dein Sphacelo Inguinis laborans, omnia Ilei morbi ſymptomata patitur; apertoque deinde Inguine fæces, ac ſemicocta alimenta, inde emiſit. Circa trihorium a comeſtione elapſum, ſolidiora alimenta colore ac conſiſtentia ſua ad ulcus manifeſtant ſe. Ipſum inteſtinum Ileum apertum eſſe veroſimile eſt. Demonſtratur Ileum ad magnam a Colo diſtantiam ſtercora gerere, ita quidem, ut libram Mercurii vivi, pridie epoti, ſtercorum ſuſtineat obſtaculo. Vis valvulae* Tulpianæ *aboletur nonnunquam ſic, ut ſtercora & clyſmata ore expellantur, & ut nihilominus in vivis maneat homo, integreque convaleſcat. Diagnoſis morbi. Prognoſis ſequitur; ſed ad eandem formandam* Hippocrates *conſulitur. Ad* Hippocratis *ſententiam examinandam, in opem vocatur experientia Medicorum.* §. II. *Unde primum referuntur ex* Vatero *tres caſus, quorum unum Coli, duos Ilei eſſe, ſuſpicio eſt, integra tribus redeunte ſanitate.* §. III. *Deinde caſus* Faſchii *apud* Juch *in Colo obtinens, cum curatione imperfecta.* §. IV Malavallus *binos refert caſus, alterum affecti inteſtini tenuis, alterum craſſi, cum perfecta cura: meminitque audacis Agyrtæ, ad faciliorem herniæ introductionem inteſtina incidentis.* §. V. Seidelius *a* Schenckio *laudatur, ut morbi ſimilis, Ileum forte occupantis, curam integram referens.* §. VI. Ramdohr *apud* Heiſterum *hominem integre curat, latam portionem Gangrænoſi Inteſtini abſcindendo, & abſciſſas utrimque oras ad ſe mutuo adducen-*

ducendo, uniendoque. §. VII. Albini *miles* 20. *annis a vulnerato Colo elapsis, apertum id in Epigastrio sinistro exhibet.* §. VIII. *Idemque monstrat miles* Bouchardi, *tertio anno a suscepto vulnere.* §. IX. Kalschmidii *homo a gangræna Ilei curatur cum ano adscititia.* §. X. *Notabilis per omnia casus* Pfaffii, *cum integra cura, quamvis Ileum variis vicibus pessime affectum visum.* §. XI. Maichanquez *singulari arte curat Ilei vulnus.* §. XII. Mangetus *integram curam describit Intestini sclopeti majoris globo perfossi.* §. XIII. *Idem* N. C. *referunt a globis tribus.* §. XIV. Mangetus *narrat ex Ileo hernioso,* pro Bubonocele *aperto, alterum periisse, alterum integre curatum fuisse.* §. XV. Wagnerus *quadruplicem curam refert. Ileo intestino in* 2. *vel* 3. *vulnerato viso.* §. XVI. Spöring *similiter.* §. XVII. *In* Acad. Reg. Sc. Par. *integra cura fit, partim exciso, partim a natura separato Intestino tenui, ad* octo *latos digitos.* §. XVIII. *Mira historia separatæ magnæ Coli portionis, valetudine integra succedente, Autore Magnifico* Kestler. §. XIX. *Ex neglecta Hernia inguinali perforatio, & transsudatio fæcalis, vita salva, sed imperfecta.* §. XX. *Modus exponitur, quo ejusmodi aperturæ solent in inguine nasci.* §. XXI. *Dilata hucusque prognosis ægræ nostræ tandem fit, &* Hippocrates *vindicatur.* §. XXII. *Indicatio, & cura.* §. XXIII. *Mira circa tussim.* §. XXIV. *Multi ægri in Nosocomio pinguescunt.*

§. I. Vulnera Intestinorum simplicia persæpe letalia esse, certissimis constat omnium sæculorum testimoniis: at vero eadem hæc, simplicia non modo, verum etiam cum notabiliore eorundem portionis jactura, sive integre curabilia esse, sive cum labefactata plus minus sanitate, experimentis comperimus.

Latus differendi se hic nobis aperit, spatiosusque campus! Porro ut commode atque utiliter spatiemur, duce utamur notabili casu, quem nostrum nobis nosocomium suppeditavit.

Femina 37. annorum, rarioribus, hisque levioribus, hystericis passionibus exceptis, illibata valetudine perpetuo usa, beato partu ter felix, & a quinquennio, ex quo non peperit, rite menstruans, secundo die Februarii, ultimo elapsi, enarrando nunc morbo corripitur.

Scilicet sana surrexit, elapsa autem una alterave hora subito Hypogastrii dolore corripitur; cujus causam errore quopiam se posuisse negat: neque enim suillas carnes, pridie moderate captas, una cum sale conditis rapis, edulii genus utique haud insuetum sibi, tanti causam doloris credere se posse. Dolori se calor junxit, clausaque integro quatriduo alvus. Quarto morbi die vomitus, isque assumtorum, accessit. Vocatus tunc demum Medicus, venam illico jubet in pede tundi, potumque purgantem, tribus vicibus exhauriendum, præscripsit: at vero hunc revomuit actutum; moxque dein stercorea vomuit. Interim cum tempus menstruum adesset, menses suos solitis suis sex diebus hoc tempore passa est.

Vomitum stercoris detestabilem, tum ore percepit continuo ægra, tum horruit in excipulo sæpius evacuando maritus. Porro nunc primum advertit parvum inguinis dextri tumorem.

Febr. 8. alvus pauca, exhibito pulvere, successit; & bis iterum secta vena auctus in inguine tumor est, quem herniam esse Medicus censet. Vocati autem duo Balneatores herniam esse negant, sed alius, incerti scilicet, generis, tumorem declarantes; emolliens cataplasma, sæpe renovandum, suadent.

Cum a secundo cataplasmate, nimium calente, in-

inguen veluti ureretur, credit in pejus actum cum tumore esse. Saltem pergentibus cunctis symptomatibus, ipsoque vomitu stercoreo, tumor inguinis 14. Febr. nocte ruptus est, fuditque primo oleum lini, quod enemate injectum ad unc. iv. fuerat, deinde materiem fœtore stercoream. Atque ab hoc tempore vomitus penitus cessavit. Conati sunt injectis enematibus materiem tam stercoream, quam semicoctam, alimentosamque, ad alvum determinare, sed incasso sæpe labore. Tandem 25. Febr. alvus sponte prodiit, quemadmodum & 26. & 28. Febr.

Hucusque res, me inscio, perrexerat, quando egregius Medicus *Schreibers* miserrimam hanc primum invisens, ejusdemque misertus, tum & de publica Studiosorum utilitate sollicitus, me convenerit, num intra nosocomium suscipere illam vellem, proponens? Extemplo afferendam jussi; ita ut 28. Febr. ante vesperas allatam jam examinarem, deprehenderemque viribus ac pulsu debilem, cætera bene valentem, & appetitu gaudentem. Aderantque ad vulneris labia cibi semicocti. Digiti porro a vulnere spatio, vulvam versus, aliud vulnus detego, quod ipsa mulier ignorabat adesse. Explorando detego hoc vulnus sub musculis communicare cum vulnere primario, haud vero in cavum se penetrare abdominis: vulnus autem primarium, externe pollicis latitudine, oblongum, sensim brevius, angustiusque, in cavum Intestini penetrare; stylumque ab ejusdem externo latere, longitudine digiti, & ultra, ad extremam ossis Ilei cristam pergere, ita ut inter expansionem tendineam, & peritonæum fistula ibidem formata esset.

Vidimus 1. Martii trihorio postquam jus cum farinaceis coctum comedisset, totam vulneris aperturam oppletam his faricaceis; ita tamen, ut pars hæc

esset assumtorum exigua, & alvus prodiret naturalis, bene compacta, fæcalis, colore utcumque grisea.

2. Martii dura copiosaque alvus. Quæ brevi post undecimam comesta Brassica fuerat, in vulnere primum adparuit ad horam pomeridianam secundam. Ita & Radices Dauci 3. Martii. Defuit hoc die alvus. Ad 4. Martii immissum enema, incredibilem produxit copiam fæcum, colore griseam, partim pultis instar, partim ingentes compactam in massas. Martii 5. & 7. alvus nulla. Ad 6. & 8. clysma immissum eduxit copiosam.

Brassicam, & Daucum, & Farinacea juri incocta, vidimus intra trihorium ad vulnus adparere, nunquam autem maturius, quantumvis sæpius vulnus intra id tempus detegeremus. Dubitamus tamen aliquando an non nonnihil prius? Dubio eximendus, dedi ipsi ruberrime tingentem misturam; verum nihil inde ad vulnus. An quod saliva, succis gastrico & enterico, jure carnium, epota aqua, diluta nimis? Hinc alio die post Brassicam dedi elixa Cerasa. Verum & hoc die exacto fere trihorio, non prius, primum Brassica, & elapso præter propter ab assumtione quadrihorio, una cum Brassica exuviæ Cerasorum. Sex ab assumtione elapsis horis denuo pelles Cerasorum.

Quærebatur nunc, quodnam Intestinum vulneratum esset? Tenuene, an Crassum? Ab una parte, Colum perforatum esse excrementa suadebant, quæ a principio de vulnere copiosa, parciora dein, prodierant: suadebat præterea olei lini, in anum injecti, per inguen elapsus.

Verum ab altera parte, breve illud trihorii tempus, quo assumta in vulnere comparebant, Ileum penetratum esse videbatur innuere. Objici potest continua ad vulnus irritatione, eademque forsitan per

per Inteſtinorum tractum continuata, res deglutitas veluti ſollicitari, quo maturius deſcenderent. Reſpondeo me negare minime ab irritamento hoc deglutita citius forte ad hunc locum adparere, adeoque me nihil inde ad phyſiologiam in ſano corpore concludere; ſed ſimul adverto præter celeritatem, etiam deglutitorum immutatam naturam Ilei vulnus potius indicare, idque a Bauhiniana Valvula remotius: præſertim quod ea, quæ alvo reddebantur, bene cocta eſſent. Etenim demonſtravi *Tomo I. pag.* 91. & 92. nonnunquam Inteſtinum Ileum, ad 2. ad 3. imo fere ad 4. pedum a valvula Coli diſtantiam, fæcalem colligere materiem. Igitur non repugnat vomitui ſtercoreo probabilis alias Ilei perforatio: potuit enim is ex materia in Ileo contenta exortus fuiſſe. Similisque omnino noſtra doctiſſimi *Kalſchmidii* ægroto eſſe videtur, qui in 15. diem Ilei morbi ſymptomata paſſus, demum periit, atque a morte exhibuit Inteſtinum Ileum, ulnæ a Colo diſtantia, ſtercore repletum, ſic quidem, ut integram Mercurii vivi libram, pridie hauſtam, exacte ſuſtineret.

Si quis opponat veroſimile non videri, ut noſtræ feminæ in caſu, quæ fæcalis materies in Ileo adfuiſſe ſupponitur, copioſum vomitum ſtercoreum per integros novem dies continuaſſet; tum quod ſtercoris in Ileo præſentia rarior ſit, tum quod inveniatur, ſi adſit, parcius; reſpondeo primo ad caſum præſentem exponendum ſufficere, ut ejusmodi materies nonnunquam in Ileo adſit; ſecundo ignorare nos quamnam fæcum copiam Ileum quandoque poſſit continere. Inveni aliquoties ſcybala pauca, alia vice ſtercus liquidum copioſius: *Kalſchmidius* vero ad ulnæ a colo diſtantiam usque repletum Ileum; quæ profecto quantitas vomitum fæcalem pluribus continuare diebus poſſet.

Sed contra; ſi cum quantitate & diuturnitate vomi-

mitus ſtercoracei, jungamus olei lini, enemate injecti, per vulnus exitum, videmur vix poſſe, niſi in Colo, vulnus locare.

Imo videmur poſſe. Demonſtravi enim Tom. I. in morbis Iliacis Coli valvulam enormi Inteſtini dilatatione ſic aboleri, ut vix reliquias ſui ſuperſtites exhibeat; quemadmodum in conſervatis Tympanitici inteſtinis ſæpe ſoleo Medicinæ Studioſis demonſtrare. Hinc ſi habeamus exempla deletæ ita valvulæ, ut e Colo patula in Ileum via ſit; ſi deinde habeamus exempla reſtitutæ ſanitatis etiam poſt certiſſimum argumentum deletæ vis valvulæ, quemadmodum hiſtoria pueri *Tomo I. pag.* 184. ſuppeditat, nulla eſt in caſu præſenti explicando difficultas, ſi ſtatuamus inchoante morbo viam hanc præternaturaliter patulam fuiſſe, per eandemque oleum lini vulnere effluxiſſe.

DIAGNOSIS proinde patet. Inflammatio valida Inteſtini Ilei, Peritonæi, Aponeuroſeos muſculorum obliqui interni, obliqui externi, forſitan etiam transverſalis, peſſimum Ileum genuit; Inflammatione autem in ſphacelum verſa, portio inteſtini Ilei, Peritonæi, Aponeuroſeos, Integumentorum, corrupta excidit, reliquitque hoc foramen.

Dubia PROGNOSIS, imo valde prava; tum propter graviſſimam in Medicina autoritatem, tum propter evidentiſſimam experientiam.

Ac primum quidem magni *Hippocratis* autoritas prognoſin admodum pravam dare jubet. Sed mitigant hanc Autores quamplurimi, eosque inter haud pauci, qui *Hippocratem* hic, ſi ullibi, inſimulent falſi. Neque defendam *Hippocratem* ego, neque condemnabo. Hiſtoria medica candide tradita num forſitan quod in Illo obſcurum, quod dubium, quod contrarium, adparet, illuſtratura ſit, legitimumque converſura in ſenſum, ſequentia docebunt.

Hip-

Hippocratis igitur *Aphorismus* 18. & 21. *Sect.* 6. ſic habent: „Cui perſecta eſt Veſica, aut Cerebrum, „ aut Cor, aut Septum transverſum, aut aliquod „ ex Inteſtinis tenuibus, aut Ventriculus, aut Hepar, letale. Si ex Inteſtinis tenuibus aliquod disſectum fuerit, non coaleſcit.

Lindenianam interpretationem ſequutus, monendum habeo, *Perſectionem*, Διακοπὴν, hic *Hippocrati* ſignificare, interprete in hunc locum *Galeno*, Inteſtini tenuis magnum vulnus, id ad extrema usque dividens, abſcindens, integram ejusdem continuitatis ſolutionem faciens, ἐς τὸ πέρας, ad extremum usque: & quemadmodum *Philothæus*, autor, ut *Lindanus* cenſet, ſecundi ſæculi, in Comm. ad hunc locum, διὰ βάθος τομὴν, ſectionem ad profunda, aut per fundum, penetrantem. 2do Θανατῶδες, & θανάσιμον, haud innuere ſemper abſolutam morbi, vulnerisque, letalitatem, ſed etiam non raro eorum aut pravitatem, aut majus minusve periculum. Confer *Aph.* 4. *N.* 16. cum 5. *N.* 1. & 4. & 2. *N.* 1. *cum* 4. *N.* 67. Cui lubet multos Aphoriſmos conferre cum variis *Coacarum*, *Prorrheticorum*, *Epidemicorum*, aliorumque *Hippocratis* operum textibus, is de eo, quod hic aſſero, brevi convincetur.

Ne longus ſim, ob idque tædioſus, referendis iis, quæ multi Interpretes, alios alii transſcribentes, in hos textus commentati ſunt, facta producam duntaxat, quæ Prognoſin longe firmiorem formabunt, quam omnia illa opinionum commenta; quæque forſan veritatem, *Hippocratis* ſtantem a parte, demonſtrabunt. Nec referam, quippe ad rem nihil facientes, quæ multiplices enarrantur, Cultrivororum, Inſectivororumque hiſtorias; cum ſuſpecta ſit fides multarum: uti neque caſus illos, qui numeroſi & apud Autores extant, & quotidiana experientia confirmantur, mortis poſt vulnerata inteſtina,

ſtina, maxime tenuia, obſervatæ; ſiquidem id genus vulnera periculi plena eſſe apud omnes in confeſſo eſt.

§. II. Eximius *Vaterus*, merito ab incomparabili *Morgagni* in hanc rem laudatus, refert 28. annorum hominem, qui & multa ſæpe devoraſſet, & æſtuante corpore gelidam bibere copioſam ſolitus eſſet, inguinis tumorem advertiſſe, quem Medicus & Chirurgus Herniam rati, Brachierio atque Emplaſtris curare anniterentur. Aucto cum peſſimis Ilei ſymptomatibus tumore, *Vaterus*, in opem vocatus, abſceſſum deprehendit, qui, adhibitis biduo maturantibus, ruptus, primo copioſum pus ingenti cum levamine fudit, ſequentibus vero diebus cubitum longos lumbricos, & ſemicocta alimenta. Spem tamen haud abjiciens *Vaterus*, datis remediis traumaticis, balſamicis, ac roborantibus, vidit demum hominem integræ redditum, conſtantique ſanitati.

Ob rationes antea datas Inteſtinum Ileum apertum fuiſſe ſit veriſimile: addit *Vaterus* integre a ſe curatam mulierem, cui Colon in inguine apertum eſſe arbitrabatur: itidem ſanatum virum a ſe fuiſſe, cui Hernia ſuppurata, extrorſumque rupta eſſet.

§. III. In Diſſertatione, qua D. *Juch* hasce *Vateri* obſervationes propugnavit, obſervatio ex *Cl. Faſchio* habetur hominis, qui, in Bubonocele ſphacelata, excrementa alvina, una cum inteſtini Coli portione, per inguen excrevit, in vivisque, licet imperfectius, manſit. An cum ano factitia?

§. IV. Diſſertationum inauguralium de Chirurgia, a ſolertiſſimo *Hallero* collectarum, Tomo V. ea *Adriani Malaval* ob binos eſt memoranda caſus.

1mo Feminæ, in Bubonoceles operatione, *Inteſtinum tenue* de Gangræna ſuſpectum, vino, ejusque ſpiritu, calefactis irroratur, reponitur. Primo ſedantur, tandem ſilent prorſum prava quæque ſympto-

pto-

ptomata, proditque alvus. Decimo vero die, inguine rupto, exeunt continuis 6. vel 7. ſeptimanis excrementa. Attamen conſolidatum vulnus eſt, poſtque menſes binos ſat firma reſtituta valetudo.

2do Mulieri in eadem operatione, eodem cum felici in principio eventu, rumpitur ad 7. diem Inteſtinum foras, & continuis 15. diebus ſtercora fudit. Die 20. alvus prodiit, & *Octidui* ſpatio conſolidata apertura ſanitatem optimam adduxit. Cum nulla ante diem 20. alvus, totoque illo tempore excrementa inguine proflua, perforatum videtur Colon fuiſſe.

Ad confirmandam ejusmodi vulneris letalitatis negationem, herniaria methodus cujusquam *Circulatoris* enarratur, qua ille ad faciliorem Inteſtini elapſi introductionem, illud larga inciſione aperire ſolebat.

§. V. Affertur etiam ex *Schenckii* libro tertio *Seidelius*, feminam producens, quæ octavo tumoris inguinalis die primum potum, idque intra *horæ ſpatium ab eodem aſſumto*; deinde etiam portiones carnium, ac panis, aliasque alimenti ſolidioris reliquias, aperto de inguine miſit: aſſumtis autem medicamentis adſtringentibus, conſolidantibusque, nec non adhibitis vulneri Sarcoticis, primo cibos, tandem & potus, retinuit, *ſexque hebdomadum ſpatio elapſo* penitus conſolidata apertura, convaluit. *Ileum* penetratum fuiſſe videtur.

§. VI. Celeberrimus *Heiſterus*, ut rem certiſſimam, narrat in Chirurgiæ Cap. 116. *Guelpherbyti* contigiſſe, ut in incarcerata Hernia Chirurgus Ducalis *Ramdohr* partem notabilem Gangrænoſi Inteſtini exſcinderet, utraque extrema ad ſe adduceret, quo exciperent ſe mutuo, eaque tunc leviter circumligaret: effectum hinc, ut bina hæc extrema coïrent, alvusque deinceps naturaliter ſemper fluêret.

§. VII. Celeberrimi ac nobiliſſimi *Albini* miles, *Adn. Acad. Libr.* 2. *cap.* 8. *pag.* 31. cui *Colon* in prælio

lio *Ramelienſi* vulneratum, manſit quidem vivus, verum elapſis deinceps 20. annis *Albino* adhuc oſtendit in ſiniſtra Epigaſtrii regione ſuam factitiam alvum, cum tunicæ villoſæ prolapſu tam ſuperioris quam inferioris vulnerati Inteſtini portionis.

§. VIII. Similem prorſus hiſtoriam *Mangetus* in *Bibl. Med. Tom. II. pag.* 1156. ex *Bouchardo* refert, ea differentia, ut poſt tres annos ab inflicto vulnere ſuum virum is viderit; ſuum vero militem poſt 20. annos *Albinus*.

§. IX. Doctiſſimus *Kalſchmidius* in *Act. N. C. Vol.* 9. *N.* 4. Vetulam profert, quæ antiquæ Herniæ incarcerationem paſſa, ejusdem operationem octavo demum die ſubiret; Inteſtino, (& ut ipſe dicit, Ileo,) ita corrupto, ut intolerabili cum fœtore proſilirent fæces. Ubi alvus diu nunc podice, nunc inguine prodiiſſet, demum poſt bimeſtre ſpatim elapſum, tantummodo quid ſanguinis ulcere exiviſſe; at vero utrum perfecte conſolidatum inguen fuerit, an manſerit in inguine anus, ex enarratione colligi certo non poteſt.

§. X. Doctiſſimus *Pfaffius Nov. Act. N. C. Vol.* 2. *Obſ.* 12. hunc notabilem caſum refert. Homo 28. annorum biennis herniæ oſcheoceles incarcerationem præ nimio meſſis labore patitur. Binorum Balneatorum laboribus Hernia, quo die morbi non additur, reponitur quidem, verum non ceſſant Ilei morbi ſymptomata, atque tunc primum accedens Autor ſtercora reperit vomentem. Petitis auxiliis undecumque, mitigat quidem ſymptomata, alvumque copioſam ſolvit, verum adeo non tollit morbum, ut tumor, dolorque ſcroti, & redeuns intolerabilis abdominis cruciatus, quo morbi die non adjungit, oriatur. Gangræna nata, jubet, aperiant tumidum ſcrotum; e quo mox flatus & excrementa prorumpunt. Balneator altera die plura in parte foraminula per ſondam

ex-

explorans, invenit in Inteſtino prope teſtem nucleos Ceraſorum, quorum quadraginta eduxit, ſequenti autem die multo plures. Notat porro hiſtoria ægrum, repoſita primum hernia, copioſa Ceraſa una cum nucleis deglutiiſſe; notat quoque violentam adeo tuſſim adfuiſſe, ut prodirent cruenta ſputa. Cognito inteſtini vulnere, enemata ultra non injecit, omnibus Chirurgis, ut ipſe putat, ea tunc condemnantibus, ſed Suppoſitorium immiſit, advertitque craſſiora alvo, inguine vero tenuiora, prodire. Jamque, neſcimus quo die, novus in inguine tumor natus, ſuppuratus, & arte apertus, tum pus dedit, tum fæces liquidiores: inguine nunc hæc ejiciente, ſcroti apertura ſenſim coivit. Novus tandem, isque priore altior, abſceſſus in inguine obſervatur, qui apertus, pus, non fæces, fudit: tandem & hoc, & illo, ſenſim conſolidatis, ſanitas completa ſucceſſit.

§. XI. apud *Mangetum Bibl. Med. Tom. II. pag.* 524. 525. *D. Maichanquez* narrat ex vulnere anguſtiore, quod uxori inflixerat maritus, demum excrementa prodiiſſe „ dilatato parumper vulnere adparet „ *Inteſtinum Ileum læſum.* (Digito forte explorando deprehendere potuit canalem anguſtiorem, cellulis carentem,) „ placuit in caſu deſperato periculum „ facere, nec ægra 25. annorum dolores recuſabat, „ modo vita donaretur. Inteſtinum caute acu alli„ gari curo cuti, recentisque laridi lamella interpo„ ſita, ut fæcibus alvinis pateret tranſitus, cutem „ jungere jubeo; quod & factum; potiones præ„ ſcribo vulnerarias, quibus ad ſtuporem curata eſt, „ binosque enixa eſt liberos annis ſequentibus.

§. XII. *Mangetus* ibid. pag. 523. ex *Carolo Patino* refert fuiſſe hominem, cui globo ſclopeti majoris abdomine perfoſſo, prope umbilicum, demum die quinto globus ano ejectus fuerit, & perfecta cura, *exacto menſis ſpatio* ſucceſſerit.

§. XIII. *N. C. Decad.* 3. *ann.* 4. referunt curam

 ſimi-

ſimilem globis tribus ano ejectis; aliamque Ruſtici, poſtquam una cum fæcibus nucleos Ceraſorum foramine inguinis, ſponte aperto, ejeciſſet.

§. XIV. Et de duobus, quibus Chirurgi pro Bubone aperuerant ipſam Bubonocelem, unus quidem intra paucos dies obiit; alter autem, cui per 14. dies excrementa exierant, *ſex ſeptimanarum ſpatio* integram vulneris conſolidationem nactus eſt: tandemque & tertius, cui ex *cæſo punctim Ileo* chylus effluxerat, curatus integre fuit; referente *Hardero* apud *Mang*. ibid.

§. XV. Idemque pag. 530. ex *Wagnero*, qui ex variis id refert autoribus, narrat *Ileum transverſim perſciſſum*, & extra vulnus prolapſum, ſutura cum vulnere intercedente, penitus coiviſſe: in alio integram curam obſervatam eſſe, poſt aperturam vermibus erodentibus factam; tandem *Hafniæ* quemdam, eroſione etiam a vermibus facta, integre eſſe curatum; alterumque, cui ex ſphacelata hernia umbil. nuclei prunorum, jam carioſi exiviſſent.

§. XVI. In *Actis Suecicis Stokh. an.* 1746. notiſſima mulieris hiſtoria eſt, cui venter rodente & erumpente Tenia ſæpius apertus, iterumque ad tempus conſolidatus fuerit.

§. XVII. In Hiſt. *Acad. Reg. Sc. Par. anni* 1723. ex ſuppurata Hernia Chirurgus ſuſcepit oſſa pedis ovilli N. 16. , exciditque gangrænoſi inteſtini portionem latorum quatuor digitorum; ſimilemque circiter portionem, poſthac a natura ſeparatam, invenit. Expectabat porro, ni moreretur homo, anum factitiam, verumtamen obſervans ſenſim minus inde exire, dedit ipſi alimenta ſolidiora, & vidit *ſpatio* 33. *dierum* inguen clauſum.

§. XVIII. Et quid demum de caſu cogitandum, obſervato a magnifico Archiatro *de Keſtler*, anno hujus ſæculi 1729. feminæ ſcilicet, cui in incarcerata Hernia viſa eſſet periiſſe integra portio, ſemipedem longa, inteſtini Coli: claudente nihilominus accu-

rate

rate se apertura, alvoque totis, quibus deinceps vixit, annis naturaliter fluente? Profecto totam a sphacelo separatam Coli portionem, cum exsiccatam eandem, intusque linteo carpto infarctam, sollicite Vir magnificus reservasset, ad me examinandi, ac Studiosis demonstrandi, causa miserat. Ipsum Colon esse, & tota ejusdem substantia, & Ligamenti vestigia, saltem illius tertii, a *Morgagni* & *Winslow* descripti, Mesocolo tecti, & quæ aderat adhuc Mesocoli portio, evidenter docebant. Igitur sollicite scrutabamur qua demum lege notabilis adeo Intestini portio sphacelo solvi, apertoque excidere inguine potuisset, intereaque temporis, non adductis ad se mutuo, ut alibi factum notavimus, utrisque extremis, excrementa a Cœco sic pervenissent ad anum, ut neque anus nasceretur in inguine, neque intra cavum abdomen decideret quidquam?

Res sane nobis incomprehensibilis visa est, nisi concederetur, quæ exciderit, Intestini partem, ejusdem vel tunicam externam esse, remanente interna; vel tunicam esse internam, superstite externa: ut sic, reservata quadam tubi continuitate, excrementa tuto versus anum devolverentur. Verum mox hujus Dilemmatis falsitas apparebat, cum sola interna pars Intestini non habeat ad se accreta ligamenta, nec connatum Mesocolon; cumque externa Intestini portio integra solvi minime potuisset, manente continuitate Coli ope tunicæ internæ: neque enim portio hæc separata lata & per medium fissa membrana erat, sed clausum intestinum; quod utique hac forma minime separari potuisset, continuitate tubi intestinalis permanente ope tunicæ internæ.

Tandem veram totius phenomeni rationem & causam sic videbamur intelligere: Intestinum inflammatum, qua parte Mesocolo hæret, accubuit Peritonæo in inguine, eidemque accrevit: gangræna in-

cipiente, tunicæ Intestini variæ a se mutuo dissolvebantur: gangræna pergente, lata in inguine facta apertura est: ita soluta interna pars intestini, cum *totius* intestini anterioris parte, cum peritonæo cum expansione tendinea, & integumentis, foras prolapsa est. Habet ergo prolapsa portio cavum integrum, a cujus anteriore parte hæret Mesocolon, ligamentum tertium, omniumque Intestini tunicarum portio, & cujus reliqua pars interioribus Intestini tunicis tantummodo componitur.

Sed statuimus antea tempore inflammationis diræ Intestinum Colon, qua parte Mesocolon habet, accubuisse & late concrevisse, cum peritonæo. Necesse igitur fuit ut, prolabente extra inguen interna Intestini parte, cum omnibus concretis partibus a facie ejusdem anteriore, ut, inquam, Colon externa sua parte in ventre integrum, firmiter suæ aperturæ oris cum peritonæo cohæserit, ita ut nihil in cavum ventrem dilabi potuerit eorum, quæ a Cæci sacco aut Intestinis tenuibus deorsum, anum versus, descendunt.

§. XIX. Sub finem anni 1745. negligens herniam femina incidit in symptomata morbi Ilei, quæ demum aperta alvo brevi evanuerunt. Attamen dum morbum curasse videbamur, aperuit se inguen, fuditque paucam, serosam, flavam, ac subinde vere stercoream materiem. Capto Clariss. *Albini* consilio, laboravi cum Chirurgo novem mensium spatio antequam locus clausus esset; optima interea vigente sanitate. Locus molliore quidem, sed apto admodum Brachierio firmabatur, ne rediret malum. Attamen sex cum dimidio elapsis annis, denuo aperitur, citra symptomata ulla prava, citra stercoream materiem. Nescio, quem finem res habuerit, quum ad ultimam aperturam, illam, cum Patria, reliquerim.

§. XX. Docent omnia hæc exempla siccatis ab in-

inflammatione partibus, alterius cum altera cohæsionem fieri, antequam inguen aperiatur: sic quidem sæpe ut nihil in cavum ventrem, sed per inguinis aperturam; eave clausa, per podicem cuncta exeant.

Haud tamen eodem ubique modo. Vulnera instrumento in Abdomen inflicta, plus periculi habent effundendi cavum in ventrem stercoris, & semicocti chyli. Docet id notabile exemplum a *Mangeto*, ut teste autopte, relatum hominis, qui sic triangulari instrumento sauciatus, ut vermes excrementaque sinistro inguine exirent, sexto demum post decimum die moriebatur; idque exhibebat præprimis memorandum, quod Intestini Coli labia jam tum undique, firmiterque, & exacte, cum vulneris labiis coïvissent: unde mors unice inde ipsi contigerat, quod fæces intra ventrem pulsæ essent, priusquam perficeretur expositus mox coalitus, sæpe sat cito, ut datis exemplis constitit, contingens.

§. XXI. Atque ita Prognosis, pagina 304. petita, & dilata hucusque, formari demum potuit.

Prognosis igitur primo fert summo semper in periculo eos versari, quibus intestina, potissimumque tenuia, aut vulnerentur, aut gangræna aperiantur: cum, vel integra aperti Intestini cohæsione cum Peritonæo nondum facta, fæces, crudusve chylus, intra cavum abdomen dilabi, certumque proinde efficere interitum queant; vel etiam, fæcibus quidem extra Inguinis aperturam prorumpentibus, gangræna vero in sphacelum jam conversa, late nimis diffusa per Intestinum corruptio sit. Hacque lege veridicus agnoscitur *Hippocrates*, qui morbum non indiscriminatim Intestini cujusque, sed Intestini *tenuis*, ut determinate utroque in Aphorismo loquitur, θανάσιμον, vel θανατῶδες, appellans, eum valde periculosum esse indicavit. Confirmant hanc Strages, quas adeo multiplices omni tempore solet descriptus hucusque morbus

bus edere. Et si per Διακοπὴν intelligere debemus vulnus usque ad fundum omnia penetrans, & dividens, ut supra constitit, etiam vere pronuntiavit Intestinum ipsum post διακοπὴν non coalescere libero, ut antea, modo; cum illud facie anteriore uniri cum Peritonæo, & reliquis læsis in vulnere partibus, iisdemque firmari, obturari, suppleri que, ex observatis chirurgicis & anatomicis constet. Ut profecto inique admodum in *Hippocratem* ii Autores declamarint, qui numerosi, illum hac assertione vehementer errasse, asseverarint.

2do Eorum, qui inde non pereunt, multos dari, quibus sanitas omnino integra non redeat, aperta manente inguinis, ventrisve, alicubi apertura, per quam, ceu anum, natura suas spurcities, fœtore abominabiles, hominemque per omnem vitam humana societate fere privantes, de corpore eliminet.

3tio Horum nonnullis alvum nunquam ultra per anum emitti, imo in Intestinum Rectum & Colum, utpote collapsum, enemata immitti amplius non posse; ut *Vaterus*, *Bleigni*, &c. habent: nonnullis vero manere aliquam sive fœcum, sive materiæ mucosæ, tenacisve, per Intestinum Rectum excretionem; ut *Acad. Reg. Sc. anni* 1701. *Platerus*, *Hildanus*, *Bleigni*, *Palfinus*, *Cheseldenus*, *Albinus*, viderunt.

4to Reperiri etiam, quos Artifices peritissimi, adductis ad aperturam vulneris ambabus separati Intestini oris, invicemque unitis, atque ad vulnus alligatis, ita percurarunt, ut continuaretur canalis intestinalis a summis ad infima usque, & alvus lege naturali deinceps semper processerit.

5to Passim his, qui integre curati, adeoque ad perfectam sanitatem rediisse perhibentur, Intestinum manere loco læsionis angustius, prætereaque ad locum vulneris adfixum & connatum, ob idque caussam pravorum quandoque symptomatum, imo leti ipsius

ipſius exiſtere: conſtare quippe ex hiſtoria Medica, & confirmari notabiliſſimis exemplis, anatome demonſtratis, ab egregio *De la Peyronie Tom. I. Act. Acad. Chir. Par.* truculentiſſimos dolores Colicos hinc naſci, dum Inteſtina materie aut flatibus nimium turgeant, ſpasmisque torqueantur; imo vi ſpasmorum, aut impletione nimia rerum indigeſtilium, Inteſtinum ad locum adhæſionis dilacerari, & abdomen fœcum impletione letali turgere. Accretionem hanc Inteſtini cum abdominis partibus confirmatam *Heiſter* vidit, in femina eadem, quæ integre ſana ab operatione *Ramdhorii*, (vid. pag. 307.) anno poſthac pleuritide occubuit. Unde id hominum genus ſemper de hiſce præmonendum eſt. Atque hiſce omnibus ita conſideratis, clare patebat in femina noſtra Prognoſis. Vel enim morituram gangræna partis affectæ; vel gangræna abdominis, ſi forte inteſtinum in toto vulneris ambitu necdum hæreret exacte cum Peritonæo, ita ut in cavum ventrem fœces a ſuperioribus deſcendentes, facile & ſubdole dilaberentur: vel victuram quidem, ſed cum moleſta in inguine ano: vel curandam integre quidem, attamen cum proœgumena permanente cauſſa variorum morborum, ni caveret ſibi, imo & mortis. Videatur ſuper his omnibus Ill. Præſes, *Cap. de Vuln. Abd.*

§. XXII. Indicatio fuit vires conſervare, auferre impedimenta conſolidationis, vulnus purum, atque ab aëre tutum, molle & humidum conſervando, alimenta eligendo ea, quæ quotidiana experientia docebat omnium minime per aperturam exire, & alvum propterea liberam clyſmatum ope perpetuo ſervare. Enemata enim, formidanda, ut ſupra vidimus, quando Colum apertum, necdum agglutinatum eſt, ne in cavum abdominis cadant, hic tuto injecimus, eo, quod Ileum læſum crederemus.

Vidimus his ſcopis conferre alimenta facilis dige-


 ſtio-

ſtionis, & cum conſuetudine plebejorum convenientia. Jus carnium præprimis indicatum, omnium maxime vulnere diffluebat; uti &, quæ ſiti ſedandæ neceſſaria, aqua. Hinc Cerealia, ac Farinacea varia, incocta juribus proderant, & aquæ potus ita moderatus, ut parva admodum copia ſumeretur, & ſitis potius emulſis ſedaretur ſpiſſioribus. Uſus demum docuit alimenta ſolidiora, pauca quidem copia ſimul, ſed repetita, omnium maxime ad conſolidationem facere. Præſertim ſi jaceret mulier tota fere die in lecto. Ulcus interea tectum primo fuit cataplaſmate emolliente; deinde Emplaſtro *Diachyli* cum gummi, ſuperpoſito cataplaſmate, poſtea emplaſtro defenſivo rubro, tandem eo, quod dicitur *Fernelii ad rupturas*. Tertio menſe potuit ſine nocumento aliquantum ſedere, tandem & ſurgere, ambulare, operari, ſine incommodo. Advertimus porro haud ſimul & ſemel ulcus clauſum; ſed ita, ut primo per 1. 2. dies, dein per 4. vel 7. clauſum eſſe videretur, ac poſthac denuo aliquot extillantibus guttulis humeſceret. Contigit ſic, ut mulier hæc intra binos menſes curata dici potuerit, excepto hoc repetente aliquoties ſtillicidio; curata vero integre perhiberi non potuerit niſi menſe inchoante ſexto, quando levis hæc ulceris veluti ſudatiuncula ceſſavit, non reditura. Juvit ad integram conſolidationem vinum marte & cortice peruviano medicatum.

§. XXIII. Symptomata aliena nulla ſe junxerunt morbo, toto curæ tempore, niſi tuſſis, cujus nulla indagari cauſa potuit, morigera tamen demulcentibus ac paregoricis. In homine *Pfaffi* pag. 308. notavimus tuſſim moleſtam atque violentam. Et *Albini* miles pag. 307. tuſſi vexabatur, quotieſcumque aërem frigidiuſculum ad nudum Inteſtinum admiſiſſet, nec antequam recaluiſſet ſedanda. Obſervando

do potius hæc discimus, quam Physiologice explicamus. Neque Intestina, Mensenterium, ac variæ abdominis partes duntaxat, hanc observationem suppeditant, verum & aliæ plures. Ventriculi morbi dantur, quos pertinax tussis comitetur; mox his curatis evanida. Et quisnam subinde, meatum auditorium scalpendo, haud tussiat? Acriorem, pertinaciorem, & ad omnia rebelliorem tussim observavi nunquam, quam in Puerpera olim; attamen, ejecto pudendis corpore oblongo, calloso, veluti incantamento curatam. In diagnosi, prognosi, ac cura morborum, observationes ejusmodi usum habent. Bis diarrhæam passa est, Rheo, & Lysimachia victam.

§. XXIV. Egressa demum nosocomio est, pinguis & torosa; id quod in ægris nostris toties observantes, minus remediorum vi tribuimus, quam vitæ, ab omni cura & sollicitudine vacuæ, somno pleniori, quieti, optimo alimento.



CAPUT XVIII.

Varia.

§. I. *Puellæ, Atresia laborantis, de qua anno* 1761. *cap.* 8. *a pag.* 115. *ad* 118. *Historia completa.* §. II. *Quædam de utero gravido.* §. III. *De Calorem generantibus causis aliis præter attritum, imo absente attritu.* §. IV. *De Observationibus clinicis Nosocomii.* §. V. *De* Febre Hæmorrhoidali, *deque Observationibus Nosocomii circa* Hæmorrhoidas. §. VI. *Ad Quæstionem de Bezoardicis remediis, toties a gravissimis Practicis explosam, jamque nihilominus renovatam, Responsio.* §. VII. *Nonnulla de Mistura* Viennensibus *dicta* Hoffmanniana. §. VIII. *Quædam,*

dam, quæ ad C. XV. §. V. *omissa fuere.* §. IX. *In quosdam Criticos.*

§. I. Quæ *Atresia* laboraverat puellæ historia anno superiore data est, sed incompleta, felici exitu terminata fuit. Tumores in abdomine varii, copiosaque in Vagina callositas, methodo interna, externaque ibidem enarrata, atque ad Octobris circiter exitum continuata, sensim fusa sunt, mensesque rite fluere interea ceperunt: ita ut perfecte sana die 5. Nov. 1761. domum perrexerit, & hoc mense Septembri proxime elapso ob ventriculi vitium me conveniens, testata sit menses sibi copia ac tempore debitos adesse, nullosque aut in ventre tumores, aut nullam ad pudenda superesse callositatem. Novo sane argumento Corticis peruviani præstantiæ; licet enim alia remedia præter hunc dederimus, prout superiore parte descripsi, tamen justo cuique rerum æstimatori evidenter adparebit Cortici potissimum adscribendam victoriam esse.

§. II. Cum anno superiore de viscerum cavorum dilatatione agerem, eademque nunc incrassari, nunc extenuari, nunc ejusdem manere crassitiei in dilatatione, ostenderem, evitari non poterat quin sermo incideret in uterum, veluti cavorum viscerum fere principem, propriaque observatione typis necdum edita, quod de eo domonstratum esset, confirmantem. Addam propterea, quam præsens annus academicus suppeditarit, novam confirmationem.

In tertium mensem gravida vapulat a marito, pedibusque ad hypogastrium conculcatur. Venter posthac ratione graviditatis crevit quidem, sed admodum inæqualiter: ita ut dextro hypogastrio ille sensim tumidior, ac tandem sub menses ultimos admodum

dum turgens obſervaretur, ſuſpicioque Gemellorum, quorum in medio alter, alter ſiniſtrorſum, locatus eſſet, animis innaſceretur Obſtetricantium. Denique 31. Jan. hujus, quem vivimus, anni, partus ingruere dolores. Recte tum uterum ſitum, tum fœtum, arbitrata obſtetrix, prægnans ſerio cooperaretur, adhortata eſt. Cum autem minime promoveretur partus, alia obſtetrix, & tertia, & quarta, atque ordine hoc & octava vocatæ, ſocordem eſſe, quod cum Natura fœtuque haud cooperaretur, parturientem clamarunt. Unde tandem inhumanus maritus, duplex, ut patebit, homicida, verberibus illam, quo cooperaretur, adegit. Illuceſcente inanium partus dolorum ſeptimo. eidemque fatali die, optimæ ſpei Studioſus, inque arte obſtetricia magnæ dexteritatis D. *Hopf*, invenit in ore uteri humerum infantis, & ſecus illum funiculi partem, portionemque placentæ. Cum educturus infantem, hæc omnia loco movere deberet, ac ferme removiſſet, ſubita ingensque hæmorrhagia feminam ſuſtulit.

Adductum mox ad me uterum examinavi. Facie anteriore ſectus ille, infantem eximendi gratia, diſtentus manſit, ubique fere pollicis habens craſſitiem. In perſciſſa transverſim hac craſſa ſubſtantia vaſa inventa numeroſa ſunt, anguſtiora, ampliora, & quæ calamum ſcriptorium facile caperent, nonnulla, omnia autem fere vacua. Neceſſe porro fuit ut hæc ipſa vacuitas, & tempeſtatis frigus ingens, horum vaſorum lumen, uterique craſſitudinem, multum imminuerint. Quo loco placenta fuerat, cernere erat veſtigia multa lacunarum. Idque notabile præprimis, quod uterus in ambitu placentæ fibras muſculares referret bene multas; cujusmodi fibræ *Ruiſchio* ideam muſculi fætum pellentis, placentamve, generare quondam potuere. Portionem craſſi hujus uteri, demon-

monstrationis ergo, servo in liquore.

Quod vero partum adeo difficilem reddiderat, ac crudele mariti facinus arguebat, erat uteri substantia, dextera sui parte abeuns in Steatoma figuræ fere rotundæ, pendensque pondere medico libras tredecim & quatuor uncias. Ovarium utrumque naturaliter sese, una cum tubis, habebat. Præ enormi igitur hoc Steatomate necesse est uterus & rigidus, & pro parte repletus fuerit, adeoque dolores partus in fœtum directe agere non valuerint; imo potius ipsum Steatoma, urgentibus hisce doloribus, corpus infantis compresserit, neve rite exiret, impediverit.

§. III. Observationes Thermometricas nostras, circa varium gradum caloris, in varia sanorum ægrorumque corporum conditione, ac statu, nec non circa ipsarum calorem gignentium causarum diversitatem, multis hujus anni academici experimentis ita reperiimus confirmatas, ut data dudum de iis sententia undique sarta tectaque videatur. Inter multas observationes, cum prioribus nostris easdem, referenda historia videtur, quæ hac æstate, in Acutis morbis publice tractandis, observata est.

Femina 37. annorum Febre continua putrida laborans, (quæ nobis observata immortalis Coï de fallacia judiciorum in diebus non bonis, cum materia haud rite cocta, veridica omnino esse, usque in quartam hebdomadam, demonstravit;) die morbi 4. 5. & 6. perpetuo conquerebatur de interno calore urente, caloremque 6. 8. 10. 12. gradibus naturali intensiorem in Thermometro notabat; interea dum ego, dum nonnulli Medici adstantes, dum tota Studiosorum cohors, vix unquam in pulsu motum febrilem notabilem palpabilemve, imo potius pulsum bonum, plenum, æquabilem, deprehenderimus; dein die 7. 8. 9. 10. & Thermometrum, & sen-

ſenſus ægræ, & attactus noſter, & febrilis admodum pulſus, calorem magnum una demonſtrarunt. Ut merito putem nihil certius, demonſtratiusque eſſe hac propoſitione: Caloris cauſam indubitato eſſe mutuum vaſorum humorumque inter ſeſe, nec non ipſarum humorum noſtrorum particularum attritum; at vero neceſſario caloris cauſas longe alias, quam hunc attritum, in rerum natura exiſtere; quandoquidem calor tum ad ſenſum, tum ad thermometron, isque & intenſus admodum & diuturnus, toties in homine reperiatur, penitus abſente, omnium votis, attritu. Miror ab iis, qui hujus veritatis teſtes oculati aut fuerunt, aut eſſe potuerunt, haud ita pridem in publica Theſi indirecte eandem oppugnatam eſſe.

Conſtitit quoque, experimentis infinities repetitis, medium horæ quadrantem ſufficere, ad hominis explorandum cum thermometro calorem, additis ad notatum tunc gradum gradibus binis. Solet quippe 1mo calor verus, isque haud ultra augendus, quadrantis horæ ſpatio notari, 2do a ſemiquadrante ad quadrantem binis tantummodo gradibus augeri. Unde liquet ſemiquadrantis ſpatio haberi determinatum caloris gradum, additis duobus. Vix enim ex quinquaginta vicibus ſemel continget, ut hæc regula fallat; &, ſi rariore caſu, ſaltem haud ultra dimidium, integrumve gradum, fallit. Sed hæc ea conditione dicta ſunto, ut thermometrum & bonum ſit, & bene ab initio veſtibus ac ſtragulis tectum, dum ſub axilla ponitur.

§. IV. Obſervationes Clinicæ de Acut. morborum cruditate, de coctione perfecta & imperfecta, de eadem ichoata & completa, de ſtatu morborum, de diebus indicatoriis & criticis, de Metaſtaſi varia, de morbis novis ex præcedente acuto natis, de urina, de pulſu, de reſpiratione, de varia Hypochon-

chondriorum in Acutis conditione, de signis ex habitu corporis petendis, eque variis functionum læsionibus; hæ, inquam, observationes nos demum omnes convicerunt veraciorem in tota Bibliotheca, Scholave medica, Autorem *Hippocrate* non dari. Quod cum ita se habeat, merebitur sane hæc materies, ut Deo vitam largiente viresque, Pars hujus operis octava integrum *Hippocratem*, ad lectos ægrorum demonstratum, & confirmatum, compendio exhibeat; quo demum omnes ad *Hippocratem*, Virosque Hippocraticos, & admirandos, & sequendos, incitemur.

§. V. Doleo ex male intellecta doctrina mea Theses quodammodo erroneas sæpius a Medicinæ Candidatis proferri publice. Amans illos, perpetuoque amaturus, & jam sæpius hac ipsa Parte septima veram meam sententiam paucis elucidavi, & circa quasdam nondum recensitas Theses sequentibus elucidabo.

Propositum iterata Thesi fuit, *Dari Febrim Hæmorrhoidalem*: postremaque vice defendenda simul proposita fuit Hæmorrhoidalis fluxus crebritas, Viennensibus, quam cæteris omnibus, notabilior.

Quid illi nomine *Febris Hæmorrhoidalis* intelligant, id plane ignorare me fateor; ignorabunt forte quoque Thesium autores. Oportet enim hoc nomine intelligant Febrim, vel quæ ab Hæmorrhoidum affectione, obstructione, inflammatione, suam ducat originem, vel quæ Hæmorrhoidum fluxum pro crisi habeat. Porro neutro modo hanc febrim licebit hæmorrhoidalem vocare.

Non priore modo; nam in libro unde hoc nomen mutuati sunt, signa nulla enarrantur prægressæ alicujus affectionis hæmorrhoidalis: e contrario verbis notatur disertis post febrim jam natam, nec raro alterum, tertiumve diem jam numerantem, tumen-

tes

tes demum adparuisse Hæmorrhoidas.

Neque etiam posteriore modo. Narrat enim morbi historia admodum frequentem hanc febrim fuisse, attamen vix esse inventos paucos, quibus aut a Natura, aut ab arte, promotus hic fluxus fuerit: multos vero nisus duntaxat hæmorrhoidales, citra fluxum earumdem, perpessos esse; irritoque hoc nixu, citra alias substitutas, sive a Natura, sive ab arte, evacuationes, cito, integreque convaluisse.

Demus autem, quod dari non potest, a pauco eorum numero, qui in frequenti admodum febre hac fluxum hæmorrhoidalem a Natura, arteve, passi sint, totam febris naturam desumi oportere, ideone *Febris Hæmorrhoidalis* appellanda est? Eodem sane jure inflammatoriam aut acutam quamcumque febrim, vocares Alvinam, vel Mesentericam, quæ alvo judicetur; Renalem, quæ per urinas; quæ emesi, Vomitoriam; quæ sputis, Sputatoriam; quæ catameniis, Menstrualem; quæ post aurem tumoribus, Paroticam; & sic porro. Est igitur loquendi modus, qui e scholis medicis petitus non est: quemque Autores harum Thesium ad lectos ægrorum, me demonstrante, non didicerunt.

Qualisnam ergo est, de qua hæ Theses, febris? Febris est talis indolis, ut similem sui in tota historia medica non habeat: quippe quæ in summa, imo in increscente Cruditate, bonis jam gauderet perturbationibus criticis; quæ irritis, nec per alias excretiones suppletis, ad evacuandum nisibus, brevi totoque judicata esset: cum e contrario perpetua atque æterna Naturæ lex sit, ut Criticæ perturbationes, si profuturæ sint, cocta materie, bonoque die compareant; utque morbi minime judicentur ab irrito ad evacuandum conamine, nisi eidem alia evacuatio conveniens, atque sufficiens succedat; aut nisi, defectu etiam hujus, vagi materiæ morbosæ

er-

errores homines diu torserint, &, multis occisis, demum quosdam post diuturnas ærumnas in vita servent. Quemadmodum in illa Epidemia apud *Hipp.* Epid. Lib. I. pag. 941. 945. *Foës.* in qua nullæ omnino crises observabantur, aut nullæ saltem, quæ id, quod inceperant, perficerent.

Objiciet mihi forte quisquam benigna Resolutione eos fuisse curatos, quibus irrito Naturæ conamine, nec aliunde suppleto, cita contigerit perfectaque salus; adeoque famosam hanc febrim, veluti sui similem in Medicina non habentem, a me describi non oportere.

Verum qui sic censeret, is leges & conditiones benignæ Resolutionis, ad gravem, ad periculosam, ad inflammatoriam hanc febrim, contra omnem Medicinæ legem, experientiamque, adplicaret. Secundo non adverteret idem, hac sua prolata sententia, illico rationem concidere totam, ob quam vocetur febris hæc Hæmorrhoidalis.

Atque hæc de nomine hujus Febris sufficiant. Superest additamentum videre ad Thesin de febre hæmorrhoidali, ultimo defensam, adjectum: „ Et Hæ-
„ morrhoides Viennensibus, quam aliis Nationibus,
„ magis familiares sunt: ut merito de his suspicen-
„ tur sæpe Medici.

Paucis Lectorem hic volo. Nonus jam annus est, quod & in ipsis ægrotantibus, & in scriptis Tyronum in gratiam typo editis, & in Cathedra, genuinam *Hippocratis*, id est Naturæ, tradiderim de Hæmorrhoidibus doctrinam: qua constitit vere Criticas dari Hæmorrhoidas, tum in Chronicis, tum nonnunquam Acutis in morbis, hasque a Medicis attente observandas esse, juvandas, ac promovendas: dari præterea Hæmorrhoidas symptomaticas: dari etiam noxias plane, & perniciosas: tandem autoritate & experientia eos damnandos esse cum Medicos, tum

tum Plebejos, qui omnium fere morborum curam ab Hæmorrhoidibus, vi promotis, expectarent. Hanc meam sententiam Thesibus de hac re publice editis cognitam, Clari Viri, quorum alii calidis in regionibus, alii in frigidis, Medicinam faciunt, literis ad me datis confirmarunt.

Quod autem maxime Medicinæ Studiosos de Hæmorrhoidum apud *Viennenses*, universosque *Austriacos*, natura convincere debuit, numerus est bis mille & ultra hominum, quorum exactissima historia adhuc prostat, qui, ipsis circumstantibus, examinabantur, & quos inter vix quatuor extitere, in quibus ipsa Natura hæmorrhoidum fluxum indicaret. Igiturne, post tantam experientiam, ipsis adstantibus captam, *Viennensibus*, *Austriacisque*, Hæmorrhoides præ aliis familiariores? Hæmorrhoides saltem illæ, quæ se aperiundas clament? Minime; nisi velint eas frequentes hic esse, atque pro crisi notandas, quas, Natura non indicante, Medici & Chirurgi hominibus sponte crearunt: verum tunc nullatenus intellexere me in *Tractatu de Hæmorrhoidibus* docentem, atque omnium sæculorum autoritate demonstrantem, qua demum ratione Medici has considerare, & circa easdem gerere se debeant. Doleo profecto has Theses ipsis inconsideranter elapsas esse, id præprimis veritus, ne qui alibi gentium easdem legant, vel animum in studendo socordem, vel in proferendo aut obstinatum aut malevolum fuisse, suspicentur.

§. VI. Eodem prope modo res habet erga *Febres malignas* dictas, quibus Petechiæ, Miliares, aliave exanthemata, se jungere solent. Propriis ad lectos ægrorum experimentis, numerosa Tyronum semper cingente corona, petitis ac repetitis; libro meo de *Febrium Divisionibus*, (in quo præcipuorum cujusque Nationis, præsertim Germanæ, Medicorum, suffragiis luculentissimis suffultus fui;) nec non *Tomo Rat. Med.* I. *& Parte V.*

demonstratis, Medicinæ Studiosi convicti fuerint oportet de veritate asserti, statuentis malignitatem morborum sæpe a methodo medendi unice gigni; petechiales autem & miliares efflorescentias perquam raro Naturæ curantis esse opus: præcipue dum hæc invictis experimentis confirmata viderunt in spatiosissimo nosocomio Hispanico, ab eruditissimo, sagacissimoque ibidem Medico, discipulo quondam meo laudatissimo, *G. Hazenorhl*, edito tractatu anno 1761. An igitur mirari me non oportuit, quod e schola Viennensi Pathologici prodierint, qui publice edidere hanc Thesin: „ Sed etiam absque calido regimine erumpunt exanthemata, non igitur „ aut febris miliaris, aut alia, a calido semper oritur regimine, aut bezoardico medicamento. *Praxis.* „ Et dubitari potest an unquam a bezoardico medicamento exanthema enasci visum? Profecto cum ejusmodi opinione in ægrorum perniciem nonnulli abuti possent, cogor paucis eandem examinare.

Vera in eo dixere a calido regimine, aut bezoardicis, *haud semper* exanthemata nasci; neque unquam id asserueram, sed *sæpe:* & si non exanthemata, saltem alia frequentia mala. Potuerant, debuerantque meam circa hæc mentem clare percepisse, in *Vindiciis* meis contra Apologiam *Ill. Halleri*; quas *Vindicias*, ut verbo hic moneam, Vir quispiam, æque in Theoreticis, quam in Practicis, præcellentissimus, confirmaturus est, numeroso plane experimento & vivis in brutis, & potissimum in vivis hominibus, multis coram testibus, magnisque suis sumtibus, capto. Hinc hisce non immoror; quæ vero ad Bezoardica, & ad regimen calidum spectant, hæc paucis tangam.

Varii generis Bezoardica sunt. 1mo Bezoardicum *Animale*, confectum ex Hepate & Corde Viperarum, siccatis in sole, inque pulverem redactis. *Lemmery*

mery pharm. univ. pag. 130. Ratione ſalis alcalini & obeſſe in febribus putridis poteſt, augendo, quæ ad putredinem adeſt, diſpoſitionem; & nocere poteſt movendo ſudorem eo morbi in ſtadio, in quo aut nihil movere licet, aut ſaltem non ſudores.

2do Bezoardicum animale aliud eſt *Lapis Bezoar*, præſertim Orientalis. Pluries hunc ad experimentum in Noſocomio revocavi, ſiquidem AUGUSTISSIMA, pro munificentia ſua, promovendarumque ſcientiarum amore, copiam hujus lapidis mihi fecerit. Præter alia experimenta quondam publice capta, hæc 13. & 14. Julii hujus anni cepimus. Lapis nucis moſchatæ minoris magnitudine, per horam in unc. iv. aquæ frigidæ immiſſa, dabat aquam grate amaram. Relicta per 10. horas amarorem eidem aquæ copiæ conciliavit nauſeoſum, & omnibus nobis, quotquot guſtaverimus, abominabilem. Unde merito concluſiſſe videmur infuſionem ita dictam Lapidis Bezoar, cum aqua aliqua aromatica, aut cum vino, uti plurimum fit, remedium movens eſſe, ſtimulansque ad ſudores. Referri huc & Bezoar Occidentalis, Pedra del Porco, Factitius Lapis de *Goa*, &c. &c. ſolent.

3tio Bezoardicum *minerale*, vocant Antimonium fixatum cum ſpiritu nitri; id quod parum calcinatum, corroſivum; quod multum calcinatum, iners; quod juſto modo calcinatum, prodeſſe in morbis poteſt. Bezoardica varia mineralia ab aliis metallis parantur.

4to Remedia elapſo ſæculo, prioreque hujus, quod agimus, ſæculi parte, titulo Bezoardicorum famoſa varii generis erant, quemadmodum apud *Michaëlem*, *Ludovicum*, *Schröderum*, *Herculem a Saxonia*, *Techmeyerum*, *Barbette*, *Etmullerum*, innumeroſque

alios Scriptores medicos, præsertim *Germanos*, legimus. Sic erat v. g. Mistura contracta Bezoardica, sic vocata, binis assumenda dosibus composita ex dr. I. Mist. simpl. Ludovici, & dr. semis Liq. c. c. succinati. Hæc autem Mistura simplex Ludovici sic parabatur: ℞ spir. tart. rectificatissimi p. III. spr. urinosi volatilis, & spir. vitrioli novies sublimati, ā p. I. Totum hoc, cessante effervescentia, misceatur cum spiritus Theriacalis V. partibus, & per retortam destilletur. Si nunc huic simplici dictæ misturæ Camphora, Opium, & Santalum, addebantur, vocabatur Tinctura Bezoardica. Alia quoque Mistura Bezoardica celebris erat hæc: ℞ Aq. Rutæ, Scorzoneræ, ā unc. ij. Mist. simpl. Ludovici dr. I. Spir. fulig. rect. gt. XXX. Syr. Scordii dr. IV. m. pro binis dosibus. Ubi vero post hæc data ad sudores delirium imminebat, dabant sequens: ℞ Aq. Cord. Herc. a Saxonia unc. I. Aq. cinamomi dr. IV. Aq. Theriac. camph. dr. ij. c. c. essentificati, vel, loco ejus, Sal. Vol. c. c. Scrup. I. Salis vol. succ. Grana X. Syr. Flor. Tunicæ dr. IV. Ad sudorem vero una dosi tunc eliciendum dabant Tinc. Bezoard. Ludovici dr. I. cum Scrup. I. spir. c. c. Ad normam porro hanc innumeras invenire est formulas apud Autores supra laudatos, aliosque.

Porro quod omnia hæc Bezoardica in morborum principio data, repetitaque, calorem jam nimium augerent, non movenda moverent, turbarentque coctiones, flos Hippocraticorum virorum, *Sydenham*, *Baglivus*, *Boerhaave*, *De Gorter*, *Ill. Præses*, ipseque etiam clariss. *Fridericus Hoffmannus*, unanimiter sese horum usui opposuerant; veluti malignitatem ita dictam in morbis, ac varii generis efflorescentias, petechias maxime ac miliares producentium,

fo-

foventiumque: quemadmodum videri compendio poteſt *Tract. de Febr. divis.*

Quod *Hoffmannum* hic cum cæteris laudem, perverſe concepta de egregio hoc viro opinio me cogit: ubique enim condemnat regimen calidum, & Alexipharmacorum, Bezoardicorumque uſum; compendio autem capite *de Febre purpuratâ* §. II. „ Quam graviter, inquit, dein calida & alexiphar- „ maca medicamenta noceant, docuit ſane uberius „ experientia, qua conſtat *eadem, cum æſtuoſo regi-* „ *mine*, in cauſa eſſe, quod ingruente primum no- „ vo hoc morbo (miliari) omnes fere perierint, „ quum jam ſub temperata methodo plurimi eva- „ dant. Quin liberalior tantum infuſorum, & de- „ coctorum calidorum potus, ſudorem nimium „ movendo, & ſerum plus juſto exhauriendo, of- „ ficit." Equidem ſuaſit nonnunquam *Bezoardica*: ſed qualia? Scilicet *ſua*; ex c. c. non uſto, Lap. Cancr. Antim. diaph. & Cinnabari. Non ſunt hæc communi notione *Bezoardica*.

Et in *Cap. de Febr. epid. exanth. ſive petechizante:* „ Ex medicamentis, inquit, Alexipharmaca, ſalia „ volatilia, Bezoardica calida & ſpirituoſa, licet „ ceu efficaciſſima vulgo commendentur, plus dam- „ ni, quam emolumenti, attulerunt, præſertim „ liberalius, & cum calido regimine exhibita. Dis- „ ſolutionem enim ſanguinis elementorum promo- „ verunt, & ob id majorem petechiarum fecerunt „ copiam; vel Cephalalgias etiam, anxietates, in- „ flammationes, vel etiam ſudores copioſos, ſuſci- „ tarunt. Quin novimus his ad præſervationem cum „ regimine aſſumtis, MOX IPSO CONTAGIO CORPUS „ fuiſſe affectum.

Et ut innumeros ſimiles locos prætercam, inſtar omnium ille eſt, quem habet *Cap. de Febr. ard.*

„ Notandus vulgaris, admodum tamen perniciosus
„ ERROR PRACTICUS, quo primis statim diebus,
„ liberali manu, essentias Bezoardicas, & Alexi-
„ pharmacas porrigere suescunt MORBORUM AR-
„ TIFICES, AD MALIGNITATEM, UTI STOLIDI
„ PUTANT, A CORDE PELLENDAM. Hæc enim,
„ si sanguis redundat, æstum inflammatorium ma-
„ gis augent, & febrem graviorem, & diuturnio-
„ rem, reddunt; quin si alvus simul diutius clausa,
„ SANGUINEM NIMIUM RESOLVENDO, EXAN-
„ THEMA PARIUNT.

Ut & *Cap. de Purpura Chronica:* „ Multo vero
„ minus . . . essentias & tincturas Bezoardicas,
„ hic morbus ferre potest, sed potius ex illorum
„ usu semper augetur, magisque accenditur. Vidi-
„ mus certe mitioris alias genii purpuram Chroni-
„ cam, febris & vehementiæ symptomatum pror-
„ sus expertem, . . . horum, & regiminis usu IN
„ MALIGNAM FUISSE CONVERSAM. . . . . .
„ Et in genere id quoque pro comperto est Purpu-
„ ram, quo citius, & impetuosius, per medicamen-
„ ta, & calidum regimen expellitur, EO FACILIUS
„ & LEVISSIMA DE CAUSA EVANESCERE, & IN-
„ TERIORA REPETERE.

Magnorum igitur horum Virorum exempla sem-
per in praxi sequutus, ea nunc in nonum annum
Medicinæ Studiosis ita demonstro, ut de veritate
moniti clarorum horum Virorum nullum dubium su-
peresse possit. Et nihilominus, quis credere possit!
ejusmodi reperiuntur, qui schola mea vix egressi,
publice sustineant dubitari posse num a Bezoardico
medicamento natum unquam exanthema sit? Eru-
besco dum Viennæ ejusmodi proponi video, & me
ideo circa hæc explico, ut dum boni practici alibi
hæc legent, noscant saltem ex me non hausta, ex
mea schola petita non esse.

§. VII.

§. VII. Ejusdem propemodum farinæ est, quod in alia Thesi inaugurali circa Misturam ita dictam *Hoffmannianam* est prolatum: „ Mistura Hoffman„ niana haud recte *criminatur* in febribus, non tan„ topere stimulat, ac dragma nitri in libra una ve„ hiculi." Nihil hic, nisi vitiosum, profertur. Etenim 1mo non determinatur copia Misturæ, quam Celeberr. *Hoffmannum* ipsum, varia copia, varia ingredientium proportione, dedisse, ex lectione omnium ejusdem operum constat. Oportuisset profecto prius exacte determinare vehiculi, contentique in eodem dosin, antequam minus stimulans, quam dr. 1. nitri in Libr. 1. vehiculi, statueretur. 2do Autores ejusmodi Thesium in nosocomio non didicerunt nitrum semper hac proportione ad vehiculum dari oportere ægris. Vix quatuor libræ dragmam nitri capiunt, quando a stimulo vel minimum metuimus, præsertim dum ægri copiose bibunt. Sed 3. si mistura hæc, ante natum *Hoffmannum* jam obsoleta, *Hoffmanniana* debeat vocari, per me licet, nam & sic cum cæteris ipse soleo; modo *Hoffmanni* prudentia, & circumspectione, adhibeamus eandem. Optimus enim ille Vir curam tradens *Febrium continuarum putridarum*, curam *Febris ardentis*, curam *Inflammatoriorum quorumcumque morborum*, vix hujus misturæ, eive similis, meminit; longe alia, eaque sæpe adposita satis, præscribens: interea dum quamplurimi Medici, contra mentem, consuetudinemque *Hoffmanni*, Acutos suos ægros ab ipso morborum principio, perque totum eorumdem decursum, hac mistura infarciunt totos. Tandem 4to quandoquidem Absorbentia acidis saturata, adeoque etiam Mist. *Hoffmanniana*, auxilii aliquando præstantis sint in morbis, quos diuresi curari Natura docuerit, ut nonnullæ sunt Dysuriæ, & quidam cum valido pru-

ritu cutanei morbi, quales eorundem vires in ægris nosocomii demonstravi; facile per se quisque percipit remedium hoc diureticum iis in morbis & damnosum esse posse, & damnosum sæpe esse, in quibus tota Schola Hippocratica cane pejus & angue vetat, quidquid, Natura non indicante, imo repugnante, crudos, ob idque ad motum bonum ac salutarem ineptos, movere possit humores: in eo occupata unice, ut coctionem promoveat, viasque excretorias omnes expediat sic, ut paratas easdem, aptasque omnes, inveniat post coctionem Natura; perque harum unam, pluresve, morbosam eliminet materiem.

§. VIII. Ad male intellectam meam de lata pulmonum cohæsione cum pleura sententiam, utrum scilicet morbifera dicenda illa esset, an non; *Cap. XV. §. V.* respondi: neglecta tamen necessaria animadversione in citationem plurimorum Autorum, qui apud Ill. *Hallerum Elem. Physiol. Tom. III. pag.* 122. vel Lobi, vel alterutrius, vel Pulmonis utriusque omnino concreti, in genere; *& pag.* 133. veluti *integræ cum integerrima respiratione cohæsionis*, testes fuisse perhibentur.

Itaque regero 1mo Cunctorum, qui hic laudantur, Autorum numerum valde exiguum esse, præ numero illorum, qui hanc adhæsionem sive aliquam, sive integram, morbosam notaverint. —

2do Haud vero omnes illos Scriptores id testari, quod testati esse Ill. Viro *Hallero* videantur.

Primo enim Juvenis apud *Ill. B. van Zwieten*, *Comm. Tom. I. pag.* 510. non habuit adhæsionem dimidii pulmonis, ut *Hallerus* scribit, sed dextri pulmonis tantummodo *medii lobi*. Addere necessario hic debeo, Ill. Præside notante, juvenem, ante fatalem Apoplexiam, Hæmoptoïcum fuisse.

Se-

Secundo, quæ ex *Actis Haarlemensibus* notatur cohæsio, *sinistri* quidem totius pulmonis fuit, sed non gesta inculpate. Additur enim respirationem fuisse a novem & ultra mensium spatio *valde impeditam*.

Tertio inter illos, qui integram cohæsionem cum integerrima respiratione observaverunt, recenseor & ego, *Rat. Med. Tom. I. Cap.* 17. minus æque tamen. Sic namque scripsi ibidem pag. 110. „ Nec „ vitiose respiravit quatuor primis diebus, uti ne„ que post peripneumoniam curatam, nisi sub mor„ tem. Respiratio tantum fuit naturali brevior, „ pulsusque naturali paulo celerior ac debilior, vix „ tamen inæqualis." Præterea operam navaturus omnem, qua juxta leges physiologicas vitæ modum explicarem hominis, qui totum thoracem, pleuram, diaphragma, pulmonem, pericardium, cor, vasa majora, mediastinum, in unum solidum sic concretum habuerat, ut harum partium nulla potuisset seorsim moveri; amplectebar, ut longe commodiorem, illorum sententiam, qui pulmones perpetuo statuunt contiguos pleuræ; & nihilominus rem hanc totam, ut mihi inexplicabilem, cogebar dimittere. Unde profecto qui hac mea historia uti vult, ad probandam integerrimam cum universo accreto pulmone respirationem, tum plus dicit, imo utcumque contrarium potius, quam ego; tum si quid illud prius probaret, consequeretur quoque necessario id, quod omnia mox enumerata viscera partesque, in unum solidum perfecte concretæ, integerrimam & circulationem, & respirationem, non læderent. Quia igitur quod nimis probat, probat nihil, mentio non fuisset hujus casus facienda.

Quarto *Boyleus* inter eosdem numeratur. Verum nec ille *integrum* Pulmonem adhærentem vidit, nec

cum illo integre adhærente *integerrimam* notavit *respirationem.* Ait quippe se vidisse Pulmonem *multis in locis* adnatum, qualisnam vero respiratio fuerit, ne meminit quidem.

Quinto idem testari narrantur *Acta Edimburgensia, Act. Tom. II.* Acta quidem hæc nonnullos incompletos coalitus notant, sed egregii Viri *Waugh*, & *Lowis*, respirationis notabiliter in vita læsæ meminerunt; & ad adhæsionem completam, cujus *Hallerus* mentionem facit, doctiss. *Andrew St. Clair*, respirationem, quamvis æstate mortem præcedente emendatam notet, eandem saltem antea admodum difficilem, atque cum tussi pertinaci, nocturnisque sociatam describit sudoribus: præterquam quod, si quid probaret hæc historia, una probaret, quod absonum, pulmones, ut pleuræ undique adnatos, sic eosdem TOTOS tuberculis caseosis, vomicisque purulentis PLENOS, respirationem integerrimam non lædere. Typographo metam urgente, deficit tempus reliquos laudatos in *Elem. Phys.* Autores consulendi.

3tio. Demum assero multorum in Anatome minus versatorum Sectionibus diffidere, prudentiæ sæpe esse; cum in casuum Collectoribus haud desint, qui inter cohæsionem fibrosam, & aliam sive mucosam, sive inflammatoriam, sive serosam nuncupandam, de qua toties Partibus prioribus egi, quæque brevi ante mortem fit, haud sufficienter interstinxisse videantur. Quos porro si expunxerimus, numerus tandem illorum, qui notabilem integrumve pulmonum ad vicina coalitum, cum illibata respiratione, observaverint, exiguus omnino adparebit.

§. IX. Refutatio á me expectabitur forsitan iniquarum quorundam animadversionum, publicis

No-

Novellis inſertarum, in *Partem VI. Rat. Med.* & in meas contra Ill. *Hallerum* editas *Difficultates* ac *Vindicias*. Verum cum ab una parte harum animadverſionum Autores ſeipſos refutarint, ineptiſſimos ſe demonſtrando, qui de rebus Medicis tolerabile quid proferant; cum ab altera parte, quemadmodum paulo ante monui, eximium opus, meris, iisdemque numeroſis experimentis, Halleriana refutaturum, ad typum paretur, aliusque Vir in Italia celeberrimus ſimile contra *Hallerum* opus paret; æquitas a me hac vice poſcit, ut hos Scriptores publice non proſtituam, ſed ipſis potius ſuam ipſorum craſſam & ineruditam Criticem condonem.



ANTONII DE HAEN

Consiliarii Aulici, ac Medicinæ Practicæ, in Alma ac Antiquissima Universitate Vindobonensi, Professoris Primarii,

PARS OCTAVA

RATIONIS MEDENDI

IN


NOSOCOMIO PRACTICO VINDOBONENSI.




LUGDUNI BATAVORUM,
Apud PETRUM VAN DER EYK,
MDCCLXIV.

ELENCHUS

CAPITUM



RATIO MEDENDI
IN NOSOCOMIO PRACTICO VINDOBONENSI.



CAPUT XIX.

Varia de Sudoribus in Morbis acutis.

§. I. Hippocratica *tota noſtra Methodus eſt.* §. II. *Longus* Hippocratis *textus ex* Progn. *limitatur*, & *ſuis exceptionibus traditur*, *ex ipſo* Hipp. §. III. *Morbi nomina exemplo* Hipp. *quærenda.* §. IV. *Quæſtio an ſudor in ægra noſtra 7. die contingens, Criticus eſſet, nec ne, utrinque agitatur. Quandonam ante ſudorem criticum rigor præcedat oportet, quandonam non? Licet ſudores optimi ſint prægreſſi, nihilominus in alios morbos incidere ægri, imo & in mortem, poſſunt. Ea occaſione exponuntur quidam textus* Hipp. & Gal. §. V. *Multi iterum textus* Hipp. *de ſudoribus continuis aut frequentibus explicantur, triſtique confirmantur exemplo.*

§. I. Hippocratis methodus ea noſtri Noſocomii eſt; Hippocratis eſt, quam ad lectos ægrorum ſequimur, norma: non proprie quia ejus, ſed quia purum eſt Naturæ ſtudium, nullis aut innixum, aut ſociatum hypotheſibus. Uti ad hoc demonſtrandum plura ſpecimina toties dedi, ſic

etiamnum, quo Medicinæ Studiosis hæc norma maneat alta mente reposta, & quo promissis, Parte septima de totius doctrinæ Hippocraticæ adornando compendio datis, stare incipiam, notabiliora quædam referam.

§. II. De sudoribus ad lectos ægrorum frequens sermo est; qui, ut Hippocraticæ doctrinæ accommodandus, textum Prognost. Libri ut basin agnoscit. „ Sudores optimi quidem per omnes morbos acutos, „ qui diebus judicatoriis contingunt, & penitus fe- „ bre liberant. Boni vero quicumque toto corpore „ orti, ostendunt ægrum facilius ægritudinem ferre. „ Pessimi autem frigidi, quique circa caput tantum- „ modo, faciemque, & cervicem, oriuntur. Ii „ namque cum acuta febre mortem, cum mitiore „ vero morbi longitudinem, præsignificant: qui & „ per totum corpus eodem modo, quam secundum „ caput, fluunt. Qui vero Milii formam referunt, „ & circa cervicem tantum pravi, boni autem qui „ guttatim, & exhalantes, contingunt. Atque hoc „ in totum de sudoribus animadvertendum est, quod „ nonnulli ex dissolutione corporum, alii vero ex „ vehementia inflammationis oriantur." Et Coac. n°. 572. „ Sudor optimus sane, qui febrem die judi- „ catorio tollit; utilis autem & qui allevat; malus „ vero frigidus, & ubi caput duntaxat, & cervix „ insudat. Nam & temporis diuturnitatem & pe- „ riculum denuntiat."

Dum ad hunc textum doctrinam clinicam accommodamus, semper memores sumus legis ejusdem nostri in Arte Dictatoris, qua Naturæ aberrationes & exceptiones attendere caute jubeat, doceatque etiam bonis cum sudoribus morbos nonnunquam aut letales, aut longos, fieri; tum & defectum sudorum bonorum ita aliunde suppleri, ut & citum sequatur, & tutum judicium. His cautelis progressi, quousque Artis

Artis præcepta indubitata, quousque dubia *Hippocrates* eadem tradiderit, intelleximus. En porro exemplum.

Femina 26. annorum, febre continua acuta, una cum repetentibus sæpe doloribus capitis, atque pectoris, decumbens, die morbi quinto ad nosocomium nostrum adducta est. Maculas subpurpureas paucas in pectore mox in illa deteximus, ad dorsum, in ventre. Subdubitantibus Medicinæ studiosis num forte pulicum morsus non forent, paulatim constitit ejuscemodi non esse: 1mo. Quia sæpissime in morsu pulicum punctulum distinctum rubicundius reperitur, lætior in ambitu rubedo. 2do. Quia sensim loca pallescunt, ut paucis postmodum horis, saltem die altera, aut vix, aut nulla, reperias vestigia. Nihil tale in hac ægra; nam & maculæ hæ integra, quam occupabant, plaga rubræ æquabiliter, & centro conspicuo carentes, nec ante diem morbi 12. evanidæ; an ad Petechias ergo referendæ?

§. III. Quærebatur morbi nomen? Acuta febris cum cephalalgia ad Phrenitidem sæpe referenda est, præsagitve saltem illam; eadem cum laterum dolore, ad Pleuritidem. At vero utriusque loci dolor, nec perseverans, neque explens pleuritidis aut phrenitidis definitionem, relinquebat nobis acuti solam febris ideam. Igitur morbum vocavimus febrim continuam putridam, imitati Magistrum, qui Epid. 1. historiam *Cleonactidis* sic infit: „*Cleonactidem*, „ qui supra *Heraclium* decumbebat, ignis, id est fe- „ bris ardens, vehemens ordine vago prehendit: do- „ lebat autem ab initio capite & sinistro latere." Quemadmodum igitur ille morbo, quem vagi capitis laterisque dolores ab initio concomitabantur, nomen febris ardentis servaverat, ita & nos nomen synochi putridæ.

Secundum indicationem, in simili morbo forman-

dam, bis ipsi Vena secta est, data alimenta, potulenta, medicamenta, qualia ejusmodi ægris *Tomo I. Rat. Med.* nos dare solere descripsi. Sudor eam die septima prehendit, isque calidus, universus, copiosus, sex horarum spatio, tam insigni cum morbi levamine, ut post placidam noctem, sola superesset capitis gravitas die octavo; febre prorsum cum cæteris exulante symptomatibus.

§. IV. Quærebatur essetne judicata ægra διὰ τέλεος?

Utique dies criticus erat, & qui pro crisi sudor optimus. Aphor. 4—36. Morbi autem conditio hæc erat: Cruditatis signa urina habebat, alvusque, usque ad initium sudoris: interim ipsa febris post ultimam missionem sanguinis cujusdam coctionis signa tulerat, perque illud ipsum remissionis tempus somnus inquietior, subdelirium, levis nausea, criticam quandam perturbationem subinsinuare potuerant, maxume cum brevi post sudor tantus, tantoque cum levamine, sequeretur.

Verum defuerat rigor ante sudorem. Rigorem autem sudores criticos præcedere oportere, *Hippocrates* lib. I. Epid. in *Cleonactidis* historia, in qua admirando Laconismo suo sylvam observationum integram comprehendit, nos docuit. Simulque retulit, eo quod rigor ante sudorem defuisset *Mulieri, quæ in littore habitabat*, licet ipsa post sudorem febre omnino vacaret, tamen quinto febris ardentis die symptomata rediïsse cruditatis, nec sanatam ægram, nisi ad undecimam obrigescens, nova febre corriperetur, ab eaque tandem die decimo quarto judicaretur vomendo, sudando. Quare eodem libro I. Epid. pag. 915. edit. Foës. „Plerique ægrotantium circa Crisin ri-„gebant; ac præcipue ii, quibus non fluebat de „naribus sanguis: rigebant autem hi, & sudabant."

Hinc in *Zoïli* Historia pag. 1023. „Nescio," inquit,

inquit, „ quomodo ille ſine Rigore judicaretur." Et dein ſudores non decernentes enarrans, ſubjungit: „ Absque Rigore eſt die 14. judicatus." Oſtendit tamen poſtea, quam imperfecta ejusdem judicatio fuerit.

Itaque defectus rigoris de ſudoris jubebat dubitare bonitate, ad criſin ſufficiente; ab altera parte conſulenda erat, quam de ſua ipſa regula fecerat *Hippocrates*, exceptio. Quippe refert Epid. 4. pag. 1131. „ *Menandri Vinitorem*, non eſſe, ut quidem ſororem „ *Timenæi*, rigores paſſum, quamvis judicatione ab- „ ſolveretur, eo quod alvum perturbatam, ac liqui- „ dam, ab initio morbi habuiſſet."

Ad hanc exceptionem explicandam juvat decimus, isque obſcurior, textus libri VI. Epid. cum *Galeni* explicatione. Textus ſic habet: „ Ante rigo- „ rem Urinarum ſuppreſſiones; ſi cum bonis ſignis „ proceſſerint, & alvus dejecerit, ſomnique affue- „ rint." In quem *Galenus* dum hiſtoriam *Menandri* elucidat: „ Igitur ſi alvus plura dejecerit, Urinæ „ ſuppreſſæ fidere non convenit ad futurum rigorem „ præſentiendum: at ſi alvus fluxa non ſit, proxi- „ mamque eſſe morbi judicationem prænoveris, æ- „ grotum rigere, ſudareque, neceſſe eſt."

Cum igitur ægra noſtra, quemadmodum Vinitor *Menandri*, perturbatam aliquomodo ac liquidam habuiſſet ab initio alvum, judicatio æque bona & perfecta, quam illa *Vinitoris*, cenſeri poterat. Verum ita cenſendo non fuiſſemus mentem *Hippocratis* rite aſſequuti. Crebritate enim obſervationum ille didicerat haud modo, qui horrore præcedente caruiſſent, verum etiam qui illum præcedentem habuiſſent, ſudores, incertæ prognoſeos eſſe, donec ſtatus inſequens judicationis confirmaret certitudinem: quippe integre judicari quandoque ægros ſudorum horum alterutro, unicâ; ſæpe alios repetitâ vice; imo non

 ſemper

ſemper inde ne a morte quidem ægrum præſervari; Ita *Charion*, ex potus abuſu in febrem ardentem lapſus, licet die 7. poſt rigorem acute febricitans, diffuſoque per totum corpus ſudore manans, certo quodam modo judicatus videretur, nihilominus die nono novum inſultum paſſus eſt; & graviorem die 14. cum ſudore; aliumque die 17. novo cum rigore, febre, ſudore; ac tamen non niſi 20. die (quo demum modo non narrat,) abſolute judicatus eſt. Et *Dromeadæ* uxor, licet ter ſudorem cum rigore experta, nihilominus 6. die periit.

Igitur toties horum omnium exempla auditoribus in noſocomio demonſtrata, in pronuncianda ſententia cunctari omnino jubebat. Docuitque eventus haud inanem fuiſſe cautelam. Ægra noſtra die 8. 9. 10. calido balneo crurum inſidens, vomuit. Urinam hypoſtaticam die nono miſerat. Die undecimo alvum coctam, bilioſam. Die 13. vix veſtigia macularum. Die 14. optime ac blande purgabatur ab unciis quatuor aq. Lax. Vienn. noctemque dato paregorico transegit tranquillimam. At vero die 15. febre invadebatur tanti caloris, ut 104. gradum Therm. Fahrenh. æquaret; qualem febris in illa necdum attigerat. Die 16. mane calor 106. veſpere 109. gradus notabat. Vomitus interea, dura alvus, urina jumentoſa. Die 17. febris cum cephalalgia, vomitu flavo, flava alvo, ac pultacea, quater miſſa. An tandem vomitu judicata alvoque? Fere quidem; integre autem nondum. Etenim diebus inſequentibus cum urina hypoſtatica vires rediere, pulcreque reſtitutæ ſunt functiones; caput autem vertiginoſum manſit, & hebes, & grave. Unde purgans cum paregorico repetitum: nihilominus a die 23. vagi obſervabantur colici dolores, noctu quam inter diu graviores, vomitusque frequentes. Et hinc, & quod oculorum album id innueret, & quod brevi ante ægri-

tudinem

tudinem vermes bis ore expulsisset, haud immerito vermium nata suspicio est. Datis ideo cum antihelminticis, tum purgantibus, demum sanitatem integram 34. die adepta est.

§. V. Atque hæc de sudore critico; de eodem vero aut continuo, aut frequenti, paucis videamus. Sudores frequentes aut continuos, vi productos morbi, nunquam in Nosocomio salutavimus salutares, sed vel in mortem, aliosve in morbos tendentes, vel demum, hisce cessantibus sudoribus, animadvertimus aut per alias vias, aut per bonum sudorem, febres judicatas.

Confirmatam proinde ubique Hippocraticam veritatem conspeximus. Epid. 1. *Erasino*, qui 5. die morbi sui periit, febres aderant ad mortem usque cum sudoribus. Et Epid. 3. ægr. 4. *Phreniticus homo* primo die habuit sudorem copiosum, assiduum, toto corpore dimanantem; ita & die altero, & tertio, cum symptomatibus gravibus, quarto vero periit. Cur *Euxeni* uxor, Epid. 7. pag. 1224. septimo post remissionem die obiit? Sudores affuerant ab initio per totum corpus; iterumque morbo medium agente cursum. Cur *Nicolai* filius die 7 mortuus? Quia præter alia symptomata prava notat Hippocrates Epid. 7. pag. 1234. illum per morbi crudum statum bis sudasse. Cur *Philiscus* Epid. 1. pag. 966. die 6. cum sudoribus frigidis extinctus? primo ac tertio crudi morbi die sudaverat.


Sic viri immortalis doctrinam intelligimus, quam diversis operum suorum docuit locis. Prorrh. 1. text. 58. „ Sudor in febribus acutis copiosus malus „ est." Et mox initio 2. Epid. „ In siccis calori„ bus magnis, febres ut plurimum circa sudorem; „ sin vero ipsis durantibus leviter ac guttatim plue„ re ceperit, febres eædem jam ab initio sudores „ copiosiores, difficilioremque crisin, quam alias,

„ habent: licet tamen haud ita difficilem, quam si „ a morbi ipsius ratione, aut natura, profluerent." In *Phrenitico*, in *Euxeni* conjuge, in filio *Nicolai*, in *Philisco*, veritas constitit effati Hippocratici Coacar. n°. 574. „ Qui una cum febre incidit sudor, „ malus est." Et quidni? Τὰ κρίσιμα ἐς βελτίον μὴ αὐτίκα ἐπιφαινέσθω, dixerat Epid. 2. sect. 2. „ Haud ilico cum morbo appareant ea, quæ in melius judicent." Et quare non debent hæc ab initio apparere? Respondet ibidem pag. 999. Τὰ προκρινόμενα ἢν ὠμῶς κριθῇ. „ Quæ in cruditate præmature judicant, „ morborum recidivas faciunt, & si non has, tunc „ Crises aut malas, aut nullas: quin & si copiosiora, perniciosa sunt."

Ex quibus liquet quantopere & *Hippocratis*, & nostræ experientiæ, illorum Medicorum adversetur methodus, quæ ab initio ad excretiones quascumque, potissimumque sudoris, vires intendat omneis; methodus, inquam, quam optimus *Boerhaave* adeo damnavit Aph. §. 715, 716. „ Sudor," inquit, „ *in* „ *initio* acutæ febris cujus causa paullo pertinacior „ —— si perennat, orbat sanguinem liquido diluente, reliquum inspissat, obstructiones facit letales; sanguine postea vix diluentibus, vel resolventibus auscultante; unde omne fere acutorum „ genus produci potest." Longus forem omnîa, quæ in hosce binos textus *Boerhaavii*, ut & in 610. ac 698. *Illustrissimus Commentator* habet, referendo: sufficiat monuisse cuncta eo collineare, ut penitus condemnet cum *Boerhaavio* lecti, conclavis, aëris, medicamenti, calorem, in communibus, quorum causa pertinacior est, acutis; & ut multis, potissimumque tribus diversis in locis, resumat æternas *Sydenhami* laudes, „ quem, ait, generose, animose, ausu generoso, se solum fere, primumque, „ communi torrenti opposuisse."

Triste

Triſte hujus exemplum vidit Noſocomium quondam. Italus homo a primo, ad quintum diem febris, putridæ acutæ, potu Theano copioſiſſimo, lectoque ac cubiculo calido, profuſiſſimos ſibi elicuerat ſudores, a quibus vehementer debilitatus, meam demum implorabat opem. Pergente ſudore die 6. & 7. nauſeas paſſus eſt, ventrisque dolores, die octavo copioſiſſimam alvum, ab 8. die ad 10. qua mortuus eſt, perpetuos ſudores. Mala utique arte infelix homo per primos quinque morbi dies crudam moverat materiem, ſanguinemque exſiccarat; unde die 6to. criticorum infidiſſimo, ad ventriculum & inteſtina materiæ morboſæ perturbatio nata; octavo die, non critico, evacuatio quidem alvi flava ac copioſa, ſed ceterum ſanguis adeo ſpiſſus, ut tranare per minima non potuerit, debilitasque obſervaretur tanta, ut nec movere artus, nec in lecto ſe erigere, citra animi deliquium, poſſet; ac præterea, ab octavo die ad mortem usque, ſudor a ſanguine ſic condenſato, ut aquoſa epota haud ultra ſecum commiſcere poſſet, perpetuus manaret. An palpabiliore teſtimonio doctrinam datam poſſumus confirmatam videre? Caput XXI. funeſta exempla plura ſuppeditabit.



CAPUT XX.

Varia de Criſi morborum.

§. I. *Obſervationes* Hipp. *de morbis ſine Criſi terminantibus; ad Reſol. benignam minime referendis.* §. II. *Ejusdem obſervationes de Criſi perfecta.* §. III. *De Criſi imperfecta cum recidiva.* §. IV. *Ejus mos agnoſcendi Criſes, quæ alios in morbos tendant, imo quæ in mortem: regulæ ejus de Criſeos bo-*

nitate & perfectione judicandi. §. V. *Perfectæ Crises, quæ imperfectæ videbantur, & versa vice. Crises cum perniciosis symptomatibus bonæ. Ea occasione differitur de urinis nigris, quæ per se letales, nonnunquam tamen cum bona Crisi apparuere. Attamen una ægra excepta, quotquot post urinas nigras convaluere, non nisi post plures ærumnas convaluere.* Galeni, *& multorum cum illo, de urina nigra errores hypothetici. Et in chronicis urinam nigram laudamus, factâ bonâ Crisi, formidamus faciendâ.* Pisonis *textus & casus non docent contrarium.* §. VI. *Crises bonæ & perfectæ cum pravis, alio modo, urinis, pravis sputis, &c. Crises malæ, imo mortes, bonis cum sudoribus, cum bona, imo hypostatica urina.* §. VII. *Ad firmam prognosin tamen urinæ bonæ passim requiruntur, ad easque* Hipp. *attendit cum maxume.* §. VIII. *Bonæ ac pravæ urinæ solæ prognosin non formant: jungenda illis semper signa reliqua. Bonæ, insolitæ licet, Crises. Ad generalium regularum exceptiones perpetuo attendendum; ea vero lege, ut haud ita exceptiones consideremus, ac si regulam generalem aufferrent. Pulcerrimum* Hipp. *in hisce exemplum.* §. IX. *Solæne urinæ morbos judicent? Probatur.* §. X. *Difficile sæpe exordium determinare acutorum: quî hic se gesserit* Hippocrates? §. XI. *Agitatur quæstio num, Crisi bona contingente, prædici possit fore eam perfectam, aut non perfectam? Regulæ* Hipp. *omnem hic nobis prudentiam suadent. Morbi sive letales, sive periculosi, nonnunquam formantur insciis ægris, inscio medico. Historia ægrotantis adjungitur, quæ multa confirmat dictorum.*

§. I. Ex *Hipp. Gal. Aretæo Capp.* ceterisque subsequentium Medicinæ Corryphæis, summus in arte *Boerhaavius* dedit nobis succinctam descriptionem cruditatis, coctionis, criseos, evacuationisque

nisque criticæ, in morbis acutis, Inſt. §. 922. 925. 926. 928. & a 931. ad 940. His, ut per ſe perſpicuis, non immorabor, recenſurus duntaxat quas ipſe *Hippocrates*, quas nos poſt illum, exceptiones in norma generali obſervandas deteximus.

Atque ut ab *Hippocrate* ordiar, obſervavit ille 1°. Morborum finem citra Criſin. Libr. I. Epid. pag. 944. tradens illam, quam in *Thaſo* obſervaverat, conſtitutionem morborum, 20. 40. 80. die judicatorum, „Erant etiam; ſubjungit, quibus ne quidem „ ſic, ſed errabunde, & nulla obſervata judicatione, „ febres deſinerent." Eademque in urbe graſſantibus poſtmodum febribus continuis remittentibus, Tritaiophyis dictis, notat „ ægrotantium pleriſque „ febres abſque judicatione deſiiſſe." Praxi Medica in 29. annum occupatus, necdum potui caſum aut obſervare talem, aut demonſtrare.

Cum ſimile quid, raro tamen, poſt *Hippocratem* unus notare alterve potuerit, *Boerhaave* prudenter Inſt. §. 913. „ In morbis acutis, ait, qui in humo- „ ribus conſiſtunt, diſponitur, *ut plurimum*, certo „ tempore, materies morbi ita, ut fiat ſubita muta- „ tio morbi in ſanitatem, vel &c." Quæri poteſt num morbi, qui citra Criſin finiebantur apud *Hipp.*, ad ſanationem per *Benignam reſolutionem* referendi ſint? Verum cum in Reſolutione benigna inter cætera requiratur benigna morbi materies, & in Hiſtoria data ab *Hipp.* materiei perquam malignæ ſigna obtinuerit, ἀκρίσιμοι illi *Hippocratis morbi* per benignam Reſolutionem non explicantur. Eſſetne hæc variarum rationum una, cur *Hipp.* dixerit Aph. 2-19. „ Acutorum morborum ἐ παμπαν, non omnino, non „ abſolute, non citra ullam exceptionem, tutæ „ ſunt prædictiones ſive mortis, ſive ſanitatis?" Etenim ſi nihil critici in morbi ſanatione obſervatur, etiam nihil certi Medicus ad præſentem futu-

futurumve morbi ſtatum, pronunciare poteſt.

§. II. Ut morbos deſcripſerat ἀκρίσιμους, ita deſcripſit multos διὰ τέλεος, δι ὅλου, integre, judicatos. Sæpe adhuc addit: „ Neque morbi eſt facta reverſio." Fatendum tamen eſt neque unum neque alterum ſæpe adjunxiſſe morbis, quos ſimpliciter judicatos tradidit, licet & perfecte, integreque, & citra morbi reverſionem, eſſent judicati. Criſes tales perfectas Noſocomium exhibuit multas.

§. III. Deſcripſit judicationes cum reverſionibus, quæ frequentes admodum ipſi viſæ; ita quidem ut Epid. 1. pag. 956. 957. integram viderit conſtitutionem, in qua nullus ſervaretur, niſi poſt recidivam, reconvaleſcerentque quotquot relapſum paſſi eſſent. Ut *Hipp.*, ut omnes Medici, ita & in noſocomio nos frequentes relapſus cernimus. Eſt alia ratio cur *Hippocrates* in laudato mox aphoriſmo faſſus ſit, acutorum morborum haud eſſe tutas citra ullam exceptionem prædictiones. Sæpe ſæpius cernimus Criſin omnibus numeris abſolutam, integramque poſt eandem brevi redeuntem ſanitatem, dum interea primo, altero, tertio, quaternario dierum elapſo, morbus idem, aut ſimilis, aut prorſum alienus, redeat. Contingitque ſubinde, ut de qua Criſi, num perfectam dicas, valde dubitares, eandem perfectiſſimam ſalutes; quamque arbitratus perfectiſſimam eſſes, hanc doleas fallentem. Ad talia in noſocomio data exempla ipſum hunc aphoriſmum adplicare ſoleo, & una cum Medicinæ auditoribus prudentiam diſco in danda prognoſi.

§. IV. Judicatos *Hipp.* vocat, quibus varia tamen incommoda, eademque ſæpe gravia, poſt Criſin acciderint, imo quorum nonnullos mors abſtulerit. Libr. I. Epid. pag. 956. judicatos appellat, quibus parotides poſtliminio ſuboriebantur; iisque nec dimittentibus, nec ſuppurantibus, vel Diarrhœa bilioſa naſce-

naſcebatur, vel Dyſenteria, vel craſſarum Hypoſtaſis urinarum. *Metonem* Epid. 1. pag. 983. judicatum die 5. pronuntiat, cui nihilominus poſt judicationem pervigilium ac delirium leve nonnunquam affuit, a quibus non niſi crebriore narium hæmorrhagia eſt liberatus. Ibidem pag. 986. *Clazomenium* nobis refert die 20. judicio liberatum, qui tamen ad diem 40. multa paſſus, demum manſit Amblyops. Pag. 958. inter judicatione abſolutos retulerat *Scymni fullonis ancillam*, & *Cratiſtonactam*, quos, licet parotidibus ſuis critice ſuppuratos, mors dira abſtulit. Sic etiam videmus apud ipſum morbi criſin in mortem deſcribi. Et Epid. 3. pag. 1073. *Euryanactis* filiam narrat 6. die judicatam, quæ poſtea, & ut videtur circa 19. diem, legitur obiiſſe. Sane ſi ad conſtantes judicationes perpetuo addidiſſet ſuum *per totum*, ſuum *omnino*, aut *perfecte*; ſi ad imperfectas vel nihil addidiſſet, vel, ut Epid. 1. pag. 973. morbus judicatus quidem, ſed *intermiſit* tantum; hiſtorias morborum ſuorum accuratius traditas *forte* gauderemus.

Haud vero id *Hippocrati* ita viſum, idque merito, eſt. Exemplo hoc ipſo ſuo prudentem cautelam docuit poſteritatem. Dixerat Aphor. 2—12. & *quinquies* in Epidemicis repetiverat: „Quæ in morbis „ poſt Criſin relinquuntur, recidivas facere ſolent." Porro recidivas aliquando letales eſſe demonſtraverat. Hinc mos illi perpetuus invigilandi poſt Criſin ægrotis. Criſin eſſe perfectam ex aliis non noverat ſignis, niſi rerum poſt eandem eventu. Hinc toties addidit οὐκ ὑπέστρεψε. Debuit ergo ſuos in ægros perpetuo attentus fuiſſe, ut vel integra vel imperfecta ægrorum in ſanitatem illibatam conſtantemque reſtitutio, vel mutatio in alium morbum, vel recidiva nonnunquam letalis, ſibi primo innoteſcerent, antequam, quam jam Criſeos nomine donaverat, vel veram, vel perſonatam duntaxat fuiſſe, aſſeveraret.

§. V.

§. V. Dixeram superius crises, quæ numeris omnibus videantur absolutæ, sæpe minime absolutas esse, & quæ imperfectæ admodum adparerent, has integras fuisse rerum constare eventu. Cum id in nosocomio toties visum, operæ pretium erit altius, ac præcipue ex *Hipp.* repetere.

Cum urinis plane nigris & subnigris, seu tenuibus, seu cum contentis quoque nigris, Crises acutorum morborum observamus bonas.

Attamen nihil in praxi Medica certius ac testatius est summa nigrarum urinarum pernicie.

Consulamus hunc in scopum universam Medicinam. *Hipp.* in progn. „Viris, mulieribusque, omnium „pessimæ urinæ nigræ, sicut pueris aquosæ." Et Coac. nº. 580. „Pestifera autem est inter urinas & „quæ hypostasin habet nigram, & quæ ipsa quoque „est nigra: sed pueris pestifera est magis aquosa."

Unde *Hipp.* describens febres ardentes lib. I. Epid. 1. pag. 954. „a quibus plerique omnes moriebantur" addit: „Urinæ his erant nigræ, tenues, „& paucæ." Exemplis præterea urinarum nigrarum pravitatem demonstrat. *Pythio in Thaso*, post urinas primo subnigras, deinde nigras, 10. die mortuus legitur, Epid. 3. pag. 1098. *Mulier in Cyzico* cum urinis nigris tenuibus, deinde oleosis, 17. die periit, ibid. pag. 1114. *Mulier in Thaso ad frigidam decumbens*, 80. die interiit, notante sic *Hipp.* „Urinæ huic perpetuo nigræ, tenues, & aquosæ fuerunt," ibid. pag. 1096. *Adolescens in Foro Mendacium* post urinas subnigras obiit 7. die, ibid. pag. 1076. *Femina in febre ardente post puerperium* 7. die expiravit, urinis 5. & 6. die paucis, tenuibus, subnigris, ibid. 1079. *Philiscus* habet die 3. 4. & 6. urinas nigras, 6. die moritur, Epid. 1. pag. 966. *Erasinum* mors die 5. abripit post urinas nigras. Epid. 1. pag. 984. Abderæ, *Apollonius* in mortem incidit

34.

34. die cum urinis, quas *Hipp.* ſcribit, ex quo ipſum in morbo viderit, fuiſſe nigras. Epid. 3. pag. 1111. *Silenus* morbi die 11. extinguitur, cum toties nigras urinas aliquando cum hypoſtaſi nigra reddidiſſet.

Hinc *Galenus* libr. I. de Criſ. cap. 12. *Charter.* tom. 8. pag. 395. „ Peſſima igitur eſt omnis urina „ denigrata, adeo ut neminem unquam ſervatum vi- „ derim ex iis, qui talem urinam minxerunt:" Exceptiones quasdam adjungit, ſed quæ ad rem non faciant; agit enim *Hippocrates* in his ægris, non de urinarum contentis, ſed de ipſa urina ſubnigra nigraque. Hinc quod Galenus, hoc textu, quod *liber Galeno adſcriptus de urinis*, cap. 20., quod *liber de urinis ex Hipp. Gal. aliisque* ſubjunxere: „ Minus vero perniciosa eſt ſi ſolum id, quod ſubſidet, nigrum „ fuit; atque adhuc minus, ſi ſolum enæorema; ac „ multo minus etiam, ſi nebula:" hæ, inquam, exceptiones locum hic non habent, quandoquidem de ipſa urina nigra ſermonem facit *Hippocrates*, non de contentis.

Equidem negavit omnino *Galenus* urinam nigram exiſtere poſſe, quæ ſimul tenuis eſſet: negarunt idem cum *Galeno* Auctor libri *de urinis Galeno adſcripti*, liber *de urina ex Hipp. Gal. aliisque*, ut & *Theophilus Jatroſophiſta libr. de urinis*, qui omnes libri apud *Charterium* tom. 8. inveniuntur. Et cur negarunt? Quia cauſam nigredinis urinarum hypotheſis illorum ab atra bile deducebat; quæ cum craſſa eſſet, non poſſet urinam nigram ſimulque tenuem exhibere.

Miror *Galeni* aliorumque errorem, miror eorum erga *Hippocratem* irreverentiam. Error eſt craſſum liquorem nigrum non poſſe aquæ limpidæ copioſæ conciliare nigredinem ſic, ut aqua hæc cum nigredine ſit tenuis: atramenti enim craſſamentum exiguum nigram reddit copioſam aquam, haud ablata ejus tenuitate. Hic tamen adeo palpabilis error ſeducere

ducere hos Auctores eo potuit usque, ut, quod tot locis vidisse se testetur *Hippocrates*, non suspiciant, imo se simulent ignorare. Unde recte *Lud. Mercatus* vol. 1. lib. 2. pag. 254. asserit illos omnes urinam nigram posse tenuem esse *oscitanter* negasse, toties nigram ac tenuem demonstrante *Hippocrate*.

Duretus pag. 504. in verba Hippocratis: *Pestifera autem est inter urinas, quæ & hypostasin habet nigram, & ipsa quoque est nigra:* „ Pestifera est inter urinas, „ de qua sperabilis nulla curatio est febris acutæ, „ cujus ardore talis mejendo emittitur."

Quamvis igitur omnium testimonio urina vere nigra letalis sit, idque tot confirmavit *Hippocrates* exemplis, videmus tamen & cum iisdem servatos ægros, & una cum illis crisim bonam factam.

1mo. *Metoni* ad 5. diem judicato urinæ subnigræ erant, tam ante, quam post Crisin. Haud omnino recte *Hippocratem* intellexisse *Foësius* videtur, dum *de Metone* scribit: „ Urinæ istæ nigricantes, etsi ta- „ ceat *Galenus*, non sine magnæ naturæ efficacitate, „ potuerunt esse salutares, ut in acutis morbis con- „ tingit, qui per urinas judicantur, ut multas pleu- „ ritides judicatas scimus per urinas nigras, *crassas* „ *tamen:* & quæ solent urinæ nigræ salutares esse, „ fere crassæ sunt; *tenues* letales." Etenim subnigras urinas, earumque subnigrum enæorema *Hipp.* refert ante crisin fuisse, ergo non crassas, utpote in quibus enæorema non apparet: post crisin vero urinarum cum tenuitate nigricantium diserte meminit.

Epid. 3. pag. 1108. *Mulier in Thaso austera & aspera* habuit ad diem 3. urinas nigras ac tenues, cum enæoremate valde rotundo; eademque nocte perfecte judicata sudoribus est, & catameniis.

Epid. 1. pag. 974. *Herophon*, post nigras tenuesque urinas, est judicatus imperfecte die 9. perfecte autem 17.

Epid.

Epid. 3. pag. 1106. *Heropytus* urinas nigras habuit, & tandem convaluit.

Epid. 1. pag. 979. *Epicratis uxor* judicata est post urinas tenues, ac subnigras.

Epid. 3. pag. 1108. *Nicodemus* 24. die integra judicatione absolutus est, post urinas tenues ac nigras.

Igitur sex exempla apud *Hipp.* prostant servatorum ægrorum, quibus urinæ aut subnigræ aut nigræ fuere: & quod ipse, idem alii magni practici observarunt.

Si *Galenum* per se ipsum explicare debemus, etiam sic censuisse reputandus est. Ipsus enim, qui dixerat, ut vidimus, eorum, qui in acutis nigram minxissent, se servatum vidisse neminem, ille ad casum *Mulieris austeræ & asperæ*, ait: „ Urina licet esset nigra nihil attulit periculosi: quod retenti menses „ essent magis melancholici." Imo in comm. ad *Mulierem quæ ad frig. aq. in Thaso decumbebat.* „ Quandam novi," inquit, „quæ talibus (nigris) „ urinis magna copia evacuatis, ἀφεληθεῖσαν, opem „ perceperit."

Prosper Alpinus lib. 7. cap. 14. *de Præsag.* non malas urinas esse nigras judicat, si cum copiosa hæmorrhagia narium, ut in *Metone*; aut cum largis catameniis, ut in *Muliere austera*, observantur.

Ludovicus Mercatus laudato mox loco: „Tamen „ ad salutem," inquit, „aut ad mortem prædicen„ dam, non est solum nigra urina consideranda, sed „ alia signa salutaria, aut deleteria adjungere opor„ tet, & inspicere an bene exeant, vel male. Nam„ que diffidendum non est interim dum virtus con„ stat, ut statuit *Avicenna*; quantumvis ab omni„ bus urina nigra letalis habeatur."

Prosper Martianus in *Coac.* n°. 580. commentatus, *Mercati* sequitur sententiam. vide pag. 606. edit. Rom. 1626.

Hinc cl. *Rega*, *diss. de Urinis ut signo* „in æstate „ anni 1727. ait, vidi ego hic *Lovanii* duorum æ„ grorum, qui adhuc superstites sunt, urinam per „ plures dies atram valde, cum sedimento quoque „ nigro." Non addendo autem utrum acute an chronice hi laborarint, minus forte probant bina ejus exempla, ut patebit mox.

Sed *Plempius* fund: lib. 5. sect. cap. 5. in acutis malignis nigram urinam quandoque criticam salutat.

Porro inquirendum est, cur uno tempore omnis denigrata urina absolute letalis habita fuerit, alio tempore minus fuerit?

Hippocrates raro ratiocinando, sed simpliciter passim phenomena enarrando, parum quoque hic explicat; nisi quod in febre ardente epidemica, de qua supra actum, narret & plerosque in ea febre urinas nigras habuisse, & plerosque periisse: tum in historiis variorum ægrorum suorum, qui nigra minxerint, aut labores nimios, aut calores ardentes, aut victum pravum, aut Bacchum, Veneremve, morbi inter causas recenseri oportere: denique in nonnullis humores melancholicos esse considerandos.

Numquid hinc celebris illa nata distinctio, quam post *Galenum* omnes magni scriptores practici foverunt, qua causas urinarum nigrarum partim deducerent a cruore per violentiam febrium exusto, partim ab ipso humore atrabiliario, qui quidem ante morbum existeret, vi autem morbi valida moveretur, miscereturque humoribus? Saltem eo collineant omnes ut nigram urinam semper quidem periculosam valde existiment, longe vero perniciosiorem illam, quæ a corrupto, & exassato per ardores sanguine, quam quæ ab humore melancholico orta sit, pronuntient: & cum menstruum sanguinem retentum solerent melancholicum fieri credere, hinc *Galenus* in Comm. ad *Mulierem morosam* supponit ipsi urinas

nigras

nigras minus noxias fuisse; quale quid cum ipso censet *Duretus* edit. Leyd. pag. 498.

Attamen motu humoris atrabiliarii in acutis *Hippocrati* nihil perniciosius visum. Passim in Coacis, in Prorrh. in Aphor. id videre est. Vid. Aph. 4—22. 23. 24.

Sane si videamus eorum qui, narrante *Hipp.* servati sunt, historias, excepta *Muliere aspera & morosa*, habuere omnes post Crisin aut perfectam aut imperfectam, prava symptomata varia, Crises perfectiores, nigrarum urinarum in colorem meliorem mutationes, alias excretiones salutares. Unde etiam *Hipp. Coac.* 577. & in *Progn.* vel solas nigras lividasque urinarum nubeculas damnavit; & *Prorrhet* 1. n°. 4. inter alia Phrenitidem ex urina decolori cum nigro enæoremate præsagiit; dein *Coac.* n°. 581. letale pleuriticis dixit sedimen nigrum in urina porracea, & demum *Coac.* 582. „ In errantibus febribus „ nigræ nubeculæ quartanam denuntiant; decolores „ urinæ enæorema nigrum habentes, cum pervigi- „ lio, & perturbatione, phrenitidem; urinæ cineri- „ tiæ vero cum dyspnœa, hydropem prænuntiant."

Unde quod *P. Alpinus*, quod *F. Plempius*, aliique, ejusmodi urinas nonnunquam Criticas appellarint, id secundum *Hipp.* & celeberrimos ejusdem Commentatores, haud aliter capimus, intelligimusque, quam quod in his ægris, Criseos tempore, una cum nigris urinis, apparuerint hæmorrhagiæ narium, uterive, sudores, &c. qui morbum aut integre, aut imperfectius judicantes, simul indomabile illud, & vix coctile, letiferumque per sese, de corpore expulerint: pari profecto ratione, qua Petechiæ & Miliaria, dum cum aliis evacuationibus prorumpunt, critica quibusdam vocantur.

Exceptionem quidem Auctores petunt chronicis in morbis, dum hepar, lien, aliæve abdominis par-

tes, sua atra bile, Criseos in morem, exonerent sese, vel dum melancholicorum intermittentes febres nigris judicenter urinis. Fateor & tales formidandas me Crises vidisse, optasse vero ne viderem unquam. Qui historiam Bilis atræ ex *Hippocrate* bene possidet, propriaque praxi demonstratam tenet, ille demum novit quid non timendum sæpe ab atra bile mota, & quod, etsi aliqui fortunatiores emergant, post ejusdem expulsionem validam, vomitu, alvo, urinis; ejusdem motus nihilominus sit perpetuo formidandus. Ideo *Hippocrates*, & cum flore practicorum *Boerhaavius*, adeo anxie ac sollicite inculcarunt nobis, ut de movenda bile atra ne cogitaremus quidem, donec eandem sic primo immutassemus, ut talis haud amplius esset, neve unquam prodiret foras, nisi sic mutata, mitigata, soluta, attenuata, dilutaque foret, ut antiquæ naturæ plurimum deposuisset. Verbo repetam, si in melancholica quartana febre urina nigra Critica dicenda sit, Crisin hanc infidam sic gaudent practici prægressam, ut formident futuram; eamque ob causam quartanam talem cortice, cæterum contrario, moderentur sic, ne bilis atra in motum ducta occidat.

Difficultatem contra hanc sententiam movere quis posset ex observ. *C. Pisonis* lib. de Coll. ser. sect. 3. cap. 9. Agens hic auctor de Colica Pictonum, & de ea Colica nephritica, quæ Pictonicæ perquam similis, bonas se narrat observasse urinas, quæ sic atræ essent, ut ni quis attente conspexisset, a nigro sanguine tinctas credidisset, tumque subjungit: „ Ejusmodi urinæ atræ mihi sane olim fuere in autumno familiares, & per plusculos dies, vel etiam „ quindecim, assiduæ: sed fere iis post aliquot dies „ dolor Nephriticus, a me descriptus, successit. „ Alias cum nullam aliam injuriam iis succedentem expertus essem, plurium ægrorum deinceps

„ postea

„ poſtea querelas ſuper iis compoſui, & animi anxietatem, earum occaſione obortam, longe faceſſere juſſi." Hinc quisquam forte concluderet urinas nigras tam peſtiferæ naturæ minime eſſe, quam hucusque deſcriptæ ſint.

Sed regero 1mo. ſummas easque multiplices auctoritates pro ſententia de harum pravitate urinarum laudatas, unica hac obſervatione Piſoniana, eaque omnino extraordinaria, non elidi. 2do. Ex ipſo Piſonis textu ambiguum fieri an vere nigra ejus urina fuerit? Et an non potius ſic nigredinem retulerit, qualem toties in chronice Nephriticis contuemur, quæ a ſanguine commixto penitus videatur nigreſcere, quamvis non ea, de qua hic agitur, urina nigra ſit. Calefacta urina differentiam demonſtrat. 3^{tio}. In renibus ac veſica urinaria, ut & in omnibus ſive naturaliter cavis, ſive præternaturaliter excavatis, corporis partibus, ejusmodi humorum aut ſolidorum degeneres mutationes ut conſiſtentia, & forma, ita & colore, nos experiri, cujusmodi circulatio humorum non toleraret, ſed a quibus extingueretur: nihilominus degeneres has conditiones longo ſæpe tempore tolerari, quia extra circulationis veluti territorium ſunt. Hoc modo vidi in chronica Nephritide, vidi in Dyſuria, ſic alcalinam prodeuntem urinam, ut mictionis momento vehementer efferveſceret cum aceto. Sic Piſonis nephritici urina, non atra de ſanguine ſecreta, ſed corruptum atque atrum transeuns antrum, atra reddi potuit.

Ergo, quo ad theſin propoſitam redeamus, Criſin quandoque fieri bonam cum urinis, & *Hippocratis* & Auctorum practicorum pene univerſorum, teſtimonio, vel abſolute per ſe letalibus, vel ſaltem ſummopere periculoſis, diſcimus.

§. VI. Quod de urinis nigris vidimus, idem innumeris in ægris noſocomii noſtri obſervamus de urinis

tenuibus, de urinis fœtidis, de urinis bonam nunquam gerentibus hypostasin. Cernere e contrario datur in summa acutorum cruditate vel alvum quæ naturalis sit, aut etiam quæ flava ac pultacea conditione critica dici queat; vel urinas perpetuo hypostaticas, interea dum capit morbus augmentum, immo dum tendit in mortem; vel in inflammatoriis morbis pectoris sputa cruda, cum alvo urinaque adeo coctis, ut morbus inde judicatione integra absolvatur; vel respirationem bonam, cum perpetua morbi cruditate, viceque versa signa quævis coctionis cum respiratione fere desperata.

In hisce difficultatibus pro more ad *Hippocratem*, ceu ad sacram anchoram, confugere, antequam diagnosin ac prognosin formemus, solemus, examinaturi quid circa hæc observaverit ille, quî in hisce se gesserit?

Epid. 7. pag. 1208. 1209. in historia *pueri Eratolai* dysenterici miramur terribilia tot symptomata, graphice ibidem descripta, unico in homine posse contingere, ab homine posse tolerari, posse post tot tantaque eundem sanescere hominem. Ast in media enarratione *Hippocrates*, interrumpens filum orationis, jubet attendamus ad id, quod πνεῦμα ὁποῖον ὑγιαίνοντι, respiratio haud aliter ipsi, quam sano homini solet, contigisset.

Ibid. pag. 1212. 1213. *Cydis* sive *Cydios filium* legimus morbo terrifico, diuturno, affectum, & (quia neque de morte, neque de alio morbo ulla mentio,) sanitati restitutum. In tanta calamitatum pravitate unicum notat memorabile: „Πνεῦμα δὲ ἐπιεικέως διὰ „παντὸς μέτριον: respiratio per omnia, fere semper, „erat moderata."

Dixerat in prognosticis, sæpiusque repetiverat: „Oportet considerare respirationem vim habere „magnam in cunctis morbis acutis." Unde adeo sollicitus

ſollicitus fuit reſpirationis modum plerorumque ægrorum ſuorum, ac *pravæ* maxime in letalibus, enarrare. Hinc quamdiu bonam reſpirationem cernimus ægrotantium, concludimus ſpem vitæ magnam ſupereſſe, quod aut illibata, aut perpaucum læſa tantum, innumera organa eſſe oporteat, a quibus vitæ dependeat perennitas, quodque cruditatis etiam ſummæ coquendæ ſpes bona affulgeat. Hinc nunquam deſperabundi? Nunquamne triſtis eſt facienda prognoſis? Non triſtis, ſed utcumque dubia tamen. Vel enim nobilis hæc functio perennando univerſam morbi cruditatem emendatura, coctura, expulſura eſt, ſanitatemque redditura; vel, copia ac malignitate crudorum humorum aucta, functio bonæ reſpirationis lædetur, ac delebitur, unde mors: quamdiu vero bona manet, bonam ſpem format.

Hipp. Prorrh. n°. 102. „ Qui ſopore oppreſſi, „ circa initia tenuiter exſudantes *cum urinis coctis* „ οὔροισι πέποσι ardentes, citra judicium perfrigeſcen- „ tes, rurſum ex brevibus intervallis peruruntur; „ torpidi, ſoporoſi, convulſi, perniciem habent."

Galenus qui bonis urinis nimium ubique fidit, voluit pro τὸ οὖρον πέπον, legere ἐπίπονον: ſed 1mo. omnes fere auctores hic ſe *Galeno* opponunt, dicentes lectionem eſſe genuinam τὸ πέπον; addunt quidam, ut *Jacotius*, ſe in moribundis coctam, imo hypoſtaticam, vidiſſe. 2do. Quod *Hipp.* hic, idem ſignificat *Coac.* 180. verbis iisdem, & convenit cum ſenſu *Coac.* 579.

Quod *Hipp.* in hoc loco notat de bonitate urinarum in ſumma morbi pravitate; quod *Jacotius* in peſſimo morbo de urina hypoſtatica obſervat; idem in Juvencula brevi ante mortem cum peſſimis morbi ſymptomatibus per plures dies obſervavi.

Epid. 2. pag. 1015. *Bion* eodem tempore & crudas habuit urinas multas, & criticam naris ſiniſtræ

in ſplenitide hæmorrhagiam; relapſum licet deinceps paſſus, ſervatus eſt.

Vidit *Hipp.* Coac. 582. diuturno tempore crudas urinas, cum cæteris omnibus ſignis ſalutaribus, tam frequenter, ut auſus fuerit regulam inde condere criſin per abſceſſum prædicendi.

§. VII. Attamen ab alia parte ad firmam prognoſin, certamque ſalutem urinas cum cæteris bonis ſignis bonas paſſim requiri ab *Hippocrate* eſt certo certius.

Pro parte id jam vidimus in tot hominibus, qui poſt urinas nigras, ſubnigrasve, perierint; pro parte id docebunt ſequentia: *Coac.* nº. 575. „Urina „ in febribus albam, levem ſedimen habens, cele„ rem liberationem denuntiat:" proſequitur deinde reliquas bonas urinæ conditiones in acutis requiſitas; maxime vero fortunatam acutorum curam præſagit ex varia urinarum bonitate in magno textu libr. *progn.* pag. 40. Unde ad mortem *Hermocratis* Epid. 3. pag. 1062. addidit. „Huic ad usque finem & „ ſurditas permanebat, & urinæ prodibant vel tur„ bidæ, rubræ, non ſubſidentes, vel albæ, non „ coloratæ, nec enæorema habentes." Quæ ibidem pag. 1076. mortua legitur *Iliaca mulier*, hanc notat paucas habuiſſe tenuesque urinas. Idemque pag. 1077. in *Mulieris poſt abortum febricitantis*, deindeque mortuæ, hiſtoria advertit. Epid. 3. pag. 1080. *Mulier in foro Mendacium*, quæ die 14. mortua eſt, minxit die 8. multum craſſumque inſcia, die 10. mane multum ac nihil ſubſidens. Et pag. 1083. in graſſante morbo, quæ multos ſternebat, lotium perturbatum fuit, multum atque pravum. Pag. 1085. in peſſimo genere febris ardentis, ac phrenitidis: „Urinæ copioſæ, tenues, nec critici quid, „ aut levantis, habentes.„ Et paulo poſt: „Vel „ enim denſæ erant, vel nullo modo habentes aut

„ coctio-

„ coctiones, aut utiles purgationes. Pag. 1001. „ *Homini Calvo*, ad 4. diem mortuo, copia urina- „ rum prodiit, nunquam bonarum." Pag. 1100. Illius qui 4. die *Phrenitide perierat*, „urinæ tenues „ fuerant, parva enæoremata habentes, διεσπασμένα, „ divulsæ, non subsidentes." Pag. 1093. *Pario* ad 120. diem mortuo urinæ fuerant perpetuo malæ.

Memorabile quoque magnum Virum lib. I. Epid. pag. 953. suspicari ne *Bioni*. *Cratiæ*, *Arctonis puero*, & *Mnesistrati uxori*, ideo post prægressam judicationem dysenteria fuerit suborta, quod post judicationem urinas reddidissent dilutas multas, liquidas, ac tenues.

§. VIII. Porro hæc ita, quemadmodum jam monui supra, non sunt intelligenda, ac si ob solius urinæ pravitatem, sedimentique defectum, *Hippocrates* desperatas credidisset ægrorum res; verum proprie tunc, quando, una cum urinæ vitiis, cruditatis notabilioris indicia in excretionibus reliquis, & præprimis in vitalibus aderant functionibus: erat enim perpetua sibi & inviolabilis lex haud judicandi unquam ex unico signo, sed ex multorum collectione, ut patet ubique. Hanc Coï immortalis legem & nos observantes, nunquam boni quid ad lectos ægrorum præsagimus, si multa alia prava signa pravas comitentur urinas: nunquam spem sinu fovimus, si una cum optima urina, & quidem constanter hypostatica, alia signa perniciosa, functionum potissimum vitalium læsarum, animadvertantur. Quod autem de urinis, hoc quoque de aliis quibuscumque signis sive cruditatis, sive coctionis, dictum velim. Et e contrario quotiescumque in laterum pulmonumve inflammatione cum sputis aut nullis, aut pravis, aut paucis, bona alvus seu sola, seu bonis sociata urinis, levaret pulmonem, viresque repararet collapsas, nunquam prognosin infaustam

formavi, lætique mecum medicinæ studiosi plurimos pectore inflammatos vel sine ullis bonis sputis, vel cum bonis duntaxat post crisin prodeuntibus, egregie curatos salutarunt. Sed bona alvus, & probe hypostatica urina nunquam inani spe animos lactaverunt nostros, quando partes alias, easdemque nobiliores, cruditate notabiliore laborare cernebamus. Pariter egimus ad insolita: haud parcius enim laudavimus illa, modo prodessent, quam si consuetas suas observaret Natura leges. Præiverat exemplo *Hippocrates* suo Epid. 1. pag. 951. Noverat consueta lege febres ardentes solvi sudore, alvo, urinis, hæmorrhagiis; ast didicit tamen postea eos qui urinas aut nihil aut parum modo hypostaticas, & plerumque dilutas admodum reddidissent, modo insolito dysenteria curari. Rarior sane pleuritidis per sudores judicatio; *Anaxionem* tamen libr. I. Epid. licet 27. die cocta sputa ejiceret, legimus nihilominus perfecta judicatione non fuisse absolutum, nisi largis, qui de toto corpore, ad 34. morbi diem profluerent, sudoribus.

Equidem *Carolus Piso* de Coll. ser. sect. 3. cap. 9. putavit haud insuetum esse ut sudores pleuritidem judicent, idque se in pleuritico cive *Pontano* observasse, quinimo *Hippocratis* id se auctoritate confirmare posse. Verum legitimam hanc *Pontani* civis pleuritidem fuisse & ipse postea pag. 254. dubitavit, & nos dubitamus cum illo; deinde quem laudat coacarum 393. textum, is haud videtur nobis id, quod ipsi, significare, nisi alio sensu & modo. ,, In his igitur, ait ,, *Hippocrates* ibidem, & omnibus qui pulmonum ,, affliguntur morbis, bonum quidem est facile morbum sustinere, dolore defungi, sputum prompte ,, expuere, facile spirare, siti esse vacuum, reliquum corpus æqualiter incalescere, ac molle esse. ,, Ad hæc somnos, *sudores*, urinæ eductionem, lau-

,, da-

„ dabiliter fieri; quibus contraria mala ſunt. Quan-
„ docunque ergo bona hæc omnia *huic ſputo* (quod
„ mox ante deſcripſerat optimum) adfuerint, ho-
„ mo ſervabitur." Clarum eſt ſudores hic ab *Hippocrate* laudari, & alvum bonam, bonasque urinas, ſed tamen ſic, ut ſputa morbum præcipue judicent, id quod non ita in *Anaxione*; licet laudabilia ſputa ad 27. diem ejeciſſet, eguit tamen ad judicationem abſolutam ſudore 34. diei.

Hæc nobis animo præſentia, multa utique dubia levant, multa etiam quæ certa credideramus, dubia reddunt, artisque genuinos obſervare terminos docent; quæ tantummodo vere certa pro certis, pro incertis ac dubiis dubia tradit. Sic ſcilicet hæc nos docent plures exceptiones, ſeu Naturæ a conſueto tramite aberrationes, ut muniti quidem ſimus, dum occurrunt nobis, aſt nihilominus ad conſuetas ejusdem leges nos indeſinenter conferamus, niſi nos illa, vi phenomenon aliorum, cogat exceptionem a regula ſua generali agnoſcere.

Suo iterum exemplo id docuerat admirabilis per omnia *Hippocrates*. Ecquis Viri in arte certitudinem & fiduciam non ſtupeat, dum animo meditantem ſuper conſuetas Naturæ vias Epid. 7. pag. 1229. illum cernit! *Fullo in Syro*, præter alia prava ſymptomata, urinas poſuit citra ſedimen limpidas, & citra evacuationes criticas ullas; & ad diem 18. certe non criticum, judicatur. Stupefactus primo titubat *Hippocr.* & quî demum hoc portentum explicet, anxio animo volvit. Ea occaſione *Nicoxeni* recordatus, qui quoque citra ſudores aliasve evacuationes, die 7. ſic judicatus eſſet, ut belle ſumeret ſuas ſorbitiones, ſuum vinum, ſuas uvas inſolatas, ſed quem 17. die deprehenderit in peſſima poſt criſin tam infidam recidiva, ut ab ea illum non niſi magnos poſt labores die 20. ſervaſſet, & ſanaſſet; intelligit ejus-

modi

modi criseos perfidiam, eaque probe confirmatam videt perpetuam suam experientiam: sed eo minus, cur *Fullo* in sanitate perseveret, capit. Tandem incidit ipsi in mentem, quod *Fulloni* enema ex *Thapsia* paratum injectum sit, rogatque num forsitan paradoxi causa lateat in eo, quod alvus enemate sæpius mota, morbi eduxerit materiem? sicque febris citra ullas evacuationes alias, rariore cæterum diei minime critici exemplo, judicata sit? Alvum non videtur conspexisse, firmiorem sententiam alioqui prolaturus.

Quod porro *Cous*, non nisi ejusmodi conjectura arrepta, hoc problema solvere se credit posse, nos convincit de ejus observationum certitudine inconcussa, doctrinæque æternitate. Simulque fateor, inter tot naturalium legum exceptiones, me nunquam in acutis, in quibus resolutionis benignæ spes nulla esset, neque in privata praxi, neque in publica, quemquam sine quapiam evacuatione judicatum vidisse; eamque ob causam semper & prædixisse, & eventu confirmasse, aut recidivas, aut alios morbos, aut mortem, si casus talis observaretur.

§. IX. An idem judicandum, ac metuendum, si morbus acutus citra ullas evacuationes, præter eam hypostaticarum urinarum, judicatus esset? An vero, etiam cæteris evacuationum criticarum feriantibus organis, solæ urinæ sic omnem morbi materiem critice eliminare queant, ut tuta sequatur integraque judicatio?

Profecto rariores sunt casus, in quibus morbi acuti per unicam modo excretionis viam plane judicentur; adeoque, quemadmodum frequenter non contingit, ut cæterarum evacuationum unica duntaxat totam morbi materiem eliminet, ægrumque perfecta judicatione absolvat; ita quoque frequens ea urinarum non erit. Veram tamen crisin acuti mor-

morbi ut olim in praxi, ita in nosocomio vidi; sic quidem ut cæteræ excretiones aut naturales omnino essent, aut plus minus cruditatem redolerent; urinis vero hypostaticis constanter emissis morbus levaretur, reliquæ excretiones emendarentur, & perfecta sequeretur judicatio.

Hoc idem *Hippocrati* sic visum esse ejus opera arguunt. Epid. 1. pag. 955. „ Atque in hoc statu
„ (febris ardentis) ex quatuor maxime signis serva-
„ bantur hi, quibus *aut* ex naribus sanguis proflu-
„ xisset, *aut* copiosæ urinæ, quæ multam eandem-
„ que pulcram hypostasin haberent, per vesicam
„ exivissent, *aut* qui per alvum turbulenta biliosa
„ tempestive demitterent, *aut* qui fierent dysente-
„ rici. Multisque contigit ut non ab uno horum
„ descriptorum signorum judicarentur, sed ut plu-
„ rimi per omnia decurrerent, graviusque habere
„ viderentur. Sed hi omnes, quibus ista continge-
„ rent, incolumes evaserunt. Mulieribus etiam &
„ virginibus contingebant quidem hæc præscripta
„ signa omnia; *quibus autem horum quidquam* bene
„ fieret, vel muliebria liberaliter apparerent, per
„ hæc servabantur & hæc judicabant. Nec periisse
„ ullam novi, quibus *horum quid* bene successisset.
„ Nam *Philonis filia*, cum liberaliter sanguis de na-
„ ribus fluxisset, ideo mortua est, quod 7. die,
„ (quo judicabatur,) intempestive utique, cæ-
„ nasset.

Epid. 2. pag. 1027. metastases ex imperfecta crisi futuras expectat, nisi urinæ eruperint. Ergo credidit morbi materiem, quæ in corpore restitaverat, critice excerni urinis posse.

Ibidem in *Scopi* acuto morbo, ut etiam pag. 1085. & 1056. vocat urinæ hypostases *Corporis in morbis purgationes*. „ Οὔρυ κάθαρσις πολλὴ, ” inquit „ καὶ πλη-
„ θὺ καὶ ὑπόστασι. Urinarum purgatio multa erat, tum

„ co-

„ copia, tum ſubſidentia." damnatque urinas „ nec „ coctiones, nec probas purgationes habentes" laudat illas, „ quæ probæ eſſent per veſicam ex- „ purgationes.

Epid. 1. pag. 956. „ Quibus febre judicatorie „ deſinente parotides, in febribus cum dolore ſub- „ ortæ, neque conquieſcunt, neque ſuppurantur, „ eos diarrhœa bilioſa, *vel* dyſenteria, *vel* craſſa- „ rum urinarum hypoſtaſis liberat: quale quid *Her- „ mippo Clazomenio* evenit." Videmus iterum uri- „ nas hypoſtaticas dignitate & præſtantia critica „ certare cum alvi criticis evacuationibus.

Epid. 4. pag. 1121. „ Hæmorrhagiæ erant, & „ per urinas purgatio & criſis. Αἱμόῤῥωι, καὶ οὔροισιν ἡ „ κάθαρσις, καὶ ἡ κρίσις.

Ibid. pag. 1131. „ diſerte affirmat *Menandri Vi- „ nitori*, cui alvus circa initia liquida fluxerat, nunc „ vero ſubſtiterat, per ſolam urinam judicationem „ contigiſſe. Καὶ τὸ οὖρον ἐκρίθη."

Epid. 3. pag. 1083. deſcribens malignum in fe- bribus eryſipelas, in peſſimos artuum, pudendorum- que abſceſſus abeuns, „ illud vero ipſis inerat," in- quit, „ ut quæcumque abſceſſum facerent ad ſup- „ purandum, ſi *vel* tempeſtiva, opportuna, alvi „ perturbatio, *vel* probarum urinarum transmiſſio „ fieret, per ea ipſa ſolutio procederet."

Unde & Aphor. 4—74. ſtatuit a futuris alioquin in morbo abſceſſibus ægros urinam, quæ craſſa red- datur albaque, liberare; liberationem vero hanc citius contingere, quando abſceſſuum futurorum materies duplici via eliminetur, narium hæmorrha- gia & urina. Igitur pari paſſu urina procedit hic cum hæmorrhagia, ut paulo ante cum critica alvo.

Coacarum 575. „ Urina ſubrubra, habensque „ ſubrubram hypoſtaſin, atque lævem, ſi quidem „ ante ſeptimum diem fuit hujusmodi, ſeptimo

„ die

„ die (aut septimam febrem) solvit. Ἑβδομαῖον „ ἀπολύει.

Aphor. 7 — 54. crisin iterum certam declarat urinis dicendo: „his per venas in vesicam pituita „ versa, morbi fit solutio:„ Hunc Aphorismum *Duretus* vocat gravissimum super urinæ materie, *&* *super Crisi per eam suscepta & edita.*

Coac. n°. 207. „Ex acutis morbis, in febribus „ ardentibus maxime tubercula ad aures exoriun- „ tur, ac, nisi critice solvantur, & maturescant, „ *aut* sanguis ex naribus profluxerit, *aut* urinæ cras- „ sam hypostasin acceperint, ægros interimunt." In quem textum *Prosper Martianus* advertit *Hippocratem* in prognosticis laudare in acutis mitioribus urinam hypostaticam per omne morbi tempus, non qua signum coctionis, sed qua signum mitissimi morbi, & materiei benignioris, *unde morbi solutio evenit per solam ejusdem urinæ excretionem:* Criticas deinde urinas non differre ab ea libri prognosticorum, nam eos referens *Hipp.* modos, per quos febres solvuntur, urinam concoctam apposuit, inferens solam urinæ coctionem *absque alia evacuatione*, ad morbi solutionem facere. Et quid clarius in hanc rem dici potest, quam dixit *Hollerius* lib. 3. sect. 3. Coac. pag. 1047. „Atque aliquando judicari pleuritides „ multa urina & biliosa micta scripsit *Hippocrates*. „ Et nos vidimus pleuritides graves dissolutas urinis „ multis, crassis, & nigris; conversa, ut *senex* scrip- „ sit, deorsum materie: quod certe minus mirum „ videri debet, quam peripneumonias urinis solvi." Et pag. 824. „Pus in pulmone effusum, a natura „ attenuatum, transmittitur in venas, & arterias; „ atque hinc modo ad renes, modo ad intestina, „ dimittitur: mirabili Naturæ providentia, omnia „ moliente, ut salutem ægro quærat.

Eundemque in locum *Jacotius*: „Ex quo fit, ut „ per

„ per urinas pulmonis vomicæ critice expurgari
„ poſſint."

Et *Pr. Alpinus* lib. 6. cap. 16: „Per urinas plures
„ Acutorum morborum fuiſſe judicatos & nos vidi-
„ mus, & *Hippocrates* in Epid. ſe vidiſſe ſcripſit."
Addit deinde ex *Galeno* ſigna, quibus criſis per urinam futura prænoſcatur, ſi nempe deſunt ſigna omnis cujusque aliûs evacuationis futuræ; poſtea ſigna a ſe obſervata adjungit, ubi præter ſigna *Galeni* ponit morbum non admodum eſſe vehementem, hypogaſtrium grave ac dolens, & in veſica veluti inflationis perceptionem.

Unde recte *Jacotius* in libr. IV. Comm. Coac. pag. 240. urinam ſic Criticam conſiderat in ſua natura, ut ipſa ſputa pulmone ejecta.

Et *Boerhaave* §. 1016. Inſtit. ubi n°. 1. quandam hypoſtaticam urinam toto morbi tempore emiſſam conſideraverat, veluti indicium optimumque morbi præſagium, deinde n°. 2. „Urina multa, ait, alba,
„ ſtranguriosa, cum ſedimento copioſo alboque,
„ critico tempore emiſſa, *ſanat*, *& abſceſſus tollit*."
Etiam §. 938. omnes criticas evacuationes recenſens, ſputa, alvi fluorem, urinam, hæmorrhagias, &c. urinam iterum ut paris ad criſin efficaciæ & dignitatis, quam ſputa, quam alvi fluorem, quam hæmorrhagias, conſiderat.

Jure igitur concludere videmur, exiſtente inter ægros noſtros eo quandoque caſu, ut præter urinam criticam nulla prorſum alia evacuatio contingat, non minus fauſtam prognoſin dandam eſſe, cæteris paribus, quam ſi in aliis, aut per ſolum ſudorem, per ſolam hæmorrhagiam, aut ſola ſputa, aut alvum, morbi expellatur materies.

§. X. Cum ex omnibus hucusque dictis pateat, quod ad criſin bonam determinandam oporteat dies morbi accurate notare, adeoque morbi principium exacte

exacte definire; haud citra difficultatem id efficere sæpe non possumus. Non raro namque apud multos, potissimum plebejos, contingit, ut, seu ingenio, seu morbo, stupidi, ignorent qua die, qua diei hora, primum morbi experirentur insultum, & ut quotiescumque de integro examinentur, vacillent. Ubi nunc ab eorum consanguineis, necessariisve, id rescire non datur, res dubia manet. Hi tamen numero sunt pauciores. Dantur autem numero plures, qui initia morbi exacte teneant, sed ubi dubites utrum cum incommodis principio perceptis acuta, qua laborent, febris una occeperit, an vero accesserit postmodum. Lassitudines spontaneæ passim adfuere; sed hæ Aphor. 2.—5. æque morbos futuros denuntiant, quam præsentes. Dolores capitis, artuumque, inappetentiam, nauseam, haud minus acutos morbos præcedere, quam comitari, docent nos ægri, qui ab ipso nos convocantes principio, hæc symptomata sæpe ante primum febris insultum patiuntur. Ambigui itaque sæpe hærentes in nosocomio, Oraculum pro more consulimus.

Epid. 3. pag. 1106. *Herophytus* rectus incedens, ὀρθοστάδην, & obambulans, capite autem dolens, videtur jam a principio febricitans ab *Hipp.* credi, ex symptomatum, quæ a principio cephalalgiam concomitabantur, syndrome.

Sed ibidem pag. 1111. *Apollonius* videtur diutius ante febrim male habuisse, *erectus licet & obambulans*; acutæ autem febris initium non habuisse, arbitro *Hippocrate*, nisi quando per intempestivum potum, intempestivumque carnis bubulæ esum, inciperet incalescere.

Mulier in Thaso morosa & aspera Epid. 3. pag. 1108. die prima incommodi percepti, licet *erecta & obambulans*, ejusmodi symptomata habuit, ex quibus

bus *Hippocrates* febris inchoamentum cum prima ſymptomatum origine notaverit.

Qui poſt cœnam in ſomno horrore correptus, Epid. 7. pag. 1230. ſurrexit mane capite gravis, horruit, vomuit, gravitas capitis perſeveravit, ſub noctem remiſit, ad usque ſecundi diei meridiem. Rurſus inhorruit tum, noctemque tulit moleſtam. Haud tamen ante tertium diem ſymptomatum horum, cepit *Hipp.* febris acutæ notare initium, quæ demum, ut videtur, ad 14. diem morte terminata eſt. Facile nos in hiſtoria ægri febrim initio jam adfuiſſe ſuſpicaremur, ſed *Hippocrates* ex ſignis quæ hic non memorat, v. g. ex defectu caloris, ex pulſu, certus fuit, quod hominem non ſit, niſi tertio die, aggreſſa.

Epid. 7. pag. 1231. Anamneſin refert *Anaxenoris*, quod Lienoſus ſcilicet & pravi eſſet coloris, quodque obortus ſiniſtro in femore tumor derepente evanuiſſet. Data hac Anamneſi, morbum præſentem ſic infit: „ Neque multis poſt diebus ad lienis regio-
„ nem exorta eſt illi per initia veluti Epinyctis, in-
„ ſuperque tumor, ac dura rubedo. Poſt quartum
„ autem diem febris ardens ſuborta eſt, & in ambi-
„ tu omnia livida apparuere, ac veluti putrida. Mor-
„ tuus eſt leviter antea purgatus, mentisque com-
„ pos." Vel ægrotum ante quartum diem vidiſſe *Hippocratem* oportuit, vel ex *Theſſalo*, *Polybio*, *Draconte*, aliisve, hiſtoriam morbi adeo accurate tenuiſſe, ut Epinyctidi, rubroque tumori febrim defuiſſe, eamque haud niſi poſt 4. diem acceſſiſſe, ſtatuerit.

Epid. 7. pag. 1238. *Epicharmi puer* primo die necdum febricitaſſe videtur, ſed apepſiam contraxiſſe, id eſt cruditatem ex deambulatione, qua excalefactus ſupponitur fuiſſe, & ex potu, quo frigido æſtuantem ex motu ſanguinem condenſaverit, omnem-

que

que perſpirationem ſuppreſſerit. Ab introverſa transpiratione ad ventriculum nauſea orta vomitusque. Altero die anxietatem paſſus emeticum ſumſit ex aqua cum aceto & ſale. Poſt pituitæ vomitum, rigor primum ac febris acceſſit. Tertio die febris major. Quarto die morbi totius, ſcilicet tertio die febris, mors.

Epid. 3. pag. 1070. *Philiſtes in Thaſo* diu capite doluerat, & ſoporoſus ante morbum acutum decubuerat: Morbi vero acuti, cujus die 5. obiit, initium *Hippocrates* notavit duntaxat ex quo in morbo abuſus potibus eſſet.

Hiſce, ſimilibusque muniti obſervatis, dum minime ſtupidi ægri ſunt, probeque exiſtunt memores antegeſtorum, exacte, opinor, determinare novimus, utrum cum ipſis primis perceptis incommodis, an vero poſtliminio ortus ſit, quo laborant, morbus acutus. Febris enim indicia, majore calore, cæterisque ſymptomatibus ſociata, hic juvant; licet plures pauperum ſuos, quibus victum quæritent, labores, per unum, pluresve dies, adhuc continuarint. Diffitendum tamen non eſt dubium ſupereſſe nonnunquam tale, ut incertitudo per totum morbi decurſum perſeveret, nec morbus ad demonſtrationem regularum Hippocraticarum ullo modo ſit accommodandus.

Quæ ſi ita ſe habent, an non capimus, quam inique nonnulli Hippocraticarum legum de diebus criticis inconcuſſam negent veritatem & conſtantiam? Si primo non utantur prudentia *Hippocratis* in determinandis acutorum initiis; ſi ſecundo non abſtinent ab applicandis hisce regulis ad caſus incertos; ſi tertio, ut bene notat optimus *Baglivus*, contra leges Hippocraticas naturam præpoſtera medicatione interturbent; habebunt unde perpetuo in *Hippocratem* invehantur, dum in ſe ſolos invehi illos oporteret,

dumque suis invectionibus falsis *Hippocratem* magis confirment, quam oppugnent.

§. XI. An, Crisi bona contingente, certo determinare possimus, utrum ægri perfecta judicatione absoluti sint, an vero recidivam timendam habeant, aliosve morbos?

Ne absolute unquam hic determinent, auditoribus meis Auctor perpetuo sum. Exceptis enim casibus, ubi Epidemiæ natura talis est, ut omnes fere recidivent, qualem *Hippocrates* sic describit Epid. 1. pag. 956. 957. „Haud scio an eorum cuiquam, qui „ superfuerunt, rite factæ recidivæ non recurre- „ rint, omnesque, quod sciam, servabantur, quibus „ hoc recidivæ genus contigerit:" exceptis observatis Epidemiæ, in qua vix recidivæ apparent, qualem *Hipp.* describit Epid. 2. pag. 1020. ajendo. „ Nec nisi admodum paucis recidivæ continge- „ bant:" hisce, inquam, exceptis, innumeræ causæ existunt, quæ recidivam morbi ejusdem, quæ morbos ex acuto alios, quæ demum cum optima crisi mortem inferre queant; adeoque summam in præsagiendo nobis inculcent prudentiam. Causæ hæ ab ipso morbo petendæ sunt, ab ægro, ab assistentibus ipsi, a Medico, ab errore Pharmacopæi &c.

1mo. Ab ipso morbo vel corpore morboso pendere ejusmodi casus, docent nos quotidiana observata. Novi ex regulis criticis requiri criticæ evacuationis eam constantiam, ut omnis morbi materies de corpore expellatur: Quis porro Medicum certiorem reddet fore ut, quam laudet, quam gaudeat, critica evacuatio, ejus sit constantiæ? Ex causis nobis ignotis; ex non sufficiente virium expultricium robore; ex facili recessu materiæ per circulationem motæ in nobiliora loca; ex angustia finium minimorum canalium, quos permeare critice motus, expellendusque humor, debeat; optima crisis quæ gaudia exci-

excitaverat, in luctum vertit. Ne longus ſim, qui hiſtorias ægrorum apud *Hippocratem* attente revolvit, pluries has ſimilesque bonæ, ſed non perennantis, criſeos, reperiet cauſas.

2do. Ipſi ægri vix judicati, animi paſſionibus, errore regiminis, diætæ, imaginatione venerea &c., bonæ ſuæ perdunt judicationis effectum. Cur *Philonis filia*, quo ipſo die optime judicata erat, periit? Intempeſtive cœnando debilem obruerat naturam, vaſaque debilitata ſua copioſiore chylo inferciverat, quam illa eſſent transmittendo. Quare *Moſcho* die 14. ut debebat, bene judicato, tam peſſima recidiva? Ἁμαρτάδες βρωμάτων ἐγένοντο: Die 17. errata in ciborum ratione contigerant. Cur *Scopus* Epid. 2. pag. 1028. poſt criſin Synanches inciderit in alvi ſegnitiem, febrimque continuam? Φλαύρως διαιτηθέντι reſpondet *Hippocrates*: improba utebatur diæta. Si aëre nimis libero utantur, dum v. g. criſis per ſudores fit, continuat, imo aliquando, ut *Sydenham* in quodam morbo advertit, 24. horis perſeverare debet, aër frigidior imprudenter admiſſus omnem noſtram ſpem ilico fallit. Præterquam quod aëris mutatio ſpontanea morbos mutet, eorumque ſymptomata. Fuerat *Perinthi*, Epid. 2. pag. 1020. aër in Epidemicis morbis ſiccus diu calidusque; aſt cito mutatur in humidum a copioſa minutiſſimaque pluvia: tanta hinc in acutis mutatio, ut qui iis non niſi ad finem contigerant, ſudores, jam ægros ab initio invaderent. Ponamus tale quidquam contingere dum v. g. nunc fit critica per alvum aut urinam evacuatio: mollitudo cutis aëre calido humente nata, allicit motam per circulationem morboſam materiem, quæ forte, apta quidem ut ſyſtemate meſenterico, aut renali, excerneretur, minus apta erit, quæ per cutaneos evacuetur poros, criſimque ſic turbatam monſtret.

 3tio. Ab

3tio. Ab iis, qui ægro adſint, inſerviant, adeant, turbari critica evacuatio poteſt. In irato ob uxoris moroſitatem viro, in alio quem uxoris cum alio viro adſtantis zelotypia torquebat, viſitantium hominum importuna multitudine, vidi anxietates ortas, criſesque turbatas. Nec deſunt, qui res eo tempore haud concedendas ad manducandum aut bibendum ſuadeant, obtrudant; id quod ne Medico ſubolfiat ſæpe religioſe cavent; ſique ille quid ſuſpicatus, interrogaverit, præfracte negant, culpamque turbatæ naturæ in Medicum impudenter refundunt. Cum a tot tantisque rebus fortunata judicatio morbi turbari queat, quis non videat, quam plena dubiæ aleæ ſit, quamque circumſpectum eſſe oporteat in prognoſi?

4to. Ad evacuationes criticas a Medico medicamenta, quæ eo usque data fuerant, incaute continuata, imprudenter ablata aut mutata; evacuatio critica quod nimia crederetur, ſuppreſſa, imminutave, vel quod minor falſo ſupponeretur, imperite aucta; nimia Medici in uſu alimenti aut potus, indulgentia, virium intentione reſtaurandarum, ut ad laborem ſuſtinendum æger ſufficiat; aut diæta continuata, quæ in vigore morbi bona, jam inſufficiens eſt; famulorum pharmacopolæ forte errores in paranda, apportandave, medicina, & millena id genus alia, criticam evacuationem turbare, minuere, augere, ſufflaminare poſſunt.

5to. Quid quod Criſes ſint, quæ videantur perfectæ, nec tamen ſint? Quæ ſanitatem reparaſſe appareant, nec reparaverint tamen? Intereaque temporis homines quid vitii in corpore alere minime credantur, & nihilominus alant? Hoc genus vitia nonnunquam a bona natura ſic coqui, alvoque, aut urina, aut perſpirationis organis, tam blande eliminari, ut æger prorſum ignoret, credibile omnino eſt; ſed ſæpius poſt ſimulatam aliquantiſper ſanitatem,

tem, varios in morbos erumpere, teſtatiſſimum eſt. Deſumatur a Variolis exemplum. Hisce ſic defuncti, ut perfecta valetudine frui videantur, ſi vena tundatur, fundunt æmulum pleuriticorum ſanguinem. Cum omnibus propemodum Varioloſis meis, *Sydenhamo* docente, ſemel, bis, ter, a curatis variolis ſanguinem detraxerim, potero centenis confirmare, quod hic affero, exemplis. Porro ejusmodi cruor in corpore circumductus, videtur in multis ſic ſenſim ſubigi, ut attenuatus inſenſibiliter eliminetur, aut etiam ſic, ut diatheſin phlogiſticam amittat; attamen, quod dolemus toties, poteſt ſubitaneis in cute tumoribus furunculos generare, abſceſſus ad articulos, ad oculos inflammationes, ſuffuſiones, cataractam, amauroſin; ad aures baruëkoiam, ſurditatem; ad pulmones aut vomicas, aut puris continua ſputa, variaque ad viſcera & partes, alia atque alia, formidandos morbos creare. Haud eget confirmatione theſis, quam, heu nimium! demonſtratam mecum dolent omnes practici, ſi poſt variolas venæ ſectiones negligantur. Multi quidem inter variolarum curationem & erupturos poſtea morbos, languent; verum non deſunt plures, qui, ut monebam mox, ferant hanc diatheſin inſenſiles, inſcii, usque ad tempus, quo alius inde erumpat morbus.

Sane miri caſus, quos ſuppeditat praxis, millies mihi in memoriam revocant ſententiam *Hippocratis*, quam inexperti rident, experti mecum veriſſimam agnoſcunt. Libr. I. de Morbis pag. 456. de Abſceſſibus agens, qui multis in pulmone, ſæpe letales, naſcuntur, addidit „eſſe, qui ob bonum corporis „habitum eosdem in ſe fieri, ne ſentiant quidem." Binos memorabo quos hac æſtate habui caſus. Vir nobiliſſimus in Moravia, totus toroſus, ac ſanus, vomicarum ingentium in thorace latitantium prorſum ignarus vixit, donec in prandio ab oſſiculo aviculæ

imprudenter quidem, ſed feliciter, deglutito, maximas pateretur anguſtias, & ſub conaminibus extrahendi oſſiculum excitata tuſſicula, ſubito pus expueret, horrende fœtidum, ad plures libras; poſt aliquot dierum quietem denuo plures libras, atque ſic per 7. 8. vices, ut vix auſim deſcribere dolium, quod pure plenum eo tempore evacuaſſe ſe æger affirmet. Norunt mecum caſum bini celebrandi in arte Viri, qui ægrum tractantes, mecum ſuper eo ſæpius conſuluere, doctiſſimus *Sagar* Phyſicus, meritiſſimus circuli *Iglavienſis*, Botanices ſimul ac Hiſtoriæ naturalis eximius Cultor; & doctiſſimus Dominus *Magh*, Archiater nobiliſſimæ & excellentiſſimæ Comitis viduæ *de Liechtenſtein*, in praxi medica colenda & promovenda eminens: & quod magis mirabar, bimeſtri ſpatio vix inde exacto, vidi nobiliſſimum Comitem in prædio meo ſuburbano me viſitantem, adeo ſanum, & toroſum, ut quid in ejus valetudine culparem, invenirem prorſus nihil. In curatione ejus lac, aqua Selterana, mel, opium, cortex Peruvianus, primas tenuerunt.

Dixeram diatheſin phlogiſticam longo tempore in corpore circumlatam, haud raro, absque formato primum ſacco, ex ſanguine videri immediate transſudare, dilatata vaſa pulmonalia, aut bronchialia, atque purulentorum ſputorum forma expui, ut incautis vomicæ pulmonalis videatur evacuatio eſſe, idque ideo præcipue quod longiore ſæpe tempore hæc continuet ſputorum ejectio. Caſus plures variis in *Rat. Med. partibus*, anatome demonſtratos, communicavi; dabo alium confirmatum ſanitate. Nobiliſſimus vir ex rheumatiſmo dimidii anni, ex morbillis deinde, & angina, incidit, anni abhinc ſpatio, in magnam debilitatem, & in induratum valde hepar, deinde in febrim tertianam. Solvente ac deobſtruente remedio, ſuccis herbarum potiſſimum, curata

febris

febris fuit; iisdemque remediis, aqua felterana, atque continuato cataplasmate ad durum epigastrium, hepar denuo molle factum est, vires rediere, somnus, appetitus; ut demum declinante æstate munere suo publico fungi æger, itinera quotidiana curru, aut equo, sanitatis ergo, peragere potuerit, & exceptis flatibus sæpe torquentibus, integram videretur sanitatem adeptus. Ast subito, ineunte Septembri, raucus fit, moxque tussiendo pus coctum album copiosum commode, unica tussicula expuere cepit, & toto mense Septembri & Octobri continuavit, sanitate interim, liberrimoque semper pulmone, perseverante. In excellentissimo Comite priore latuit omnes enormis copia puris, vomicis contenta pulmonis; in posteriore, diathesis purulenta sanguinis magna & copiosa, non nisi numerosissimis innotuit sputis.

Ergo dubia prognosis danda semper est, bona quamvis fiat evacuatio critica, & nunquam post eandem dum videtur absoluta esse, nimia indulgentia erga ægrum utendum: ne nostra culpa quod forte insensibiliter exivisset, vel recidivam, vel novum morbum faciat; neve in ipsam Medicinam, aut Medicos, refundatur recidivæ, aut deterioris, causa.

Addere juvat historiam ægrotantis letalem, quæ tum per se singularis est, tum egregiam facit plerorumque hucusque dictorum ἀνακεφαλαίωσιν.

Femina 27. annorum, quæ veris variolis bis se laborasse asseverabat, levioremque dabat virulentæ gonorrhoeæ suspicionem, morbos acutos pluries perpessa, menses suos aliquando interruptos, semper irregulares tempore, copia autem paucos, habens, tandem 15. Augusti proxime elapsi horrore ac frigore, spatio 5. horarum corripitur, magno succedente calore. Tristi necessitate coacta, lassum suum ac dedolatum corpus ad hortenses labores iterum ad-

 movit,

movit, superstite ad prandium & cœnam aliquo appetitu. Die altera laborem hortensem eadem difficultate prosecuta, tandem die tertio ingravescente morbo lecto surgere non potuit, æstu laborans ingenti, siti intensa, cephalalgia, apositia, artuum omnium dolore, vigiliis, &c. Pulverem quo sudaret sumsit, modice sudavit. Die quarto maculis rubris sibi cutem tingi advertit, vespere evanescentibus. Die quinto maculæ renatæ; pedes, manus, venter, pauculum intumuere. Die sexto eadem. Húc usque & alvum quotidie habuerat, & nunquam dormiverat fere. Die septimo inchoante, mox ubi ad Nosocomium SS. Trinitatis adducta esset, ad nos adferebatur.

Femina hæc quamvis primis morbi diebus labores suos prosecuta esset, *erecta & obambulans*, ὀρθοστάδην, ex regulis tamen a pag. 368. ad 372. datis judicabatur a nobis acute ab ipso initio laborasse, adeoque acuti ac maligni morbi diem nunc septimum agere. Cum in summo æstu, notante thermometro Fahren. in umbra gradum 81. caloris, febriente corpore laborans valide sub dio, tenuiora humorum suorum dissipasset, incrassasset reliqua, dein sine auxilio bono, cum intempestivo sudorifero, jacuisset, mirum minime est petechias accessisse, morbumque evasisse malignum.

Symptomata porro, die 7. inchoante, hæc invenimus; cephalalgiam, artuum gravitatem, vehementem sitim, cutem aridam & urentem, aridam linguam, respirationem difficilem, fortem ac celerem pulsum, ventrem tumidulum, dolorem, attactu auctum, in latere dextro, eoque inferiore, thoracis, petechias tandem, & ad femora vibices, quæ tamen ex aliquot horis coloris intensitatem multum dimiserant.

In toto morbo, undique examinato, nihil non cru-

crudum. Petechiæ, & errore natæ, &, quod morbus indies ingravesceret, vere symptomaticæ; ergo tuto, *Sorbaitii* consilio, negligendæ, ac si non adessent; & febris acuta, tanquam plane cruda tractanda. Unde vena secta est, diluentia, nitrosa, expectorantia remedia præscripta, cataplasma dolentibus adplicitum locis. Post V. S. respiratio paullo facilior fuit; petechiæ, quæ jam illi ad nos intranti minuebantur, plus disparuere, vespere vero, quamvis in parvo somno leviorem sudorem, humidamque postea ac calidam cutem haberet, vix ultra nisi ex vestigiis relictis cognoscebantur.

Vespere cum calore 102. graduum cephalalgia ingens, & ferme suffocans respiratio, alteram V. S. suaserunt. Symptomatum inde remissio.

Inchoante die octavo, licet calor 100. gradum thermometri non transcenderet, febris tamen magna fuit, pulsu minus, quam pridie, suppresso. Perseverantibus ventris utcumque doloribus, continuatum cataplasma est, & injectum emolliens enema, quod copiosa stercora solvit, eduxit.

Suffocans respiratio, quæ die 7. ad meridiem, & ad seram vesperam affuerat, hoc die octavo ad 9. matutinam minus violente, ad 2. pomeridianam post levem horrorem violentissime ingruit, ita ut, ne suffocaretur penitus ægra, tertiam V. S. tentaremus: verum vix fluente sanguine, & imminente animi deliquio, sub stragulis reposita est, & aceti frigidi aspersione ac frictione sic recreata, ut facilius respiraret. Calorem notabat tunc eo, qui pridie, majorem; graduum scil. 104., percipere se affirmabat sub sterno corpus veluti durum, ac dolens, quod in paroxysmo auctum respirare prohiberet.

Ex his phænomenis suspicati, ne præter acutum morbum, spasmodici quid respiratorios afficeret nervos, dedimus inter remedia dicta nonnunquam lene neuro-

neuroticum, ſpiritum C. C. ſuccinatum, miſtum cum tantillo diacodii, & admovimus veſicantia. Nihilominus ad mediam ſeptimam ſubdelirare cepit, valde febricitavit, vehementer ſitivit, & cum cute primum jam humida ſudare cepit ad octavam, ſudore per totum corpus profuſo, cum ſomno perturbato. Urinam tunc reddidit, quæ boni coloris enæorema ſuſpenſum habuit. Nox valde inquieta, quietior ad auroram ſomnus parum modo læſam reſpirationem oſtendebat. Mane febris minor, & calor tantum 100. gr. Veſicantia operabantur.

Signa bona plura hic aderant. Sudor, poſt horrorem, univerſus, ſymptomatum emendatio, ſomnus tranquillior, febris ſedatior, calor minor, bonus veſicantium effectus, urina bona.

Verum contigerant hæc media octava morbi die, quæ non critica: Coctionis ſigna ante ſudorem non adparuerant, & dies 9. continuis omni hora variantibus anxietatibus pectoris, & febribus, transacta eſt. Ergo nîhil critici in ſudore prægreſſo. Porro hoc 9. die obſervavimus dormienti, quam vigilanti, reſpirationem liberiorem, quod acuto morbo ſpasmorum adjunctorum confirmavit ſuſpicionem. Interim hoc toto die pulcre fluxere veſicantia, bonique fuit urina coloris, calor 101. gradum tantum notavit. Nox inſequens moleſta, ſudor frequens.

Die 10. inchoante pulſus fortis ac celer, ad meridiem moderatus; cephalalgia continua toto morbo, ſudor indeſinens, apoſitia. Poſt meridiem permutationes perpetuæ reſpirationis ac febris, cum ſomno, ut videbatur, placidiore, aliquoties capto. Enema alvum copioſam, ſtercoraceam, eduxit.

Subnaſcebatur interim ſuſpicio num febris hæc referenda non foret ad ſpeciem illam, quam libro *de Febrium diviſione* Capite 9. deſcripſi, quam poſtea vidit, accuratiſſime deſcripſit, feliciter curavit, e-

gregius *Lautter*; qualis si foret, cortex peruvianus ilico præscribendus esset.

Verum species illa febrium ad intermittentes urinis, ac maxime pulsu, referendam se esse docet; nostra febris erat continua remittens utroque hoc signo. An vero etiam in continuis remittentibus, si malignitatem redolerent, non dedimus sæpius summo cum effectu Corticem? Utique daturus fuissem, nisi bonæ eousque & naturales urinæ circa tertiam matutinam, mox instante 11. die in vere hypostaticas pulcre mutatæ, jussissent paulisper expectare eventum morbi.

Die igitur 11. vere critico, post hypostaticas urinas, placidus somnus, facilior respiratio, multus, isque universus sudor, sputa pauca glutinosa. Hocque die quinquies missæ urinæ, habebant omnes sedimen album, læve, æquale, copiosum. Febris moderata sic, ut post meridiem vix ultra perciperetur.

Igitur habebamus hic plurima bona signa, quæ bonæ Criseos, criticæque evacuationis, certitudinem ad salutem indicabant; sive evacuationes sudorum & urinarum, primumque apparentium sputorum indicium, sive insignem morbi, ejusque symptomatum, emendationem, intuearis.

Principiis vero imbuti Hippocraticis, (vid. pag. 372. n°. 1.) cavimus a certitudine prognoseos, visuri num bonorum signorum gauderemus constantia. Prudenter sane: nam ad 8. vespertinam reversio anxietatis in respirando; quæ ad 10. remissior, tandem ad 2. adeo vehemens, ut intra horam vitam una ademerit.

An malum, postremos sudores prægresso caruisse horrore? Sed alvus per totum morbum libera fuit. Vide a pag. 341. ad 342. An spasmi motam, & critice probe excernendam, natura tamen sua crassiorem, materiem morbosam, sic in angustiis pul-

monum

monum compresserint, ut tota simul substiterit circulatio? Nunquid, simili casu denuo se offerente, cortex peruvianus non foret audacter ab initio exhibendus, tanquam antispasmodicorum princeps? Si optime hypostaticæ urinæ formidolosas se ostendant aliquando, ut hic, ut & ex *Hipp.* pag. 359. & seq. patuit, an non imprudenter imitaremur *Galenum*, tantopere bonis fidentem urinis, ut ex iis solis prognosin credat posse formari?



CAPUT XXI.

De Morbis acutis cum Petechiis, aut Miliaribus.

§. I. *Petechiæ & Miliaria rarissime, si unquam, Critica sunt; frequentissime symptomatica; symptomaticorum vero plurima factitia: quod quamvis demonstratum pluries, nec dum animis patrium evellere errorem potuit.* §. II. *Hinc natæ Tironum objectiones, & scrupuli, contra demonstrata. Objectio* 1ma. *de Aphthis est. Ostenditur hanc ipsam objectionem evincere tum Miliaria factitia esse, tum brevi occidua fore.* 2da. *Objectio ponit si, quæ de calida methodo, ut Miliaria generante, dixerim, vera essent, Miliaria & antiquiora, & universaliora esse oportere: Respondetur argumento a pari, quo objectio refutetur.* 3tia. *Objectio supponit, quamvis* Viennæ *calida methodus vix in usu sit, tamen & in urbe, suburbiisque, & in omnibus nosocomiis, etiamque in meo, Miliaria frequentissima esse: adeoque falsum esse, quod eadem generet calida methodus. Respondetur, salvo honore multorum præstantissimorum* Viennæ *Medicorum, multos medicos, ipsamve plebem, vel utrosque, aut calida medicamenta, aut cali-*

calidum regimen, aut utrumque, vehementer amare: deinde præterquam a calida methodo, etiam pluribus aliis de causis illa generari: Falso accusari meum nosocomium, demonstrari Diariis hic communicatis; utpote quæ & rarissima in illo Miliaria, & semper symptomatica fuisse, doceant. Animadversio in imperitos, qui maculas rubras, & sudamina, cum Petechiis & Miliaribus inepte confundunt. 4ta. *Objectio statuens exanthema hoc, ob regularem oriundi, crescendi, decrescendique tempus, criticum dicendum esse, nihil probat: id textu* Hippocratis, *plura alia adhuc docentis, ostenditur.* 5ta. *Objectio supponit ideo critica esse Miliaria, quod eadem moderari, mutare, minuere non liceat, ut quidem id, quod vere symptomaticum: Respondetur summo ægrorum emolumento, & licere, & oportere* 6ta. *Objectio comparat illa cum Variolis & Morbillis, ponitque male a me negari, quod ut hi illis, sic illæ his, superveniant: respondetur paucis exceptionibus regulas universales non destrui: adeoque jure me negasse.* 7ma. *Objectio me ipsum ut idiopathica descripsisse: respondetur negando.* 8va. *Objectio condemnat meam in Miliari febre methodum, V. S. eductionem ægrorum ex lecto, vesicantia &c. Respondetur demonstrando V. S. necessitatem apud* Germanos, *deinde* Sydenhami *exemplo a* Boerhaavio & illustrissimo Præside *laudato, meam methodum commendari. Vesicantia id non facere, quod supponit objectio, demonstratur observatis; verus demum illorum usus & effectus ostenditur.* 9na. *Objectio nititur testimonium* Fr. Misericordiæ *annihilare; probatur non modo verum fuisse, sed novis constare & firmari experimentis.* 10ma. *Objectio agit de omisso* maximam partem *in latino* Lautteri *textu gallice reddendo. Respondetur quod incuria fecerim, idem vitium in eodem textu gallice reddendo paulo inferius commissum esse ab iis,*

qui

qui ob id me carpant. 11ma. *Objectio spectat contradictiones notatas in libro doctissimi Domini* Hazenohrl: *Responsio demonstrat, aut imaginarias has objectiones esse, aut malevolas. Objectio* 12ma. *de usu candelæ ad detegenda miliaria, & responsio. Objectio* 13ma. *supponit me perperam* Hoffmannum, Fuchsium, Triumphium, *in meas partes laudasse; respondetur laudari in meam sententiam debuisse, eo quo laudavi sensu, non vero in eo sensu, quo adversarii velint, & qui meus non fuerit.* §. III. *Epilogus hujus capitis necessaria.*

§. I. Ex quo Medicinam, idque *Viennæ* potissimum, feci, per observationes, quas in nosocomio meo, & apud Ægros in urbe atque suburbiis in consilium vocatus, plurimas habui, dudum didici duo hæc: 1mo. Clarissimum meum in Cathedra Viennensi Antecessorem, & augustissimæ Imperatricis Eleonoræ Archiatrum, *Paulum de Sorbait*, ante 100. fere abhinc annos, verissime *de Petechiis*, extra pestem contingentibus, scripsisse *Univ. Med. pag.* 541. quod essent motus *noxius* ac *symptomaticus*; & pag. 545. *Expulsio symptomatica*, cujus tam parum noxia esset retardatio, ut extantibus iisdem venæ sectio tuto institueretur. 2do. Incomparabilem *Sydenhamum* 80. adhinc elapsis annis in *Schedula monitoria* justissime non modo similia de Petechiis, de Maculis purpureis, & de Miliaribus, testatum esse, verum etiam raro a natura, sæpius mala arte extorqueri, luxisse.

Hinc elapsis propemodum quatuor annis in dedicatione Thesium de Div. Febr. ad auditores meos hæc dixi: „Dantur Exanthemata Petechialia, & „ Miliaria *critica*; dantur mere *symptomatica*; dan„ tur denique *accidentia*, aut *accidentalia*, ut vocant, „ prava arte producta. Pestilentiosis temporibus

„ Cri-

„ Critica frequenter, frequentius ſymptomatica,
„ deſcribuntur Auctoribus: tempore autem minime
„ peſtifero, Exanthemata hæc tum critica, tum
„ ſymptomatica, rariora ſunt, accidentia vero, fa-
„ tali ſcilicet arte genita, frequentiſſima."

Poſt editum hunc librum, magis convictus fui, magisque, de tanta utriusque Exanthematis, veluti critici, raritate: ita ut vix critica dari, ſponteque generatorum Exanthematum pleraque, ac fere omnia ſymptomatica eſſe; cæterum ſymptomaticorum in *Germania* numeroſiſſimorum pleraque eſſe factitia, audacter ſtatuam.

Hinc in omnibus fere quæ edidi opuſculis medicis, hanc veritatem propoſui, ſtatuminavi, unguibus defendi roſtrisque: ut demum omnes, qui Medicinæ addiſcendæ cauſa ad inclytam hanc Univerſitatem confluunt, dictis convicti factisque, ad extinguendum hoc peſſimum, ac ſæpe letale ſymptoma, animum admoveant, dum ipſi per ſeſe praxin exercebunt.

§. II. Sed altiores egit radices patrius error, quam ut exantlatis hucusque laboribus evellatur animo. Id me docent ipſi Medicinæ Tirones, quos converſatio cum vetuſtioribus Medicis, quos male relata exempla, quos horror omnis ejus quod novum dicitur, licet ſit præjudicata opinione antiquius, ita præoccupavit, ut ſylvam objectionum collectam mihi ſæpe objiciant, ad quas toties reſponſa ipſis dedi, quibus videbantur convicti recedere; haud ita tamen, quin convictionis obliti, ſæpius ad me redirent, crambem recoquentes antiquam.

Cum porro ſalus publica ſuprema lex ſit, & cum noſocomii noſtri Diariorum collectiones, quas opuscula *de Rat. Med.* referre ſolent, in uſum ſtudioſorum præcipue evulgentur; operæ pretium erit, in hac octava ejusdem operis Parte, easdem tum am-

plius evulgare, tum elucidatius exponere, ut demum omnis de illorum animis auferatur hæſitatio. Quo autem utilius atque efficacius id exequi poſſim, putavi nihil ad id accommodatius fore, quam recenſionem earundem objectionum, quas mihi contra meam ſententiam oppoſuerunt, & ad quas reſponſa, quæ dudum dederam, nondum rite intellexiſſe eosdem deprehendo. Noſocomii obſervata ſimul ad objectiones easdem dirigam, & applicabo.

I. Objiciunt mihi ſæpe problema, quod Ill. Med. Præſes L. B. *van Zwieten*, capite *de Aphthis*, Medicis propoſuit illis, quibus occaſio rem propius examinandi, quam ſibi, ut Archiatrorum Comiti, liceret, frequentiſſima adeſſet; *utrum ſcilicet Miliarem morbum inter, & Aphthas, tanta intercederet affinitas, ut quod apud Belgas Aphthæ, id Miliaria apud Germanos eſſent*; unde concludunt *non poſſe Miliaria dici factitia, quia factitiæ non ſunt Aphthæ.*

Quidquid ex problemate concluditur, æque problematicum manet, quam problema ipſum. Verum demus non eſſe problema, ſed demonſtrationem; quid inde? Profecto Miliarium in *Germania* ruinam neceſſario præfatur.

Belga natus, & ſpatio 19. annorum luculenta ibidem praxi exercitatus, certi quidquam & novi de aphthis proferre potui; utpote qui pluribus annis poſterior magni *Boerhaavii* in Coll. Pract. auditor fuerim, quam Ill. Præſes; & qui integris novem annis poſt Ill. Viri abitum praxim ibidem exercuerim.

Aphtharum nomine quid intelligatur proprie, ex definitione *Boerhaavii*, & Commentario Ill. Præſidis cuique notum eſt. Antiquitus videmus eo nomine potiſſimum intelligi puerorum morbum, & etiam exedentia adultorum ulcera, quæ cancri aquatici, vel ulceris Nomæ nomine, nunc deſcribimus; minime vero aliquod ſymptoma, vel evacuationem criticam,

cam, quæ in acutis creberrima conſpiceretur, ut quidem poſtea. *Foreſtus* in *Belgio* potiſſimum ſic de aphthis agit, ut dixi: addit vero libr. 14. in Scholio ad obſ. 22.: „ Aſt Aphthæ quæ in febribus & in morbis „ acutis, & in peſtilentia, & quæ frequentius in pe„ riculoſis febribus apparent, ex flagrantibus exha„ lationibus etiam in peripneumonicis, ut ſæpe vi„ dimus, raro non diro augurio ſpectantur." *Sennertus* in Germania prax. lib. 2. part. 1. cap. 18. ut infantum morbum deſcribit; ſin vero adultos occupat, ad malignitatem morborum acutorum refert.

Ex quo vero regimen & medicamenta calida *Belgis* per integrum fere ſæculum acceptiſſima fuere, aphtharum frequentia tanta ibidem fuit, ut gauderent Medici & ægri acutum morbum quandoque ſine aphthis curari. Luxerat quidem diu infamem ob illas Patriam ſuam *Boerhaavius*; verum triennio ante ſua fata vidi, audivique, venerabilem Senem gloriantem, & exſultantem, quod indies aphtharum crebritas minueretur, ſpemque ſui interitus daret, ex quo Hippocraticæ methodo, multitudine ſuorum diſcipulorum ſenſim inductæ, inciperet, pergeretque cedere error antiquus.

Hoc adeo verum, ut ipſe ego, ultimis Batavæ meæ praxeos annis, celebreſque mecum in Patria practici, teſtarentur, vix bis ter in anno aphthas ſe in adultorum acutis cernere morbis; læti ob id inprimis, quod inciperemus hoc modo carere ejusmodi in acutis ſymptomate, quod criticæ evacuationis honeſta appellatione vix eſſet recenſendum. Equidem *Boerhaave* Inſtit. §. 938., & Aphoriſm. cap. *de Aphthis*, ad criſin eas retulerat; ſed ad qualem? Ad difficilem, laborioſam, periculo plenam, ac ſæpe letalem; raro ſcilicet ortam a natura febris, ſed, Aph. 991. probl. 3. *maxime ſi medicamenta, victus, regimen, calefacientia (aut adſtringentia) initio hujus morbi data,*

data. Agnovit eas absque calefacientibus nasci, sed simul ab iisdem nasci *maxime* asseverat. Ergo agnovit quoque aphthas *factitias.* Hinc minime in Collegiis mirabamur, quod magnus ille vir, *Sydenhamum* imitatus, nobis tam serio inculcaret, ut in initio ejusmodi febris, quæ adjunctam Diarrhœam & Dysenteriam haberet, & in quarum fine alioqui essent adpariturae aphthæ, purgans daremus, *quo ejusmodi Aphthas præcaveremus.* ibid. probl. 4. Si autem jussit nos aphthas, ne nascerentur, præcavere, agnovit aphthas negligentia medici factitias; aphthas, inquam, quæ in fine morbi haud affuissent, si Medici in morbi principio suas partes explevissent. Eodem prorsus modo hic *Boerhaave* egit, quo ante 100. fere annos *Sydenhamus* agebat, dum bubones, parotides, antraces, periculosas sæpe febris pestilentialis crises, tam salutariter sudore 24. horarum, ac purgante, præcaveret, ut omnes inde feliciter emergerent; interea dum aliorum plurimi, quibus hæc Medici non præcavissent, desiderarentur. Vid. de Febr. pestil. & peste ann. 1665. 1666. Eodem denique modo, *Sydenhamii* ac *Boerhaavii* sapiens exemplis, Cl. *Allionius*, Miliaria, in febre ad illa disposita, ne erumperent, præcaveri docuit, bina ternaque venæ sectione, totidemque purgantibus; quam methodum ut saluberrimam toties expertus, vehementer laudat.

Itaque quo magis urgent adversarii problema hocce, eo magis statuminant, & roborant, sententiam nostram.

II. *Si Regimen, & calida medicamenta, miliaribus producendis apta nata forent, utique ad* 16. *sæculi initium, quo Sylviana methodus florere incepit, necesse est tunc illa adparuisse, & ex eo tempore ubique, siquidem calida methodus exinde universalis fuit.*

Transeundo errorem in Epocha Sylviana commissum, siquidem initium 16^ti^. sæculi, imo vix il-

lud

lud 17^{mi}. nec dum *Sylvii* videre natales, virique opera prima ante 1664. lucem non viderunt; dicam calidam methodum dudum ante Epocham illam in Germania viguisse. Sed his transmissis argumentum argumento opponam, quo ejusdem imbecillitas patescat. Si congressus venereus posset luem veneream, ac gonorrhœam, creare, hanc & illam creasset jam ante numerosa sæcula, siquidem semper obtinuit ejusmodi congressus. Atqui ante finem sæculi 15. nullibi Europæorum locorum morbus hic notus fuit. Ergo eundem producere congressus venereus non potuit. Est quidem ridiculum argumentum; sed quo objectionis ridiculitatem demonstret, necessarium. Utriusque autem facti, argumento utroque contenti, rationem rogatus, fateor responsi nihil me invenire, quam, quemadmodum finiente sæculo 15. morbi venerei, ab impuro congressu contracti, primo in regno Neapolitano apparuere, & deinde reliquos ordine Europæos invasere, prout infectorum commercio succedente ordine utebantur; a qua tamen causa, licet antea millionesies & millionesies posita, lues venerea nunquam orta esset; sic post elapsi sæculi principium (eam enim epocham figere Riveriana suadent,) nata Miliaria esse ex regimine calido, a calidis medicamentis, ab aëre aut non, aut non sufficienter, renovato, ab eodem multorum hominum exhalationibus inquinato, ab interna corruptione humorum, illi simili, quam calida dicta generent, & forte ab aliis nonnullis causis; a quibus tamen causis nunquam antea generata essent. Mera observatio est, cujus causam neque in Purpura, neque in lue Venerea, ingenio assequimur, naturæ utriusque corruptionis ignari.

III. *Frequentissima sunt Miliaria Viennæ, & in omnibus nosocomiis, & in privatis ædibus, etiam quandoque reperiunda in meo nosocomio. Atqui Viennenses Medici*

 calida

calida methodo tam parum utuntur, ut qui eosdem de illa accuſaverit, videatur de lana caprina diſputaſſe, neque ego certe calidis utor in noſocomio. Ergo non eſt verum, quod ea calida methodus pariat.

Reſervandum mihi reſponſum ad ea, quæ de *omnibus Noſocomiis* objiciuntur, admitto majorem, & ad minorem, ſalvo ſemper honore plurium Viennenſium medicorum, qui egregiam methodum curandi adhibere ſolent, morbosque acutos, in quibus exanthema prodit, ſic curant, quaſi illud non adeſſet, id quod mihi teſtati ſunt ſæpius; reſpondeo 1mo. formulas multorum Medicorum adeptum, certo me noſſe, & in noſocomiis, & in urbe, ſuburbiisque, plurimos reperiri Medicos, qui calidis Alexipharmacis, copioſo præprimis Croco, ipſo acutorum principio, perque univerſum eorundem decurſum, utantur, & hanc ſuam methodum publice laudare non vereantur, ut virus, quemadmodum *Hoffmannus* Medicis pravis exprobrabat, de corde pellant. Extant innumeræ formulæ Hofmannianæ dictæ miſturæ cum bona Croci doſi; formulæ linctuum pro tuſſi catarrhali, quibus ſuſpicione aut latentis, aut ſaltem futuri exanthematis, crocus eſt admiſtus. Præſens in conſultatione vidi celebrem Medicum, animadverſo, ut poſtea patuit, culicum morſu, cardiaca calida ad exanthema, ut ajebat, foras ejiciendum, jam dediſſe: methodo tamen a me, binisque aliis Collegis, in rationabilem mutata, æger absque vel minimo exanthemate brevi integreque convaluit. Advocatus ad conſultationes, aërem nedum ægris, verum nec ſanis, calore tolerabilem, ſæpius deprehendo. Quin & animis adeo alte inſitum calidi aëris præjudicium offendi, ut hora conſultationis is, ne conquererer, moderaretur, moxque, abeunte me, incenderetur; quam fraudem, aliquando maturior interpellans, detexi. Plures etiam boni Medici apud

me

me conquesti sunt, quod, quantacumque diligentia aëris commendarent, curarentque temperaturam, tamen vulgus æque nobile, quam ignobile, calidum perpetuo aëra, se abeuntibus, concilient ægris. An ergo falsum non est, quod, qui de hisce conqueratur, de lana cavillet caprina? An miremur, quod exanthemate infamem se Regia *Vienna* lugeat?

Resp. 2do. ut prava arte Miliaria, alioqui defutura produci, sæpe conquestus sum, ita luce clarius evici aliis occasionibus, haud sic calida medicamenta requiri, ac si, citra illa, petechia aut purpura gigneretur nunquam. Equidem etiam sine medicamentis calidis aptum aëra esse, qui illa producat, calidiorem: adeoque a Medicis, temperatam medelam dantibus, Miliaria millies creari, dum aut studio imperent, aut conniventia tolerent, acute laborantes calido in aëre foveri perpetuo. Demonstravi pluries quoque purpuram eorum sub cura produci, qui calidi remedii, calidique aëris osores, vano interim metu ægros lecto sæpius eximere, eorundemque propriis inquinamentis in lecto fœdatam athmosphæram sufficienter mutare, ac lustrare, religioni habeant. Generari forsitan eadem facilius dum in ægris, lecto vix mutatis, venæ sectiones fuerint omissæ; sive præ defectu necessariæ distinctionis veram inter imaginariamque debilitatem, sive præ generaliore, quam par est, persuasione insequuturi cujusquam nocumenti, si ægris acutorum principio vena secetur, quando aut impetus humorum vehemens non sit, aut cutaneæ sperentur, expectenturve, eruptiones. Præterea docuit experientia toties, absque calidis remediis, abs calido aëre, Miliaria & Petechias produci, quando plures ægri, eodem in loco collocati, athmosphæra mutua, aut non mutata, aut saltem haud sufficienter, ut in bellis toties visum, vesci cogantur. Quin etiam omnibus sic a

Medico directis, ut nullatenus exanthema gigni debeat, gigni nihilominus idem, dum qui jam prius istud vel in miasmate alibi concepissent, vel aliis explicitis de causis sibi comparassent, curandi susciperentur. Tandem spontaneam acutis in ægris humorum corruptionem, spontanea exanthemata, penitus tamen symptomatica, & perniciosa, generare nonnunquam.

Cum ergo tot existant causæ, a quarum vel unica hæc exanthemata citra naturæ operam produci queant, nonne iniqua prorsum argumentatione concludere velint, exanthema ideo datis de causis non gigni, si earum vel unica desit? Eodem plane modo concluderet quis febrim ardentem gigni posse nunquam. Optimus *Boerhaave* Aphor. 740 „Causa, inquit, „ (febris ardentis) labor nimius, iter longum, æstus „ solis, sitis diu tolerata, usus calefacientium, fer„ mentatorum, aromaticorum, acrium, veneris ni„ miæ, delassatio immodica, maxime æstate, &c." Sex igitur septemve varias, seorsimque subsistentes, febris ardentis causas enumerante *Boerhaavio*, licebitne negare hujus febris præsentiam, eoquod ad eandem præsentem sistendam ex his septem defuerit una, duæ, tres? Ut febris ardens non gigneretur, deesse oportuisset caussas omnes: data autem earum vel unica, generari potuit.

Sic unà responsum habetur ad objectionem, petitam a viso quoque Exanthemate in nosocomio nostro. Nunquid ideo apud nos, citra bonæ naturæ operam comparere haud potis est, non porrectis licet medicamentis calidis? Ordine adplicentur exanthematum recensitæ causæ omnes ad ægros, qui eadem apud nos acquisiverint, & capiet facile quisque, quod aut a degeneribus prorsum humoribus, aut proprio neglectu, aut suscepto antea contagio, subinde debuerint nasci.

Dedi

Dedi in variis *Rat. Med.* Partibus catalogum horum, & omnium, qui unquam exanthematibus apud nos laborarunt; ex quibus antequam demonstrationem formem, recentiora nonnulla prius enarrabo. Anno 1762. feminam cum Miliaribus in nostro nosocomio acquisitis ægram habui, idque hunc in modum: per decem dies acutæ febris labore agitata femina, demum ad nos confertur. Die 15., non critico, Miliaria prodeunt notabili cum incremento morbi. Die 19. non critico, abundantior purpura. Die 21. non critico, post ingentem horrorem calor, sudor, copiosiora Miliaria; quæ & pauciora ante, & copiosiora post, auditoribus demonstravi; eaque demum sic, ut die 24. moriente ægra, tum essent copiosissima, tum aliquantisper a morte, adhuc bene prostarent.

Anno currente, ad 8. Aug. juvenculam suscepimus, quæ cum continua febre ædibus expulsa, ad feminam pauperrimam sibi notam se contulerat, ibidemque citra ullum auxilium ad medium tertium diem jacuerat. Inde in quoddam nosocomium, in quo exanthematicorum legio, delata, sex horis citra auxilium, tantummodo plurimum tecta, ac probe sudans, mansit; inde ad nos sella portatili bene clausa conducta est, maculis petechialibus hinc inde jam conspicuis, pectore anxia & tussiculosa. Die 4. & 5. morbi alvus cocta biliosa, naturalis urina, sudor levis, febris pauca. Ad meridiem diei quinti febris admodum magna, valido cum sinistri lateris ventrisque dolore. Post factam sanguinis missionem obdormivit, ac sudore toto pomeridiano tempore diffluxit, maculis petechialibus inde non promotis, sed ita sensim obscurantibus sese, ut ad 9. morbi diem ulla vix relinquerentur vestigia. Quod autem notandum, post venæ sectionem die morbi 5. factam, crisis facta videbatur sudoribus & alvo, ita quidem, ut bona indies perseverante alvo, cum urina existente

passim naturali, semelque hypostatica, ad 10. diem inchoantem nullam prorsus febrem ultra deprehenderemus.

At vero 16. die mensis, morbi die 12., non critica, notavimus alba quædam, eademque parva admodum Miliaria in pectore, at ita inconstantia, ut nunc conspicua, hora vix elapsa, evanida, pauloque post iterum visibilia essent. Idem morbi 13. die; perseverante interim, quæ ante Miliaria affuerat, sanitate. Die morbi 14. & 15. bene conspicua, sed minutissima. Die 16. 17. 18. 19. 20. mane quidem pauca, post meridiem vero plura. Die 21. mane plura, post meridiem pauciora. Die 22. vix visibilia. 23. nulla. Cum puella hæc post crisin sana vixisset, ita ut quovis die ambulans, & sedens extra lectum, nec ante eruptionem, nec sub, nec post illam, vel minimum ægrotasset, templum 1. Sept. adivit, silentio supprimens levem ventris dolorem. E templo redux, vomuit, quæ comederat, fere tam integra, quam in mensa fuerant. Levem inde experta febrim, sudavit nocte multum, & sana surrexit, mansitque.

Dedi jam Cap. XIX. hujus Tomi historiam feminæ, quæ sub idem tempus, ad diem sui morbi 5. purpureis maculis extantibus, ad nos allata fuerat; septimoque die judicari visa, ingens posthac negotium nobis facesserat; & Cap. XX. aliûs, quæ a triduo Petechiis tincta, ad 7. diem ad nos conducta, & ad 11. mortua est.

Ex cunctorum recensione decem homines, spatio decem fere annorum numeramus, qui alterutrum exanthema, aut utrumque, in nostro nosocomio acquisiverunt. Horum porro decem, tres in nosocomiis, exanthemate infectis, aliquantisper decubuerant; unus negligentia petechias sibi comparavit. Quinta ad peripneumoniam neglectam, extra ædes nostras, habuit Scarlatinam ac Miliaria, in nosoco-

mio

mio vero variolas & petechias, a degeneratione humorum subtilissimorum summa. Sexta ex morbo maxime maligno, cum mictu cruento, fere desperato, petechias contraxit. In reliquis, morbus acutus per 4. 6. 8. 10. dies neglectus, jam motu, calore, labore, sudore, in multos loci versus errores, malignitatem jam contraxerat.

Cum exanthematibus jam conspicuis quatuordecim ad nos allati sunt ex nosocomiis aliis, privatisve ædibus.

Igitur spatio decem fere annorum 24. homines exanthematici in nosocomio nostro fuere: Octo scilicet exanthemate petechiali, quos inter cum variolis una; undecim solo miliari: quinque utroque, eosque inter una cum pessimis variolis, affecti.

Horum quatuor diem eruptionis reliquere incertum; novem quidem die aliquo critico habuere eruptionem, novem vero die non critico, duo in restituta post morbum sanitate: verum in horum nemine criticæ evacuationis notam sustinuerunt: aut enim in morborum acutorum incremento prodiere; aut si in statu, decrementove, cum symptomatibus pravis; ita ut inde perierint nonnulli, copioso licet exanthemate tecti, pluresque sive Cortice peruviano, sive criticis evacuationibus aliis, sive utrisque, servati fuerint: aut judicato, curatoque jam morbo, supervenere Miliaria, absque ullo præeunte concomitante, subsequente, symptomate.

Hisce igitur mature consideratis, capient facile studiosi nostri cur morbus hic a Natura raro, ab arte vel casu ut plurimum genitus, etiam nostro in nosocomio compareat? compareat autem adeo rarissimus, ut utroque exanthemate simul sumpto, vix quinquies inibi biennali advertatur spatio? &, si numeremus eos modo, qui illud in nosocomio acquisiverint, unicus modo singulo detur anno? Prætermquam

quam quod in hac enumeratione liberalem juniorum quorundam Medicorum in numerando modum de industria imitati simus, ne quid cavillent; haud vero, ut eandem approbemus. Si enim pauculas illas maculas rubras, vel purpureas, quas *Sydenham* passim, quas *Boerhaave* pluribus in locis, a petechiis distinguendo ad pessimam humorum corruptionem referunt; si præterea quasvis pustulas miliaceas, sudore genitas, quas Patres Græci ἱδρῶα vocarunt, Latini *sudamina*, *papulas sudorum*, quales ut sano in æstivis sudoribus, sic sudantibus ægrotis sæpe obveniunt; si, inquam, hæc omnia ad Petechias, & Miliaria relegemus, tunc ab orbe condito, per universas mundi plagas, petechiæ & miliaria sunt ἐνδημικώτατα. Hoc autem negatur ab omnibus. Quam incongrue ergo miliaciis illis sudaminibus, in sudore critico nonnunquam prodeuntibus, crisin morbi clamitent per Miliaria fieri! sed *nova* data occasione, de hisce latius: Dives enim differendi seges mihi adest. Capient quoque quantopere præter veritatem mihi objecerint, quod Miliaria soleant, *etiam fatentibus nobis*, & diebus prodire criticis, & morbi afferre, omniumque symptomatum, insigne levamen. Contrarium prorsus ex allatis vident exemplis. Si præterea videant, quæ in hoc ipsum notarint viri, eruditione aut praxi aut utroque clari, *Pourchon*, *Trumphius*, *Fuchsius*, *Kleinius*, *Hazenöhrl*, *Lautter*, erunt de iis, quæ profero, convicti. Et qui multitudine observationum cæteros antecellit cl. *Allionius*, qui ipsus ex professo de Miliaribus, tanquam naturaliter genitis, differuerat, nonne disertis scripsit verbis hæc: „ Tertio aut quarto die, (ambobus criticis) exeunt pustulæ, septimo, & octavo, plerumque letales: minus funestæ, quas dies sexta (criticorum infidissima) affert. Et per manipulos & cohortes, incerta die ac hora, fit hujus exanthematis expulsio." Ju-

Jurene ergo, an injuria, Diſcipuli mei ex pag. 70. *Theſ. de febr. Diviſ.* colligant criticum me pronuntiaſſe miliare exanthema? Conqueror pluries objectiones, quas refutandas ſuſceperam, aut jam refutaveram, nihilominus tamen veluti meam propriam ſententiam laudari; pari, ni fallor, injuſtitia, qua quis *Sydenhamum*, toties calidam methodum refutandam aſſumentem, veluti calidæ methodi celebraret Patronum: aut qua quis aſſereret *Davidem* Regem in Pſalmis 13. & 52. Dei negare exiſtentiam, quando impiorum ſententiam oppugnaturus, referret quid ipſi in corde ſuo dicerent.

IV. *Criſin Miliaria referunt*, inquiunt mihi ſtudioſorum nonnulli, *regulariter procedendo, certamque efloreſcentiæ, exſiccationis, ac deſquammationis ſervando periodum.*

Sat ſuperque reſponſum, quod ad tertiam objectionem dedi, hanc quartam diluit, ut inſalutatam hanc præterire poſſim. Verum cum Diſcipulis meis nihil non debeo, dabo illis & aliquam hujus objectionis refutationem peculiariorem. Neſcire me fateor quid in mentem venerit ipſis, quod allatis de cauſis Miliaria critica vocent? *Hippocrates* ſaltem tale quid, propter has cauſas, criticum non vocasſet. Graſſabatur populariter *Perinthi*, Epid. 2. pag. 1020. Febris ardens, quæ ut plurimum die 14. judicabatur ſudoribus, at vero in ipſa æſtate ſudores jam a principio comites habebat; prætereaque die 7. (critico) die 8. (non critico) die 9. (critico.) „ Τρηχύσματα ἐν τῷ χρωτὶ κεγχρώδεα, τοῖσιν ὑπὸ κωνώπων „ γινόμενοις μάλιστα ἴκελα ἀναδήγμασιν, οὐ πάνυ κνησμώδεα. „ Aſpredines in cute miliaceæ, culicum morſibus „ maxime ſimiles, oboriebantur, haud multum ta„ men prurientes. Ταῦτα διετέλει μεχρὶ κρίσεως, hæc „ ad usque criſin perſeverabant." Ergo erat ſymptoma peculiare in hac febre ardente, quod & diebus criti-

criticis, & non criticis efflorescens, perdurans diu, & periodum disparendi servans, morbum nedum judicabat, verum ad morbi crisin, nempe sudorem, disparebat. Ergo Exanthemata regulariter procedentia, certamque efflorescentiæ, exsiccationis, desquamationis, periodum observantia, nec *Hipp.* nec ulli in hunc *Hipp.* locum commentatores, ad criseos naturam & genium ea de causa retulere.

Plura sane hoc in textu nos *Hippocrates* docet. Ac primo quidem, ut jam dictum, regulas crescendi evanescendique servantem efflorescentiam, minime tanquam criticam, sed tanquam mere symptomaticam, consideravit. Secundo crisin neutiquam huic tribuit, ast sudoribus diei 14. Tertio, in hac ardente febre, quæ tam benigna, ut ipse testetur illam nihil habuisse maligni; & ut, licet ab initio sudores perperam adessent, tamen pauci inde morerentur; in hac, inquam, febre, adeo benigna, agnovit excretiones dari symptomaticas, contra illorum sententiam, qui ideo negent symptomatica posse Miliaria haberi, quod sæpe in benignis acutis contingant, in quibus illi credunt tantam humorum non dari degenerationem. Et morbum benignum salutavit *Hippocrates*, & in benigno morbo exanthemata descripsit symptomatica.

Dum igitur accusamur quod Crisin acutæ febris non Miliaribus, sed aliis, aut simul, aut postmodum contingentibus evacuationibus adscribimus, auctore id facimus *Hippocrate*. Ut enim ille agebat in descripto exanthemate, ita nos symptomaticam Petechiam ac purpuram habemus, eo quod utraque die erumpat & critico, & non critico; quod eruptio in die critico pejor sæpe demonstretur, quam in non critico; quod cum eruptione, postque eandem, morbus sæpe ingravescat, morbique symptomata; quodque, etiamsi morbus in melius vertatur, tamen ea

ea in meliorem conversio minime exanthemati symptomatico, sed aliis criticis perturbationibus & evacuationibus potius adscribunda sit, quæ morbosam eliminantes materiem, simul illud symptomaticum crudumque exanthema, quod secundum *Allionium* pag. 44. coctionem non patitur, pellant foras.

V. Attamen instant: *Symptomatica dici hæc exanthemata nequeunt, eo quod symptomatica, si modum excedant, supprimere, minuere saltem, liceat, oporteatque: nunquam vero Miliaria; ni mortem velis, pejorave morte creare symptomata.*

Profecto ut Symptomaticos in acutis sudores, ut *Sydenham* Collegæ sui Petechias, ita *Allionius*, nosque cum ipso, ægrorum e lecto exemtione, venæ sectione, enematibus, cortice peruviano, symptomaticos hosce motus moderamur cum bonis ægri rebus, totosque auferimus. Ergo sunt Symptomatica exanthemata.

VI. Comparant Medicinæ Tirones *Miliaria ac Petechias cum Variolis & Morbillis, naturali ortu, progressu, effectu; id me perperam negasse arbitrati, quando scripsi Variolas & Morbillos non supervenire Miliaribus ac Petechiis, sic ut penitus prodeant, crescantque, quemadmodum quidem hæc illis; contrarium nempe ex Camerario, & Albrechto, N. C. Sodalibus, demonstrari.*

Cum Tironibus multæ ineptiæ condonandæ sint, & ad has respondebo. Primo ex quinque rationibus, ob quas hanc comparationem, libr. de Febr. Divis., negaveram, quatuor suppressere, ac, veluti illas quatuor non adduxissem, unicam quintam arripuerunt. Attamen arripiundæ erant omnes quinque, ut stringeret causa negati. Secundo etiam hanc, quam memorantur unicam, mutilarunt. In Febr. Div. pag. 70. sic scripseram: „Variolæ & Morbilli non „ superveniunt Miliaribus & Petechiis, sic ut peni„ tus prodeant, & crescant, sicut quidem hæ illis, „ sed

„ ſed tantum eo, quo pag. 32. dictum eſt, modo."
Porro pag. illa 32. dixeram: „ Miliaribus enim, aut „ Variolis, aut Morbillis, aut Scarlatinis, Petechiæ „ ſuperveniunt; & vice verſa Variolæ, Morbilli, „ Miliares, ad Petechias accedunt, vix elevantes „ ſe, mortemque denunciantes propinquam." Communem obſervationem ſic me expoſuiſſe crediderim. Rogo enim practicos quosvis, num eandem utrimque conſuetudinem obſervent ſic, ut eo modo Variolæ Miliaribus & Petechiis ſuperveniant, quemadmodum hæ ambæ illis? Num, quo in loco Miliares & Petechiæ frequentiſſimæ ſunt, ſic in illis Medici expectant Variolas & Morbillos, quemadmodum in Variolis ac Morbillis, Petechias aut Miliares? Si igitur nudo, quo ſcripſi, ſenſu verba mea intelligantur, eam referre ſententiam cenſeo, quam tenent mecum Medici omnes. Verumtamen exempla proſtant Variolarum Petechiis ac Miliaribus supervenientium. Admitto utique illa; utpote qui ſimile elapſo jam ſexennio protulerim. Sed num rariores exceptiones ſubvertant communes naturæ leges? Tunc nullas leges Medicina haberet, nullas Phyſica tota, nullas alia quælibet ars; ſemper enim aliquid eſt, quod extra easdem divaget.

VII. *Sed ipſemet ego*, pergunt, *in Febr. Div. pag. 39. Miliarem morbum velut idiopathicum, & graviſſimum quidem, deſcripſi, cujus illa eſſet proprietas, ut morboſam materiem ad corporis deferret ſuperficiem.*

Nunquid, qui ſic fantur, mea volverunt attente? Videant ergo revolvendo me morbum nunquam idiopathicum vocaſſe, ſed deſcripſiſſe talem, qualem Natura rariſſime, cauſæ aliæ numeroſæ paſſim, generent. Minusne factitia lues venerea eſt, quod Auctores Syphilici eam deſcribant tanquam morbum graviſſimum, cujus illa proprietas ſit, ut ſolida æque quam fluida corrumpat? An inde ſequitur luem vene-

venercam morbum esse, in quem unusquisque ex communibus vulgarium morborum caussis incidere queat?

VIII. Ajunt mihi Medicinæ Tirones se Medicos, veteris opinionis tenaces, advertere *acriter invectos, & quotidie invehi, in methodum, quam in exanthematicis tractandis observem: ægre illos ferre me venam secare, me ægros lecto eximere quotidie, &, si ferant, per aliquot horas in sedili collocare erectos: me vesicantia admovere, quæ longe acrius solida fluidaque humani corporis agitent, stimulentque, quam, de quibus conquerar, calida stimulantia: interea medicos se frequentare, quibus quotannis innumeri exanthematici curandi committantur, qui tamen in febre simpliciter miliari venam non tundant, qui Ethmulleri consilio ægros hosce compluribus diebus lecto haud eximant, qui vesicantia nunquam, nisi efflorescentia retrocedente, ac debilitato vehementer inde ægro, admoveant.*

Medicinæ Tirones, qui his visis auditisque in data ipsis doctrina vacillant, manifeste docent se nec ad ea, quæ apud alios viderint, nec ad illa quæ in nosocomio nostro sibi demonstrata sint, accurate satis attendisse; nec sufficienter se utriusque methodi consequentias & effectus ponderasse.

Profecto in initiis acutorum venam secantem non viderunt me unquam, quando vires vera debilitate prosternebantur, neque in schola medica didicerunt. At vero observare potuerunt in natione Germanica, quæ fluxui hæmorrhoidum sive naturali sive factitio, quæ frequenti admodum venæ sectioni, plus justo assueta est, quæ vorax præterea, vinoque indulgens ac cerevisiæ est, venæ sectionem in acutorum principio, si nihil vetat, egregie conducere: neglectu V. S. ex benignis malignos, eosdemque exanthematicos morbos, esse exortos; sic quidem ut notare potuerint ægros, neglectu jam exanthe-

maticos, instituta ac repetita sanguinis non dissoluti, sed vere pleuritici, missione, e mortis ereptos fuisse faucibus. Obliti penitus videntur confirmatæ toties apud nos observationis *Sydenhamianæ*, de ea apparente debilitate in febribus, cujus cardiacum venæ sectio esset. Ut dubio procul inter causas frequentioris alibi exanthematis missio sanguinis, acutorum principio neglecta, recensenda veniat.

Deinde causam, cur rarius apud nos exanthema, evidentem semper habui, & indefessus docui, esse quotidianam lecti refectionem: intra quod tempus ægri debiliores alium in lectum transferuntur; qui minus debiles per horæ quadrantem, horam, horasve complures, &, si ferunt, bis die, in majore ac commodiore sedili collocantur. Hinc toties videre mecum auditores plures ægros, quibus omnia symptomata, futuri exanthematis præsaga, adessent, febrim duntaxat acutam, minime exanthematicam, sed sæpe benignam, esse perpessos. Viderunt mecum alios, erumpente exanthemate ad nos allatos, tolerabiliter valde morbum hac methodo tulisse, nec quenquam quid detrimenti inde unquam passum esse. Ita ut longe alia & penitus contraria a nostra methodo observaverimus, quam apud alios divulgetur.

Nec insolita hæc nostra ratio, nec nova est. Summorum in medicina virorum est celebratissima. Docuerat nos eandem dictis factisque immortalis *Sydenhamus*. Tempore febris contagiosæ variolosæ adeo abhorrebat ab ægris suis lecto addicendis, *ut ejusdem addictionis effectus compararet cum intempestiva cardiacorum eodem in stadio exhibitione*. Sufficiebat ipsi, nec, ubi rerum arbiter erat, unquam aliter concessit, ut ægri cubiculi ambitu se continerent, *a lectulo, æque quam a cardiacis, abstinentes*: quarto vero die lecto adjudicabat: porro si benignæ ac discretæ essent

essent variolæ, & calida tempestas, *quotidie per aliquot horas lecto exemtos detineri curabat.* Quo demum effectum, ut feliciter morbi progressus ac maturatio fieret, ægrique longe minore cum tædio morbum perferrent. Sin vero aut frigidior anni tempestas, aut eruptio copiosior id minus concederet, lecto quidem eosdem detinebat, verum & moderate tectos, &, foco in Camino mediocriter, bisque die duntaxat, accenso, quando hyems scilicet ingrueret, locum in lecto sæpe mutare jubebat, ne ad perniciosos hic semper sudores cogerentur.

Sed *Sydenhamo* objiciebant, quod nunc mihi; multos methodo prorsum contraria tractatos nihilominus convalescere. Respondebat vir candidus negari tamen non posse, quin quoque plurimi illa contraria methodo interirent, pluresque adhuc interituros, nisi vel a frigidiore tempestate, in quam fors inciderit morbus, vel a Phlebotomia, servarentur: tumque notabile hoc addit: „Ex dictis, ut obiter „ attingam, facile erit vulgare illud problema sol„ vere, quî fiat scilicet, ut perpauci adeo e plebe „ hoc morbo pereant, si ad eos comparentur, qui „ inter divites eodem *trucidantur?* Quod quidem „ vix ad aliam causam potest referri, quam quod ob „ rem domi angustiorem, & agreste vivendi genus, „ vix fiat illis copia sibi nocendi, regimine magis „ accurato, ac delicatiore.

Quando nunc *Sydenham* in valde confluentibus ægros lecto addicebat, veniam concedebat ab hac in illam lecti partem corpus pro arbitrio suo transferendi, eosque, febre maturatoria adpetente, ad id serio monebat, imo per alios curabat illos in lecto versari. Si autem facies in discretis ad 8. diem flaccesseret, ac pallesceret, sudorque bonus eo tempore cessaret, & phrenitis oriretur, præter venæ sectionem, & paregorica, asseverat sæpe se ægros ab

imminente morte præservasse liberiorem auram illis conciliando; quo ut rite fruerentur illos lecto aliquantisper surgere jubebat. Confirmat autem experientiam suam exemplis phreniticorum, qui post sedulitatem irrisam custodum externo aëri frigido, eique nocturno, se exponendo, servati sint; & exemplo juvenis, quem in variolis mortuum nunc a phrenitide habitum, lectoque exemtum, & in mensa, ut cadavera solent, positum, aër frigidior in vitam quasi revocaret. Coma variolosum eadem ratione tractans, *eadem sanguinis contemperatione* inquit, *& maculas purpureas vidi sublatas.* Urinæ suppressionem in variolis, acutisque aliis, ægrum lecto eximendo melius, quam per omnia alia remedia, curabat. Conqueritur alio loco vir præstantissimus, incautioribus quibusdam necesse videri, ut ægri in variolis lecto affigantur, eo quod sudores, in quos illi proclives, cum facilius inde manarent, tum æstum moderarentur febrilem; ubi tamen sole evidentius esset, quod exsiccato hinc corpore ad diem undecimam quamplurimi vitam cum morte transmutarent. In malignis variolis, non ductus opinione, sed experientia firmatus, asserebat „nec venæ sectionem, nec medicamenta diluentia, & refrigerantia, per se periculum auferre; plus vero expectari oportere ab aëre moderato ac renovato: sic quidem ut non, nisi nocte, lecto committendi essent, quibus confluentes illæ anomalæ variolæ erupturæ praeviderentur. Et in genere confluentium semper usque in tertium & quartum eruptionis diem vix, nisi nocte, lectum ægris concessit. sexto autem morbi die, scilicet tertio aut quarto eruptionis, cum ægri præ debilitate abstinere lecto de die vix poterant, eosdem, & ob virium defectum, & ob sufficientem pustularum copiam, lecto addicebat; ea tamen lege, ut non „ plus

„ plus tegerentur, quam sani consueverant, & in
„ lecto se verterent sæpius, verterenturque, ne
„ sudores, hic adeo noxii, prolicerentur. Quare
„ & ipsos infantes cunis sæpe eximi curabat.

Patet igitur evidenter *Sydenhamum* haud solos eos condemnasse, qui aëre ac stragulis in lecto calefacerent, verum etiam hos, qui ægros in lecto simpliciter detinerent: Hoc porro inculcavit, ac repetivit, ursitque, sincerus ille & candidus vir, toties, ut hujus articuli necessitatis ipsum oportuerit penitus convictum fuisse. Hoc ipsum tanti fecit, ut judicaverit non modo frustraneam sine eo esse reliquam antiphlogisticam curam, verum etiam ut descripturus in *Schedula monitoria* singularem epidemicam febrim, in qua *mala passim arte* gigni observabantur Petechiæ, Maculæ purpureæ, Miliaria rubra „ quæ „ licet sponte sua *nonnunquam* ingruant, *sæpius* tamen lecti calore & cardiacis *extorquentur*" hæc summe notanda verba adjungat: *Æger jugem in lecto decubitum, quantumvis levissimis stragulis coopertus sit, non sine magno suo periculo experitur.*

Hæc porro incomparabilis ille veteranus multiplici annorum serie, non ex ludicra cerebri Phantasia, sed Natura duce, didicerat, innumerabiliterque viderat confirmata. Quicumque deinceps naturam imitati in medendo, *Sydenhamiana* verissima invenerunt. Et quod luculentius testimonium *Boerhaaviano? Variolarum adeo accurata Sydenhami descriptio, ut decies legi merenti, pauca modo addenda habeam.* Aphor. 1379. Quicumque Medici in Schola Boerhaaviana Medicinam edocti, & cum *Boerhaavio Sydenhamum* secuti, nihil non exacte verum ibidem deprehenderunt. *Boerhaavii* jam senescentis discipulus, cum publico communicavi in Tomo I. *Rat. Med.* Cap. 12. & in tractatibus quos de variolarum insitione conscripsi, propriam meam annorum multorum

in variolis praxin, quæ Sydenhamianis, & ad hæc adjectis *Boerhaavianis*, ad utraque autem additis propriis observatis innixa, felicitate curandi demonstrat, quam tuto ac proficuè hac via eatur. Pediluvia bis die per universum morbi tempus a *Boerhaavio* ad methodum *Sydenhami* addita, quum eo tempore ægri in lecti crepidine, si debiliores; in sedili, si firmiores, erecti collocentur, adeoque atmosphæram adhuc frequentius mutent, hæc, inquam, utilitate sua magnopere se commendaverunt.

Quid quod etiam hæc praxis a multis illorum confirmetur, ac laudetur, qui oppugnent eandem? Obruta Europa fuit Dissertationibus de inoculandi variolas præstantia, eo præter alios fine summopere commendanda, & ubique introducenda, quod sedeant, quod ambulent, quod ludant, quod cursitent suo in cubiculo inoculati, tam in febre contagiosa, quam post plenam eruptionem; sic ut ne ægrotare quidem videantur, neve metus retropulsionis adsit ullus. Provoco ad complures scriptores, qui hujusmodi narratiunculis suos delectarint lectores. Quid igitur metuatur ne benigna miliaria, quibuscum ægri, ut ajunt, vix ægrotent sæpe, retrocedant, retrocedendoque necent? quid metuant ne erupturum quod creditur exanthema, extra lectum haud satis pellatur foras? An quod, ut suo jam tempore dolebat & conquerebatur *Hoffmannus*, exanthema miliare *factitium* ex facili retrocedat & necet? hoc aliquando contingere cum *Hoffmanno* & *Sydenhamo* arbitror in Petechiis ac Miliaribus factitiis, nec non in variolis atque morbilis, quos copia ac malignitate methodus prava auxerit; cæterum quod *Sydenham* testatur, id plures mecum videre medici, Variolas, Petechias, Miliaria, copiosissima in denatis confertissimaque extare; sic ut mors eorum retropulsioni tribuenda non esset.

Do-

Dolendum interea eſt, quod exultans olim de excuſſo hoc pulvere Medicina, *Sydenhami* potiſſimum ac *Boerhaavii* laboribus, nunc denuo eodem conſpergi contegique ſic videatur, ac ſi nunquam fuisſet excuſſus. Olim honori ducebatur magnorum horum virorum inhærere veſtigiis; ab illis vero diſcrepare in gravioribus rebus, dedecori. Summa cum voluptate horum vituperia, illorum encomia, legimus apud Ill. *Hallerum* in Comm. ſuper *Meth. Stud. Boerh.* Nec horum ſolummodo, ſed & illorum, qui antequam medicina hoc inclytum virorum par venerabunda ſuſpiceret, vel ob communem cum iisdem ſententiam humano generi profuerant, vel ob contrariam nocuerant. „Ab eo viro, (*Helmontio*) „ in Sylvium, aliosque medicos, amor tranſiit an„ tacidorum, quibus innumeræ malæ, in Germa„ nia inprimis, curationes peractæ ſunt." Hall. pag. 888. De *J. D. Horſtio* Prof. Magdenb. „Ex„ tant etiam practica, & non mala aliqua, ut cali„ dæ curationis in variolis refutatio. „Pag. 891. Et „*Franciſcus de le Boe Sylvius*, *Hanovienſis* —— „ egregius —— auctor, tot laudes corrupit nova „ ad Helmontianam nata Theoria, qua omnes fere „ morbos, & acutos omnes inprimis, ab acido de„ duxit, alcalinis vero, & quidem volatilibus, ſa„ nare voluit; neglecta interim, aut non ſatis lau„ data V. S. atque refrigerante diæta." Pag. 894. „ *Thomas Sydenham* meruit poſt *Hippocratem* primo „ loco recenſeri, *non a grata ſola poſteritate*, ſed dum „ inter vivos fuit. Eam laudem ſibi peperit, quod „ *ab omni Hypotheſi purus*, omnem laborem ſuum u„ nice obſervandis morbis impenderit, eorumque „ curationem ab ipſa per felices eventus, inprimis „ præeunte Natura edoctus, propoſuerit; febres „ autem, rejecta inani veneni ſpecifici, aut acidi „ hoſtilis theoria, in univerſum per acida atque re-

 „ fri-

„ frigerantia expugnare docuerit." Pag. 895. „*G.* „ *H. Welsch* —— in praxi secutus est vulgarem sui „ ævi methodum. Calida & Bezoardica dedit in „ febribus." Pag. 897. „*J. Michaëlis*, Professor „ Lipsiensis de Chemica secta, magnus medicamen- „ torum compositorum calidorum & sudoriferorum „ inventor, & ex eo ipso Patriæ non utilissimus, „ quæ his alioquin nimis indulget." Pag. 897. „ *Casp. Theophilus Bierling*, parum latinus homo, & „ deditus formulis, quarum vim non mediocrem sub „ finem subjecit, *non tamen absque judicio fuit*, *qui* „ *præter sæculi morem*, *in Germania inprimis* raro ex- „ emplo venam in variolis secuerit, calidam cura- „ tionem rejecerit." Pag. 901.

Et quid volupe magis, quam ea encomia legere; quibus *Sydenhamum* sequacesque ejus, insatiabiliter extulit Ill. noster Præses? Videatur ad §. 715. & 716. Aph. Boerh. ubi, postquam in sudorum in acutis expulsionem, usumque croci, aliorumque calidorum remediorum, acriter animadvertisset, hæc demum addidit: „ Legi merentur de hac re illa, quæ „ passim in suis operibus habet *Sydenhamus*, qui ge- „ neroso ausu primus, & solus fere, se huic tor- „ renti opposuit, & PERNICIOSAM HANC MEDEN- „ DI METHODUM GRAVISSIMIS ARGUMENTIS DE- „ BELLAVIT, ILLIQUE CONTRARIAM FELICI, IN „ PERICULOSISSIMIS ETIAM MORBIS, EVENTU „ STABILIVIT." Et ad problema *Boerhaavii* §. 698. *Cur lecti*, *aëris clausi*, *victus*, *medicamentorum calor*, *adeo hic noceat?* „Perversa hæc methodus," inquit „ Præses, inprimis invaluit, quia medici quon- „ dam fuerunt in hac opinione, per sudores tutissi- „ me febrilem materiem de corpore eliminari pos- „ se; atque ideo tepore lecti corporis omnem „ superficiem fovendam semper voluerunt. Ve- „ rum uti optime demonstravit *Sydenhamus*, in fine

„ mor-

„ morbi cocta & subacta morbi materies sic quan-
„ doque expellitur; in morborum vero initiis, im-
„ portuna arte sic expressis sudoribus, liquidissima
„ pars sanguinis difflatur, & MORBI SEMPER IN
„ PEJUS RUUNT. Unde huic torrenti se generose op-
„ posuit magnus ille Vir, solus tunc fere." Et ad
§. 610. ubi Boerhaave scribit: *Si itaque exorbitare deprehenditur circulatio, moderamen fit abstinentia, victu tenui, potu aquæ, aëre frigidiusculo — medicamentis blandis refrigerantibus*; sic Ill. Commentator habet: „ Elapso sæculo Medici fere omnes erant in
„ illa opinione omnes febres tutissime & citissime
„ sanari posse per Diaphoresin. Hinc in calidissimo
„ aëre ægros detinebant, stragulis tegebant, imo
„ obruebant, ut nempe fota corporis superficies
„ hoc calore, sudoribus emittendis foret aptior. Ve-
„ rum magno ægrorum damno sic ignes ignibus ad-
„ debantur, & enormiter exacerbabatur febrium
„ impetus. Omnium maxime vero huic methodo
„ insistebant in illis morbis, quos cutaneæ eruptio-
„ nes comitabantur, quales sunt variolæ, morbilli,
„ &c. Primus fere se huic torrenti animose oppo-
„ suit *Sydenhamus*, atque passim in suis operibus in-
„ dicavit nihil perniciosius esse."

Et quid miremur Ill^mos Viros *B. van Zwieten*, & *Hallerum*, in *Sydenhamo* celebrando adeo fuisse profusos? Laudes Viri antea paucis verbis omnes inclytus comprehenderat *Boerhaavius*, in Orat. *de Commend. Stud. Hipp.* dum primum conquestus quod inter recentiores de *Medicinæ usu* scriptores, pauci, si ulli essent, veterum perfectionem attigissent, cum tamen Priscos in cæteris artis nostræ partibus longe superassent, in hæc verba erumpit: „ Unum exi-
„ mium habeo, *Thomam Sydenham*, Angliæ lumen,
„ Artis Phœbum, cujus ego nomen sine honorifica
„ præfatione memorare erubescerem: quem quoties

„ contemplatur, occurrit animo vera Hippocratici „ viri ſpecies, de cujus erga Rempublicam Medicam meritis nunquam ita magnifice dicam, quin „ ejus id ſit ſuperatura dignitas."

At quorſum hæc, forte inquient, de *Sydenhami* laudibus aberratio! Ut miremur hodiernam praxin eo iterum ruere præcipitem, unde *Sydenhamus*, Virique poſt illum in praxi ſummi, eandem tam fortunate eripuiſſent; hodiernam, inquam, praxin ſic tradi, colique, ac ſi ingentes illi, quos laudavi, Viri, ejusdem regulas, natura duce inventas, nunquam poſteris tradidiſſent; venerandaque eorum nomina in tradenda praxi vix amplius reſonare. Doleo Artis fata! Interim probe noſcant genuini omnes Artis filii, dum alienam a laudatiſſimis his viris praxin coli cernant, ex mea ſaltem ſchola petitam non eſſe; ut qui primum in mandatis habeam Boerhaavianum, id eſt Sydenhamianum, id eſt Hippocraticum puræ naturæ ſtudium, unice tradere cum theoretice, tum practice; ſecundo, ut qui, etiam citra tale mandatum, nunquam aliam doctrinam traditurus eſſem, quam eam, de cujus uſu & certitudine tantorum annorum praxis certiſſimum me reddiderit. Unde etiam nunquam me defuturum polliceor, quin maſculam hanc medicinam tuear voce, & calamo, contra quoscumque.

Ut autem difficultatem hanc VIII. demum abſolvam, debeo adhuc *Veſicantia* tueri in acutis. Poſtquam *Aretæus Cappadox* forte primus iisdem Medicus uſus eſt, Medici plerique eadem magni fecerunt; cum vero, quemadmodum cum cunctis medicamentis comparatum eſt, haud omnibus ex æquo prodeſſent, *Caji*, *Maſſariæ*, *H. de Saxonia*, *Terilli*, *Baglivii*, *Hoffmanni*, *Veratti*, operâ, uſum abuſumque illorum rite intelleximus. Obſervatione practica propria ad eas Cl. horum virorum adjecta, conſtat

ſtat mihi evidenter, Veſicantia prodeſſe, ubi vis vitæ debilior, quam ut morbum coquat; deinde, quando intentio eſt certam corporis partem irritare ſic, ut in eandem major calor, rubor, dolor, humorumque advocetur, & acceleretur, affluxus; quo demum quæ pars a morbo præcipue afficiebatur, ea minus humorum accipiat, multaque vis morbi ex reliquis corporis partibus in unam veluti derivetur: præterea quando topicus dolor, cæteris immoriger auxiliis, irritandus eo fine eſt, ut, qua doleat, materies attenuetur, diſcutiatur, pellaturve foras: forſitan quoque quando in nervis aut motus tumultuarius, attenuata ac diſpulſa agitante eosdem materie, moderandus; aut ſufflaminatus, ſtimulo agitandus eſt. An evacuationibus aliis ſufficienter inſtitutis, diſſolvant quoque cruorem phlogiſticum? Sapientioribus hoc determinandum relinquo, id modo testatus, quotiescumque dolorem pleuriticum, ad Phlebotomias iteratas, cæteraque auxilia immorigerum, Veſicante brevi ſuſtulimus; quando veſicans mihi in Pleuroperipneumonia omnem brevi ſedavit dolorem, febrim non modo non intenſiorem, ſed moderatiorem fuiſſe, multoque faciliora ſputa prodiiſſe. Proxime autem ad Veſicantia qui accedant, dropaces, phœnigmi, ſinapismi, huc quoque referendi ſunt. Veſicantia præprimis in parte quam rubefaciunt, ſolutis epidermidis cum dermate vinculis, Veſiculas excitant, quæ, maligniores ſi exceperis acutos, laticem, qui ad ignem concreſcit, continent.

Ex phænomenis enarratis deſtruuntur ratiocinia praxeos vacua, quaſi calorem in corpore præparato excitarent, eo, qui a calidis Alexipharmacis excitatur, formidabiliorem. Unde in præparatis, ut ſemper requiro, corporibus, ad intolerabiles capitis dolores, ad coma utrumque, ad deliria, ad pungentes dolo-

dolores pleuriticos, iſchiadicos, &c. ſalubriter adhibentur, humorum minime inde aucto motu. Et dum *Sydenham* in variolis conſueſceret Allium pedibus adhibere, dum nos aut idem aut ſimile admovemus, ſic calorem; dolorem, & metuendam adeo in Variolis phrenitidem, minui obſervamus, ut eandem ob cauſam febris ipſa adpareat moderatior. Quare & per totum variolarum decurſum hæc ſalubriter adhibentur. Itaque ſi quis rogaſſet *Sydenhamum*, quid ſibi vellet *execrationibus* ſuis in alexipharmaca, quæ tam parce dentur, ut qui in eadem invehatur de lana diſputet caprina; ubi ordiri debuiſſet ab execratione Veſicantium? Utique ſolita modeſtia ſua vir candidus reſpondiſſet, ſe a calida methodo experiri in febribus caloris augmentum, a Veſicantibus autem & Epiſpaſticis, poſt requiſitas evacuationes admotis, haud modo non auctum, ſed imminutum calorem; hic ceſſare oportere ratiocinia; hic ſolam conſulendam eſſe, quæ jugis ac ſedula ad lectos ægrorum, & minime in muſæo, comparetur, experientiam.

IX. Quædam ſuperſunt minoris momenti in Diſcipulorum objectionibus, ad quæ tamen & ipſorum, & veri amore, reſpondendum eſt. Ac primo quidem referunt mihi *a multis falſam haberi, quam ad corroborandam ſententiam meam a R. R. Fratribus Miſericordiæ mutuaveram obſervationem; vigere quippe apud ipſos eodem ſemper modo ut olim, & olim ut nunc, exanthematicos morbos.*

Quæ de raritate Miliarium in Noſocomio Monaſterii horum fratrum in *Tract. de Febr. Diviſ.* cum publico communicavi, hæc ex diariis depromſeram, quæ ſuos in uſus ſibi exaraverat Rev. Frater *Bertrandus*, noſter Collega expertiſſimus, confirmata teſtimonio reliquorum fratrum. Conſervavi hæc mihi, ut cui lubet oſtendere ea poſſim. Qui vero dubitet de Diariorum illorum fide, me imitetur, olim

sub-

ſubdubitantem; & ut ego tunc, & poſtea, & haud ita pridem, ita ipſe Monaſterium intret, examinetque ægros; inter 140. 150. quorum plerique acute degunt, ſæpe 1. 2. 3. ſæpe nullum, quem Miliaria tegant, inventurus, idemque ab expertiſſimo Viro, digniſſimo illius Noſocomii Phyſico *Guarin*, cunctisque confirmari Fratribus, auditurus: qui & id addent, quos paucos exanthematicos habeant, iis dudum domi aut neglectis, aut prave tractatis, exanthema jam paratum, expulſumve fuiſſe, antequam ad ipſorum deferrentur noſocomium.

Ergo reſumo, quam olim feceram concluſionem: Si non a cauſis peculiaribus, quas toties jam memoravi, verum a cauſa cunctis communi; Miliaria orirentur, Fratres Miſericordiæ iisdem, æque ac alia noſocomia quædam, ſcaterent: atqui ſæpe raros, ſæpe nullos, in tanta acutorum ægrorum turba habent eisdem affectos. Ergo.

Inquiſivi ſæpius in methodum ipſorum, & tractatu de *Febr. Div.* plurima dixi. Id modo & Exp. Phyſicus, & Fratres, addunt, quod nulla dies ſit, in qua ægrorum lecti non bis penitus reficiantur, niſi vires id omnino vetent. Quantum id ad avertendos cutaneos morbos in acutis conferre debeat, demonſtravit ſupra *Sydenhamus*; demonſtrat experientia quotidiana.

X. Objiciunt ſtudioſi *a me in Gallica ad amicum Epiſtola minus fideliter ex lingua latina in Gallicam verſum eſſe textum Lautteri; ſiquidem illo maximam partem Miliarium factitiam ſcribente, ego illud pro* maxima parte *in transferendo omiſerim.*

Fateor illud *pro maxima parte* omiſſum eſſe, ſed negligentia, non vero peculiari intentione: cum enim tantum hoc probandum ſuſcepiſſem, quod Miliaria *pro maxima parte* factitia eſſent, non indigebam Lauteriana experientia, niſi quatenus idem, quod ego,

ego, probaret. Demonstraturus quippe quod idem ille, quod ego, diceret, frustra plus dicentem induxissem. Sed ridiculum est nugis ejusmodi inhærere. Oporteret alioquin rogare num is, qui in eodem textu Lauteriano Gallice vertendo, ubi in Latino est, *ad incitas* fere *redactus*, redderet *déja reduit à l'extrêmité*, omittendo *presque*, an inquam, talis homo aut alia editione operis Lauteriani usus esset, aut malitiosius illud *fere* omisisset?

XI. Laudantem me ore scriptisque egregii *Hazenöhrli* opus super hac materia mirantur studiosi, cum videatur ipsis hic Auctor sibi minime constare. *Primo quod scripserit anno* 1760. *pauca sibi obtigisse Miliaria, dum interim ipsi Studiosi Hispanicum nosocomium frequentantes, copiosam inibi miliarem repererint.* 2do. *Miliaria in nosocomio eodem Studiosi viderunt & benigna, & morbi cum emendatione, ut capere proinde nequeant cur Medicus ille eadem critica esset neget.* 3tio. *Eundem qui scripserat anno* 1760. *pauca exanthemata se vidisse, mox asserere quod multoties, quod sæpius, emicuisse viderit.* 4to. *Illa saltem exanthemata factitia appellari neutiquam posse, quæ nec ipsi Auctori ibidem Physico, nec ejus Chirurgo, pepercerint.*

Ut paucis multa comprehendam, an me mecum dissentientem sincerus homo suspicabitur, dum in cathedra v. g. dico pauca Miliaria mihi in nosocomio obtingere, & dum paulo post auditoribus assero me in urbe, ac suburbiis, eadem sæpe, multoties, pluries, emicantia observare? Ita nullam in libro egregii hujus Medici contradictionem infert, quod pauca miliaria viderit in suo nosocomio, quod plura viderit alibi, sive in altera sui nosocomii parte, cui non præerat ipse, sive in sua privata praxi. Quin quod eadem in *multis* non critica, *multoties* cum morbi gravamine contingentia asserat, an id eodem ipso anno, & non potius multorum serie didicerit annorum?

rum? Quod vero *ſæpius* ſtudioſi Miliaria apud ipſum viderint, quod viderint etiam *benigna*, nemo inficias ibit, qui noverit quoties turmatim Milites ad ipſum deferrentur, quibus exanthema jam erupiſſet, aut in procinctu ſtaret; haud vero multa ipſi apud eum videre tunc, quando pauca haberet. Quod Chirurgus ejus gravi exanthemate anno 1760. decubuerit, quid mirentur? Debuerat is etiam alteri Noſocomii Hiſpanici parti proſpicere, ubi exanthema erat *epidemicum*, ut publica ſcripta teſtantur. Qui igitur inter exanthematicos diu noctuque verſabatur, nunquid eundem demum exanthematicum mirari oportet? ſed an concluſio legitima eſt; quia ille Chirurgus in parte ea Noſocomii Hiſpanici, ubi exanthema epidemicum, etiam exanthema contraxit; ideo etiam exanthema plurimum fuit in qua parte Noſocomii *Dominus Hazenöhrl* Medicinam faciebat? An quod eruditiſſimus ille Noſocomii Phyſicus anno 1757. diu noctuque inter exanthemata verſatus, demum contagione iisdem quoque graviſſime corriperetur, concludere poſſint exanthema etiam frequens apud ipſum triennio poſt animadverti oportuiſſe? Aut quod illi bini ex contagio in exanthematicos morbos inciderint, ideo non eſſe verum quod factitia exanthemata dentur? Neſcio demum, quid ſibi velint.

Quod autem clarus idem vir Miliaria, una cum aliis evacuationibus coctis erumpentia, neget critica eſſe, nec his, ſed evacuationibus illis aliis, criſeos concedat prærogativam; id ideo fecit, quia aliter facere Medicus rationabilis non poteſt. Sat ſuperque probatum eſt Miliaria & Petechias nunquam critica, ſemper vero eſſe ſymptomatica: demonſtrationes pluries attuli. Quid ergo de iisdem, una cum aliis bonis evacuationibus conſpicuis cogitandum, niſi quid pravum, quid indomabile, bonitate Naturæ ſimul expelli de corpore, dum cocta expelluntur.

Hippo-

Hippocratis alumni, dum ad sudores criticos, urina tenuis nigra; dum ad hæmorrhagias criticas, gangrænosa alvus; dum ad alvum criticam, sputa ichorosa simul compareant; criticam evacuationem salutamus, non pessimam quamque crudam, sed vere coctam; unà gaudentes Naturæ robur tale, ut cum optima evacuatione simul corrupta & nocitura eliminentur.

Sed offendit illos hæc explicatio. eo quod apud Exp. Virum hunc viderint Miliaria admodum benigna; adeoque non ea, quæ cum urinis nigris, cum gangrænosa alvo, cum sputis comparentur ichorosis.

Profecto videre benigna talia, sed etiam viderunt, benignis copiosiora, maligna. Quid ergo ex illis paucis benignis concludant oportet, nisi, quemadmodum apud me pluries alvum criticam, cum pravo sputo, in pectoris inflammationibus sic viderint, ut aliquando valde mitis morbus appareret, facileque alvo judicatus & urinis; ita Miliaria, quantumvis mala & symptomatica, citra ulla malignitatis indicia adesse posse, & morbum aliis criticis evacuationibus benigne solvi, ac judicari?

Rogant me an saltem illa Miliaria, quæ, crisi jam facta, & Doctiss. *Hazenöhrl*, & ego, vidisse nos testamur, non sint vere critica, aut metacritica; qualia plura *Hippocrates* descripserit, quando a priore crisi morbi materies haud fuisset eliminata sufficienter?

Quod toties demonstratum est criticum dici minime posse, non potest iterum assumi, ut criticum: adeoque inanis tota hæc quæstio est. Sed undenam ergo illa Miliaria judicato penitus morbo? Forte a contagio. Si homo levi venereo contagio, necdum se manifestante, affectus, in morbum acutum inciderit, morboque absolute judicato, prodeuntem gonorrhœam aut bubonem percipiat, utique non vocabimus gonorrhœam aut bubonem morbi acuti,

jam

jam judicati, crisin, sed effectum contagionis ante morbum contractæ.

Contagium porro miliarium in urbe, quæ iisdem adeo scatet, contrahere facile est; quandiu vero in corpore latere possit, antequam effectum edat, incertum. Sufficiat contagia alia nosse, quæ diu lateant. Rabidi canis, insitarum variolarum, veneris impuræ, contagia sæpe brevi, aliquando multo latuisse tempore, antequam in nervum erumperent, practica observata demonstrant.

An miliaria tamen talia prodire, post crisin acuti morbi absolutam, sic possent, ut nulla ægritudo observaretur, nullave febris?

Profecto possent, cum describantur apud Auctores miliaria dicta chronica, quæ vel in sanitate illibata, vel perfecta morbi crisi, homines sic adoriantur, ut sæpe non ægrotent. Provoco ad testimonia publica. Inducor fere ut credam chronica Miliaria, quæ in aliis cum nonnullis incommodis, sine febre; in aliis sine febre, aut ulla molestia, ut v. g. scabies, sæpe efflorescunt, plurimum deberi ejusmodi contagio, quod diutius breviusque latens, demum chronice efflorescat, ut *Hazenohrlus*, ut ego, post absolutam acutorum crisin aliquoties observavimus.

Sed nondum finis objectionum. Vehementer Medicinæ Tironibus displicent hæc ejusdem Auctoris verba: „Sed vidi *multoties* illos, qui conferto exan„ themate scatebant, gravius longe ægrotasse iis, „ qui pauco macularentur:" Rogant me an ejusmodi ratiocinium non sit practicis contrarium observationibus? Multoties, inquiunt mihi, vidimus, qui copiosa sputa redderent in morbis pulmonicis, gravius longe ægrotare iis, qui pauca expuerent: Vidimus, ajunt, *multoties* homines febre ardente detentos, qui die critico egregie sudantes, gravius longe ægrotarent iis, qui parum tantum. Nunquid in-

de juste quis concludat nec sputa, nec sudores, critice morbos judicare?

Benigne ferant Medicinæ Tirones, me respondentem, si ad acutorum crises in nosocomio meo attentiorem animum adplicuissent, si Hippocraticæ doctrinæ vel levissimam conservassent memoriam; se talem objectionem mihi facturos non fuisse. Etenim dum die critico bonæ contingunt, copiosæque evacuationes, v. g. sputorum in inflammatione pectoris, sudoris in febre ardente, solent omnes, quotquot talia fiunt, se melius habere iis, qui parum aut expuant, aut sudent. Ab una enim parte evacuatio critica magnitudini morbi respondeat oportet; unde Priscorum axioma: *Nihil paucum criticum:* ab altera parte emendatio morbi, ejusque symptomatum, in signis bonæ criseos haud infimum locum tenet. Ita ut studiosorum objectio duplex supponat falsum. Sin vero rariore casu, (nequaquam autem *multoties*, id enim falsum,) post ejusmodi sputa, sudoresve copiosos, ægri gravius longe ægrotarent iis, qui modo paucos haberent, referendæ hæ evacuationes forent ad κρίσιμα μὴ κρίνοντα, & infidæ cum *Hippocrate*, perniciosæque, declarandæ.

Sed superfluum, & inane est, ad similia argumenta attendere; cum enim sat superque demonstratum sit Petechias & Miliaria ne vel umbram criseos habere, refutat se ipsum omne argumentum quod critica eadem falsa supponit.

XII. *Cum videant Studiosorum simpliciores quomodo Medici alii apud ægros suos accensâ utantur candela, examinaturi num pectus, collumque exanthema ferat; dubitant an fors ideo nosocomium nostrum pauciora non exhibeat exanthemata, quod candela haud semper lustremur.*

Crudum dubium, cruda solutione dignum. An quod cænaturus luce candelarum indigeam, quo ferculis patinisque distinguendis sim, etiam candelam pran-

pransurus petam? cura nostra est acutos maxime ægros iis in lectis collocare, qui, cortinis apertis, plenum lucis jubar admittant, adeoque exanthemata vel minima actutum revelent. Imo ægros lecto exemtos plena die mecum studiosi solent, num efflorescant, examinare. Sin vero loci angustia, & major ægrorum numerus, nec non si insignis debilitas ægri in lucem vetat eum adducere, aut dies in hyeme tenebricosior sit, candela utimur accensa. Quapropter dum dies plena plus candelula illuminet, & e contrario ægri alibi passim sic locentur, ut Medicus eos lustraturus candela egeat, arbitramur nos in exanthematum detegenda præsentia esse cæteris certiores. Minutulorum artifices crassiora opera ad candelæ lucem, ad plenam diem subtiliora, reservant. Addiderim Exp. Dominum *Guarin*, & omnes Misericordiæ Fratres, ob plerorumque ægrotantium situm candela uti, nec tamen ideo invenire exanthemata.

XIII. Tandem proposuerunt mihi studiosi dubium circa Cl. *Hoffmanni*, *Fuchsii*, ac *Trumphii* allatam *libr. de Febr. Div.* auctoritatem; *& quidem sic, ut Cl. Hoffmannus, statuens exanthematicos hosce morbos cum sponte genitos, tum vere criticos esse; ut Fuchsius, miram de cura uterini sphaceli per remedia externa theoriam proponendo suspectus, deinde exanthema violente extortum cum euphoria procedere, quod impossibile, docens; ac præterea exanthemata puerperis uteri inflammatione laborantibus, ante nonum puerperii diem salutaria esse contra me statuens; tandem Trumphius, qui haudquaquam de sudoribus, ut Miliarium genitoribus, verum ut Miliarium comitibus, differuerit, ac datis dedita opera calidissimis Bezoardicis, & Miliaria expectaverit, & eadem inde nata salutaria esse pronuntiaverit; ut hi, inquam, tres admodum inidoneè a me ad confirmandam meam sententiam adhiberi ipsis videantur.*

Si tres hosce Auctores ideo laudassem, quod mecum censerent raro sponte naturæ miliaria & petechias gigni; utique male laudassem: si hosce viros ideo celebrassem, quod calida in exanthematicis morbis non commendarent; falso eosdem celebrassem: cum vero eam ob causam illos laudaverim, quod amarè de iis Medicis conquesti sint, qui vel exanthemata producerent, ubi cæteroqui futura non fuissent, vel qui regimine calido uterentur in morbis, quibus exanthemata supervenire possent; tunc justo titulo hos omnes in meam sententiam citare potui & debui. Relegant ergo Discipuli mei & quid probare voluerim, & quid allati dixerint Auctores; pudeatque ipsos se, omnia tumultuariò commiscendo, mihi intentiones varias imputasse, quas nec cogitaverim unquam, nec cogitare quidem potuerim.

§. III. Triste sane ac tœdiosum est, temporumque notat iniquitatem, toties dicta repetere oportere, cogique ad respondendum objectionibus, quas, si non malevolus animus, saltem defectus attentionis in audiendo, legendo, reminiscendoque, pepererit. Ast vero Publici ego servus, publicæ amator promotorque salutis, elucidare hanc disputationem debui; qua demum a Tironum mentibus quævis hæsitationis nebulæ dispellerentur? Interest *Austriæ*, totius interest *Germaniæ*, tam clara in luce Sydenhamianam collocari Boerhavianamque doctrinam, ut cujus miserandæ pestis, sive indies sævius grassaturæ, sive maximam partem propulsandæ, arbitri sint, serio jubeant exulem de finibus agere suis. Est mihi cordi hoc negotium, nec plane ingratos meos cineres *Germanis* fore hariolor, quando ab hac funesta plaga pene immunes, me adjuvante & urgente, se redditos esse recordabuntur. Feliciora vivimus tempora, diesque gratiores, quam ut publicam salutem Nationis erroribus immolaremus.

Inte-

Interim animos juniorum Medicorum ad ſanam doctrinam amplectendam ea eriget experientia, quam complures, qui mecum ſentiant, frequentem habuerunt. Egregius *Klein*, cujus opus honorifica præfatione exornandum eſſe Ill. *Haller* cenſuit, ſe deprehendiſſe declarat „ Exanthemata ſimplex accidens eſſe, & ſymptoma; nec critici quid, nec ſalutis ſpem facere" Cl. *Allionius* Taurinenſis Profeſſor eadem in acutis, ſummo cum ægrorum emolumento, prævenienda eſſe, ſpeciali tractatu evicit. Celeberrimus *Valcarenghi*, in Regia *Ticinenſi* Univerſitate Prof. primarius, in *Spec. Pract. Cremonæ* 1761. edito in Quarto, aperte evicit nec ea Miliaria, quæ in febribus ſuppuratoriis, nec ea, quæ in veris acutis adpareant, critica eſſe; hinc cum laudato *Allionio* omnem curam eo dirigi oportere, ut in hiſce dictis morbis non prodeant: meamque denique, de Miliaribus & Petechiis factitiis ſententiam, ſua confirmat experientia. Egregius *Glas*, Comm. 7. de Febr. multus eſt in demonſtranda Miliarium artificioſa generatione, & nocumento. Eximiorum Virorum *Hazenöhrl* & *Lautter* tractatus, eadem propria experientia confirmantes, jam laudati ſunt toties. Plures Medicorum, qui in ultimo truculento bello militibus curandis operam navarunt, ſerio mihi teſtati ſunt, Miliaria & Petechias inveniſſe ſeſe copioſas aliquoties, quo loco alii, ſive calido regimine, ſive aëre haud ſatis renovato uſi, præceſſiſſent; pauca vero, ac ſæpe nulla in noſocomiis, quibus præfuisſent ab initio. Laudabiliſſimus ſtudii Naturalis, Botanices, ac Medicinæ cultor *Cramer*, digniſſimus *Pontis ad Leytham* Phyſicus, pluries mihi narravit, dum plura millia *Boruſſorum* captivorum anno 1757. & 1758. ſuæ curæ demandati eſſent, inter 300. eodem tempore, acute ut plurimum, laborantes, vix quatuor aut quinque exanthemata paſſos eſſe; illos

vero quatuor vel quinque, aut nimium tectos, aut arcte conclusos se reperisse, antequam sibi demandarentur: Leucâ autem a se distante Pago, ubi ab initio morbi calida methodus in usu erat, vix ægrotasse quosquam, qui exanthemate non macularentur; a militibus in incolas contagium transiisse; pluresque, una cum medico suo, exanthematum genitore, mortem occubuisse.

Quando igitur Medicinæ studiosi, & Medici juniores, qui in nosocomio meo demonstratam veritatem viderunt, serio hæc dicta revolvunt animo, an non gravis molestia, quæ ægros sub calido regimine premat; an non periclitans adstantium sanorum salus; an non formidabile discrimen, quod in calido regimine a minimo, eoque fere inevitabili, frigore exsurgat; an non tot ægrorum perditio, qui vix priori morbo sustinendo pares, altero, eoque sæpe calamitosiore, torqueantur; an non acutorum, inflammatoriorumque morborum dubia, propter imaginariam exanthematum curam, alea; an non præsens ipsorum medicorum periculum contagionis & mortis; an non demum omni velamento denudatus patrius error; adhortari, incitare, animare, cogereque ipsos debeant, ut in acutis morbis curandis inclytum *Sydenhamum*, admirentur, sequantur?

Præter insignia hæc emolumenta, quæ, exanthemata haud ultra faciendo, universo generi humano conciliabunt ilico, etiam eidem supremum hoc beneficium præstabunt, ut contagio sensim imminuto, dira tandem plaga cesset, nec ultra, nisi in summa humorum corruptione, appareat.

C A-

CAPUT XXII.

Problemata de Scorbuto.

§. I. *Cur nobis ſcorbutus, quam Antiquis, notior? Quosnam potiſſimum affligit? Scorbutus alcalinus, muriaticus, acidus, differt ab acrimonia ſpontanea alcalina, muriatica, acida.* §. II. *Daturne talis triplex ſcorbutus? an autem unicum modo eſſe nonnulli recentiorum vere demonſtrarunt? Cum plura ad id obſervata requirantur, quam illi attulere, ut lis dirimatur, teſtimonia plura examinantur, & varia diaria marina conſuluntur; ac* 1mo *quidem* Jacobi Quartier. 2do J. van Linſchoten. 3^tio^ Duodecim Nautarum, *qui ſoli de naufragio, & hybernatione in* Nova Zembla *ſuperſtites, poſt varios errores in patriam redierunt.* 4to Guill. Corn. Schouten. 5to *Claſſis* Naſſovicæ. 6to Laurentii F. Haan. 7mo Friderici Maartens. 8vo Trium navium *miſſarum ad novas terras auſtrales detegendas.* 9no *Navis dictæ* Barneveld. 10mo Guillelmi Dampier. 11mo J. Egede. §. III. *Putridus ſcorbutus eſſe Marinis evincitur, idemque cum terreſtri; quæritur porro, cum terricolis mitior redditus ſit, an eædem cauſæ etiam mitificare eundem maricolis poſſint? Hinc cognoſcendæ marini ſcorbuti cauſæ forent. Cauſæ ſufficientes non ſunt aut marinus aër reſpirationi adverſus, non aër humidus, non ſal, nec vegetabilium ſucculentorum defectus. Cur vulgus marinum frequentiſſime, rarius navium proceres, afficiuntur? Machina* Suttoni *ventilatoria aëris humiditatem noxiam ſæpe non tollit. Concluditur ex combinatis pluribus cauſis ſcorbuto Claſſiarios affici, quæ cauſæ navis proceres tangere nequeunt.* §. IV. *Scorbutus marinus & alcalinus eſſe unice adparet, & tamen remedio æque calido, quam frigido, ſed ſemper ex Vegetabilibus ſucculentis, perſanatur. Quæritur*

unde hoc? Pringleana *experimenta an id explicent? Quid in nautarum ſalutem ſuadendum ſupremæ poteſtati? Curaretne morbum aër purus?* §. V. *Parcimonia noſtra in dandis medicamentis, Nautarumque in iisdem devorandis aviditas, efficere videntur, ut longe citius efficaciusque nobis illi curentur.*

§. I. Scorbutus, morbus pro parte Antiquis notus, aſt vero, quia rarior, minus accurate, quam quidem poſterioribus ævis, deſcriptus. Cum enim in longis, tædioſisque navigationibus potiſſimum contrahatur, utique rarior fuerit morbus neceſſe eſt, quando naves littora duntaxat lambendo, novis ubique alimentis, nova ubique refocillarentur aqua; frequentior vero, ex quo ſævum mutandis mercibus æquor arando, diuturno ſæpe tempore per immenſa maria fluctuantes, commercium agunt. Ergo & in navibus jam multo numeroſioribus, plebeque oneratioribus, dicta de cauſa ſcorbutici longe plures quam olim, & in continente quoque copioſiores, quod innumeri ex navibus in terram deportentur; quo tam ſcorbuticorum in regione numerum augeant, & morbum veteribus curatius cognoſcendi occaſionem exhibeant Medico.

Obſervatur ſcorbutus quoque frequentior populis Septentrionalibus, maris quippe plurimum accolis, 1mo quod ibidem Athmoſphæra ſit, ob fluxum refluxumque maris, heterogenea, ac putreſcentia, in littore relinquentis, impurior. 2do Quod frigidiora incolent humidioraque loca. 3^{tio} Quod Borealium gentium complures magnam vitæ partem in nave tranſigant, ſcorbutoque affecti ſuos repetant lares. 4to Quod protractiore ibidem hyeme, vegetabilibus diutius careant. Quippe generaliter loquendo (exceptiones enim res habet, ut patebit,) in ſcorbutum cæteris proniores ſunt, qui vegetabilibus

libus diutius carent, ut *Bachstrom*, ut *Anglorum* plures, demonstrarunt: ita ut v. g. in urbe diu, arcteque obsessa, cives, copiæque præsidiariæ, Scorbutum patiantur; interea dum, qui obsident, Scorbuto immunes vivant vegetabilium abundantia, quam liber ad exercitum aditus, ipsique horti suburbani, suppeditant.

Dum vegetabilia dico, intelligo succulenta: habentibus enim urbibus obsessis, & navibus, abundantiam cerealium, pisorum, fabarum, nihilo minus scorbutus in illis sæpe sævit. *Viennensis* Inclyta Facultas Medica Doctissimo *Cramero*, ipsam de scorbuto hungarico pessimo consulenti, antiscorbuticas herbas siccatas, hyems enim erat, & antiscorbutica destillata miserat; dolens autem respondet *Cramerus* nullum morbi levamen ab iis se consecutum esse. Patebit postea spiritus quosvis antiscorbuticos semper inutiles fuisse nautis.

Causa proxima ponitur esse sanguis rubra quidem parte crassus, serosæ vero partis una portio, mucosa; altera, acris; acris autem specificè: muriatica scilicet, acida, alcalina.

An porro similis acrimonia acida, muriatica, alcalina, in scorbuto, quam in humorum acrimonia spontanea, in qua etiam hæc triplex notatur acrimonia? Schola medica multam utriusque notat disparitatem. In spontanea acrimonia cujuscumque speciei sit, haud notatur putredo, atque exulceratio, gingivarum: non illa dentium vacillatio; non dolor ille, immobilitasque in genu, sæpe cum tendinum cruris flexorum contractione; imo ne illa quidem matutina lassitudo: in sola spontanea acrimonia alcalina apud *Boerh. Inst.* §. 912. notatur quidem putredo; in muriatica §. 914. rigiditas totius corporis: attamen conferenti has §§. cum capite de scorbuto *Boerh.* ingens apparet inter utrumque differen-

tia. Describitur in spontanea acrimonia alcalina, sanguis dissolutus; in scorbutica, sanguis parte rubra crassus; in spontaneæ alcalinæ sero, nulla mucositatis mentio; in scorbuticæ acrimoniæ alcalinæ sero pars mucosa una est, acris altera. Sed in singula spontaneæ acrimoniæ specie sanguis omnibus in partibus, pro specifica acrimonia, peculiari modo peccat; ut hinc acrimoniam ab acrimonia characteristicè distinguas: in scorbutica vero singulæ speciei sanguis idem crassus, serum partim crassum partim acre: acre autem illud speciem a specie unice discriminat. Febris adest, abest, sic ut in scorbuti definitione non contineatur, quamvis quædam detur scorbuticorum nonnullorum peculiaris febris. Quam Doctiss. *Murray* in suæ navis scorbuticis numerosioribus epidemicam petechialem, eandemque funestissimam descripsit, hæc contagio maligni morbi, non scorbuti, tribuenda erat.

§. II. Estne igitur diversa scorbuti species? Estne singula specificis suis curanda remediis? Gravissimi Auctores post *Eugalenum*, & *Sennertum*, sic docuerunt; egregii autem Medici non defuere, qui acrimoniam quidem specificam agnoverint, curam vero indiscriminatim tentarint calidioribus dictis antiscorbuticis, & acidis, sæpe etiam inter sese commistis. Videntur igitur hi sua curandi methodo indicasse, quod specificam hanc in scorbuto acrimoniam minus admitterent. Quin etiam dum historias navales accuratius examinemus, & consulamus, fere in paradoxam opinionem incidimus, ac si unicam scorbuti speciem duntaxat esse stupendæ arguissent curationes.

Sed priusquam concludamus, expediet consuluisse eos, qui omnium optimam morbum noscendi & curandi occasionem nacti, nobis sua reliquerint observata.

Oc-

Occaſionem de Scholarum doctrina circa ſcorbutum dubitandi, ſuppeditavit nobis opus tam utilitate, quam amœnitate, commendabile, Doctiſſimi Medici, *Richardi Walteri*, quo iter præclari Architalaſſi *Anſon* per orbis ambitum, teſtis oculatus complexus eſt. In hoc erudito opere invenimus innumeris exemplis, quorum quodque centenos homines una capit, quæ proinde ſimul plures millenas ſanationes referunt, hanc ſententiam, veluti axioma poſitum, quod ſcorbutus navalis ſit alcalinus, ſit putridus, ſit qui vocetur calidus; de quo innumeræ hiſtoriæ nullum dubium reliquum fecerunt: quodque hic ipſe ſcorbutus putridus tutiſſime, ac citiſſime curetur, tam copioſis antiscorbuticis calidis, quam frigidis; ita ut nautarum ſaluti æque conduceret copioſus Cochleariæ, Ceparum &c. uſus, quam immenſa Aurantiorum ac Limoniorum pomorum copia. Mox nos in limine offendit tale paradoxon axioma, cum ſcholæ ſubvertat doctrinam; unde memores Præceptoris monitûs μηδὲν εἰκὴ, μηδὲν ὑπερορᾷν, conſulamus prius alios ſcriptores marinos, examinaturi num idem, vel contrarium, illi experti ſint, antequam Walterianum axioma, aut amplectemur, aut repudiemus.

Quod mihi primum occurrit, eſt Diarium *Jacobi Quartier*, qui juſſu Regis Chriſtianiſſimi *Franciſci* I.; anno 1535. Americam Septentrionalem luſtrans, hybernare cogebatur ad ripam fluvii *Canadæ*, prope locum nunc dictum *S. Crucem*; nautarum ingentem ſtragem hic ſcorbutus fecit, univerſalem brevi facturus, niſi incolæ ipſis indicaſſent arborem *Anedda*, cujus & cortice & foliis plurimi reconvaluere. Doctus ſcriptor A. *Montanus*, qui nobis hujus diarii copiam fecit, in ſua *Americæ Borealis Hiſtoria* nihil attulit lucis, ut cognoſcamus arborem: nec licuit apud *R. P. Hennepin*, apud *Denis*, apud *Martiniere*, aliosque, qui regio-

regionem illam peragrarunt, aliquam ejus descriptionem invenire. Nec in doctissimi, ac nobilissimi Consiliarii, & Professoris, *Nicolai Jacquin*, *Historia Stirp. Amer.* aliquid habetur, cum ad eam in America latitudinem non pervenerit. Hinc ad alios, qui nobis nota magis antiscorbutica suppeditarint, nos conferamus.

In pluribus diariis variarum Classium Navalium, quas sub finem sæculi 16. sive Respublica Batava, sive Urbium Batavarum nonnullæ, sive denique cives ditissimi, miserunt ad viam tentandam, juxta *Muscovicam* ac *Tartaricam* oram, in *Chinam* ac *Japoniam*, strages nobis occurrunt, quas edidit scorbutus miserandas; eo quod expeditione qualibet infortunato admodum succedente, vel complures naves inter perpetuas atque insuperabiles glacies, montesque glaciales, naufragarentur; vel nautæ itineris tœdio, longitudine, periculo, confecti, proprios demum lares repeterent; vel in *Nova Zembla*, aut alibi, hybernare coacti, una vice ad unum usque perirent omnes, alia vice ex *Nova Zembla* in binis apertis scaphis, ex nave majore, glacie confracta, compositis, iter 400. milliarium in pelago errantes conficerent, donec demum ad extremam *Russiæ* oram appellentes, inde in Patriam, ex toto numero duodeni, redirent. Non immorabor aliis diariis, quam his, quæ ad scopum faciant.

J. van Linschoten in itinerario anni 1594. refert se appulisse in locum, quem *Waygat* appellant, alii *Nassovicum Fretum* mensis Junii 27. ibidemque detexisse inter gramina, aliasque herbas, *Cochleariam* copiosissimam, scorbuticorum illuc appellentium tutissimam refectionem.

Diarium duodecim illorum, quos retuli, post hybernationem in *Nova Zembla*, in Patriam rediisse, refert illos anno 1597. in insulam ignotam conscenden-

dentes, præ gaudio exclamasse ad visam primo Cochleariam, eoquod fere cunctos Scorbutus reddidisset pene immobiles; inde non comedendo, sed continuo vorando, se percepisse, non modo veras esse, quæ cochleariæ in Patria laudes darentur, verum etiam omni illam laude superiorem; quandoquidem celerem adeo mutationem perciperent, ut, paucis post diebus, panem biscoctum denuo masticare, quod dolentes gingivæ, dentesque vacillantes, ante nequivissent, commode inciperent.

Data hæc exempla monstrant Scorbutum curatum Cochlearia: unde forsan quis suspicabitur Scorbutum frigidum, sive acidum fuisse, hincque herba alcalescente & calida sublatum; talem vero, si acida & acescentia antiscorbutica regio dedisset, non modo non curatum, sed in pejus versum, imo letalem fuisse redditum.

Respondebunt nautæ iidem. Scorbutus redierat dum promontorium *Wardhus* petituri, multum in fluctibus aberassent. Appulere demum ad extrema borealia *Lapponiæ* in portum *Cola* vocatum, intimiusque se penetrantes, baccas *Rubi* copiosissimas deprehendere, quibus affatim comestis a Scorbuto convaluere omnes.

Fructus acido-dulces copiosissime comedentes, curantur a Scorbuto iidem ipsissimi homines, quos antea eodem in itinere, eodem in climate, eodem cum victu, Cochlearia curaverat. Quid ergo de natura Scorbuti statuendum? Acida & Alcalina curarunt saltem eandem Scorbuti speciem.

Rubi copia ingens, ingens & Cochleariæ per boreales omnes regiones: in omnibus itinerariis utrumque describitur, & ad scorbutum ex æquo laudatur. *Denis*, quo tempore in *Canada* habitabat, Rubum ubique invenit tam copiosum, ac fertilem, ut qui suis de pratis eradicare vellent, non possent.

An-

Anno 1615. 1616. 1617. *Guillelmus Cornelii Schouten*, Hoornanus, quo novas, transvecto freto *Magellanico*, terras detegeret, australem orbi partem circum navigans, refert cum tædiosi itineris longitudine, tum diversi generis commeatûs, aquæ bonæ potissimum, penuria, potiorem nautarum partem scorbuto affectam esse; tentasse se dudum hinc inde insulam ut detegeret, & in continentem descensionem faceret ægrotantium; sed frustra. Scapha demum littus aliquod attingente, nautas herbam detexisse *Nasturtio Hortensi* similem, eamque dein adhuc copiosiorem in insula dicta *aquosa* ad 12. gr. lat. aust. Coctis inde pultibus abundanter comestis, scorbuticum nautam adeo levatum se percepisse, ut herbæ vires haud potuerint satis mirari.

In Diario Classis navalis dictæ *Nassovicæ*, quæ undecim navibus constans, Architalasso *Jacobo Eremita*, ab anno 1623. usque ad 1626. vecta circum orbem est, nullas in principio detegimus scorbuti querelas; causa videtur limoniorum abundantia fuisse, quæ tanta nonnunquam, ut abuterentur, & ut classis primo anno numeraret 42. suorum Dysentericos inde periisse. Postmodum vero, ut in longis solet tædiosisque itineribus, scorbuto aliam post aliam navem petente, deviando continentem quærere decretum fuit in procerum consilio, limoniorum quærendorum, aliusve remedii antiscorbutici gratia: at vero nulla insula detecta, de servanda classe ob scorbuti immanitatem desperatum est. Detegunt tandem insulam *Annabon* ad gr. III. lat. austr. nautæ & in insula Aurantiorum pomorum copia incredibili repleverunt sese, & bis centum millia eorundem secum in naves induxere. Ex eo tempore nulla scorbuti in diario mentio fit.

Scorbutus igitur natus in plaga mundi australi, curatur antiscorbutico calido, Nasturtio Hortensi; cura-

curatur antiſcorbutico frigido, pomis Aurantiorum & Limoniorum; eodem prorſum modo quo antea vidimus Scorbutum borealem integre curari calidis Cochleariis, & frigidis Rubis.

L. F. Haan, in Hiſtoria *Freti Davidis* plagam Occidentalem in *America Boreali* notat, ut in qua creſcat ſpecies Rubi, humi repentis, fragorum ſapore grati, copioſiſſimi. Deinde totam Regionem deſcribens, arbores ferre eam nullas ait, ſed aliquas frutices, & baccas ceruleas, ſimiles Juniperi in *Norvegia* baccis: tum & copioſiſſimam *Lactucam*, quam ibidem *Groenlandicum acetarium*, vocant, & *Acetoſam*. Hæc lactuca & acetoſa pro incomparabili antiſcorbutico habentur, ut refert; ita ut iisdem plurimum veſcentes, incredibile quam cito, & integre, convaleſcant.

F. Maartens, Chirurgus navis *Hamburgenſis*, in Diario ſui itineris in *Spitzbergen*, & *Groenlandiam* ſuſcepti, inter cæteras plantas meminit *Cochleariæ* quam ibidem pro ſcorbuto, copioſiſſimam, & ſapore gratiorem, & in acetariis vehementer amatam, notat.

Joannes Egede, Danicus per 16. annos Miſſionarius in *veteri Groenlandia*, refert cap. 3. „præſtantiſſi-
„ mam viribus *Cochleariam*, incomparabile adverſus
„ ſcorbutum remedium, copioſam ubique ad oras ma-
„ ritimas reperiri, ſapore autem haud acrem ita, a-
„ maramque, quam in regionibus temperatioribus.
„ Stupendas cæterum per eandem ſe curas vidiſſe."

Anno 1721. a Societate Indiæ Occidentalis Batavæ miſſæ tres Naves, ut novas Regiones ad gradum lat. auſtr. 56. quærerent, eruditum habent hujus expeditionis diarium, cujus in capite 7. hæc de ſcorbuto leguntur: „ Aprilis 27. altitudinem attigera-
„ mus graduum 23. min. 2. lat. auſtr. Hic demum
„ incommoda, diu obſervari cepta, quæ illos, qui
„ longa

„ longa itinera mari conficiunt, insequi solent, nos
„ gravius premebant. Quantus enim cumque commeatus nobis datus esset, minuebatur tamen, ita
„ ut quotidianæ portiones, ne tandem deficerent
„ penitus, indies parcius dispensarentur. Quin &
„ panem, cum communem, tum biscoctum, situs
„ corruperat, quemadmodum & reliquum, qui insuper vermibus scatebat, commeatum. Percepta
„ quoque & aquæ sensim crescens penuria; quare
„ & parcius illa nautis cepta dari. Tandem & ipsa
„ fætida ac verminosa, non ultra fuit ad sitim idonea, nec ad humectanda corpora, quæ enormis
„ calor exsiccaverat, apta, nec utilis ad deperditas
„ illorum vires restaurandas."

Præter cæteros morbos, Scorbutum inde deduxit, nasci scilicet illum oportere ratus, eo quod sicca esset, ac suffocans in mari atmosphæra, quod salita alimenta corrumperentur, quod potabilis lympha deficeret, noctesque præprimis gelarent. „ Signa,
„ scribitur in Diario, morbi prima manifestantur ad
„ gingivas, haud tumidas duntaxat, sed & nigras
„ ac putridas; hinc fœtens anima, hinc corrupti
„ dentes vacillantesque adeo, ut nedum navalem,
„ verum etiam nec alium quemcumque cibum,
„ manducare queant. Inde porro per universum
„ corpus morbus vagatur. Ad crura, ad brachia,
„ ad alias partes, maxime vero ad genu, patellam,
„ Maculæ visuntur, pulicorum morsibus similes,
„ rubræ, purpureæ, lividæ, nigræ, una cum articulorum doloribus. Posthac brachia, coxæ, femora, hinc inde tument; livida sic aut nigra,
„ quemadmodum alias a contusione fit. Palata videre est, quibus frusta veluti crassæ corruptæque
„ carnis adhæreant, die a chirurgica ablatione altero renascentia. Multorum cernas horride tumidos vultus. Accedunt demum tremor, palpitatio

„ cor-

„ cordis, tenſio ventris, miſeranda artuum contrac-
„ tura, vehemens ſæpe dolor, & morbo penitus ir-
„ radicato, mors: non ita quidem ut omnia hæc
„ ſymptomata eundem hominem impetant; nam ad
„ interimendum ſufficiunt pauciora."

Remedia deinde proſequutus, Cochleariam quidem præſtantem eſſe cenſet, ſed recentem tantummodo, haud vero in ſpiritum evectam; cum is, inquit, calidior exiſtens, tenuiora diſſipet, figat craſſiora. Cæterum in longis itineribus nihil reperiri præſtantius, quam in continentem deſcendere, quo ægri ſereniore aura aliquantiſper veſcantur.

„ Vix fari datur, inquit, quantum marinum hunc
„ morbum aër mutet, emendetque, campeſtris;
„ ac quantopere ſimplices *herbæ pratenſes*, ipſumque
„ vile adeo habitum *gramen*, vires exerceant curandi
„ valentiores illis omnibus, quæ ut decantata reme-
„ dia laudentur. Miror ſane Medicos illos, qui na-
„ ves, quæ ſua conſilia obſervent, a ſcorbuto im-
„ munes fore obfirmata fronte aſſeverent. Etenim
„ quæ eorum remedia ad efficaciter præſervandum
„ alia, quam illa, *quæ ipſiſſima in longis deficiant iti-*
„ *neribus?*"

Inter medias has miſerias inſulam detegunt ad gr. 15. lat. auſtr. cujus nigri incolæ inſulæ afferunt producta: Nuces ſcilicet *Kokos*, & quandam herbam abundantiſſimam, amareſcentem, ſimilem per omnia *Naſturtio hortenſi*. Incredibile, ait, quantopere inde reficerentur omnes; ita quidem ut, licet lapidibus fere obruti ab inſularibus fuiſſent, ni fugam capeſſiſſent, inſulam tamen *Refectionis* appellarent; quo nomine eandem poſthac in Geographicis mappis decoratam deprehendimus. Eſt in eadem fere altitudine cum inſula ſupra dicta, ob inventas a nautis aquas *Aquoſa vocata*, in qua eadem herba & copioſiſſima deprehenſa eſt, & mirifice antiſcorbutica.

Anno 1719. navis *Barneveld*, post infortunatos per immensum pelagus errores, appellens tandem ad amplissimam insulam *Madagascar*, ad oram *Africæ* occidentalem, nautarum 120. scorbuticos in littus duxit, sub tentoriis locavit, & post 14. dies plerosque iterum sanos in carinam recepit, nullo adhibito remedio præter speciem *Nymphææ*, quam in aqua copiosissimam invenientes, tum juribus incoxere, tum more acetariorum comederunt.

In itinere circum orbem universum *Guillielmi Dampier* legimus, qua ipse vehebatur, navem deposuisse ad Promontorium *Bonæ spei* suos Scorbuticos, eo quod ibidem quocumque *fructuum olerumque* genere plerique brevi soleant convalescere. Non addidit Auctor numerum scorbuticorum, qui in hoc promontorium depositi fuerant; sed convaluisse refert omnes, quatuor duntaxat, qui omnium pessime in nave habuerant, exceptis.

Famosissima Scorbuti curâ est insula *Sanctæ Helenæ*, inter 15. & 16. lat. austr. gradum. „Raro fit," inquit *Dampier*, „quin scorbutici hic amissam dudum recuperent sanitatem. Fert insula hæc herbas optimas, unde balneis per insulanos adornatis rigiditas, immobilitasve cruris percuretur: a suo autem scorbuto fructibus, oleribus, recentioribus alimentis, cito liberantur; ita quidem, ut qui pensili lecto ex navi in continentem ducti fuerant, elapso octiduo pedibus incedant, imo saltent: juvat vero aura serena."

In tædioso itinere ex *Nova Hollandia* ad idem promontorium, homines scorbuticos primum 20. perdiderunt; deinde vero morbo aucto, auctis itineris tœdiosi laboribus, putridaque existente ad bibendum aqua, miserè omnino cum nautis agi ceptum. Interim navis præfectus, magnam in navi possidens *Tamarindorum* copiam, jussit definitam cuique ad

pran-

prandium portionem cum oryza dare; id quod omnes multum reficiebat.

„ Porro ita commune omnibus, ait, malum erat, „ ut vix existeret, quem immunem diceremus; ma„ lum subdolè sic obrepens, ut ipsi nos vix perci„ peremus ægrotantes, vixque dolentes; sed debi„ les quidem & inappetentes: subdolè, inquam, „ sic, ut plurimis eorum, qui morti adpropinqua„ rent, vix suaderi posset suo manerent in pensili „ lecto, donec demum immobiles redderentur: „ quando vero se lecto immobilitate affixos cerne„ bant, condebant testamentum, haud ultra bidu„ um, triduumve, calamitates protracturos se certi."

§. III. Ubique quæ de ipsa morbi descriptione & symptomatibus diaria habebant, in mea relatione collegi, ut constaret marinum illum scorbutum, in nonnullis symptomatibus, alia atque alia in nave, differentem, tamen præcipuis in rebus sic convenientem esse, ut scorbutum putridum vere referat; conveniatque omnino cum eo scorbuto, quem terricolæ habent: ita ut idem prorsum morbus esse appareat terra marique.

Subdolum hunc morbum lævius gentem borealem afficere observamus, ex quo tellus multis in locis sit reddita siccior; aggeribus sic adornatis, ut externæ aquæ secludantur, liber internis concedatur effluxus: ex quo ædes sic suas construxerint, ut minus humescant intus, ac liberiore perflentur aëre: ex quo durioribus alimentis plura ceperint molliora interponere, sic ut dies nulla transeat, in qua variis lactucis, oleribus, fructibus, non vescantur; crudis, coctis, elixis, tostis: ex quo Asiatici aliàs noxii, potus; sic saltem *Boerhaavii* sententia erat; corpora ab acrioribus, diluendo, magis liberarint: ex quo tandem se contra cæli inclementiam firmioribus vestibus muniverint. Quin & cæteris paribus, vita labo-

riosa admodum, in eadem regione boreali, sub eodem victu & aëre, immunes omnino a scorbuto, aut levius saltem affectos, præstat aratores, fabros ferrarios, lignarios, &c. interea dum textores, sartores, sutores, pictores, phrigiones, viri litterati, gravissime afficiuntur.

Examinandum est undenam scorbutus in navibus? ut pateat num vel hæc, quæ terricolis mitiorem reddiderint, vel adhuc alia, maricolarum quoque mitigare tollereve scorbutum queant?

An igitur 1mo. ab aëre marino, ita ut ex mari quidquam exhalaret, quod aëri commistum, ipsum sæpe redderet respirationi ineptum, & ad scorbutum generandum aptum, ut quorundam opinio fert?

An 2do. ab humidiore semper athmosphæra?

An 3^{tio}. a salitis?

An 4to. a penuria vegetabilium?

Ut primo generalem responsionem ad hæc omnia, deinde ad singula propriam, adornem, dico has quatuor causas ita universales esse, ut ex æquo omnes in nave afficiant, Gubernatores majores, minores, & Classiarios vulgares. Constitit vero universali observatione classis *Ansonianæ*, aliorumque, nautas potissimum scorbuticos esse, minus esse præpositos minoris ordinis, adhuc minus præpositos majoris ordinis, omnino nihil fere Præfectos supremos. Cum igitur quatuor hæ causæ omnes ex æquo afficientes, non omnibus ex æquo scorbutum creënt, haud videntur ejus causæ appellari posse.

Doctissimus *Lind*, qui de Scorbuto tractatum Historico-dogmaticum erudite & practice scripsit, dum examinat an salita scorbutum creënt? egregie respondet non videri, quum sal a putredine ea præservet, quæ cæteroqui in putredinem proclivia sint: cum 2do. diuturniore tempore aqua marina, dira necessitate cogente, pota, scorbuticis haud nocuerit:
quod

quod tertio ſalita viſa ſint homines ab eodem præſervaſſe.

Obſervatum quippe fuiſſe, dum naves *Anglicanæ* cum *Batavis* conjunctæ, ſtationem diu peragerent, ne portu ſolveret *Gallica* Claſſis, *Anglos* ſcorbutum corripuiſſe, non corripuiſſe *Batavos*: cauſa quæſita, conſtitiſſe id, quod claſſiariis *Batavis* bis in ſeptimana ex braſſica ſale condita pararetur prandium, *Anglis* vero minime: cæterum in omnibus idem utrisque regimen contingere.

Pergit Doct. *Lind* docere non eſſe, qui ſcorbutum faciat, ſalem marinum. Scorbuto affici ceptis, inquit, mox omnia ſalita auferuntur; attamen morbus pergit, & furit. Præterea ſcorbutum natum oſtendit, non niſi recentibus carnibus veſcente nauta. Sic *Anſonii* claſſi, *Mexico* recedenti, inter medias recentes carnes morbum natum: *Cæſarias* legiones, Clar. *Cramero* notante, cum carnium recentium abundantia; *Ruſſicum* exercitum, referente *Nitſchio*, ſalitis carentem, in turpes incidiſſe ſcorbutos.

In quæſtione porro de Vegetabilibus, merito occinit Doctiſſimo *Bachſtrom*, in eo, quod & ad præveniendum, & ad curandum, ſint egregia: id urbes obſeſſas, id *Hollandorum* braſſicam confirmare lubens fatetur: attamen cenſet etiam hanc *Bachſtromii* eſſe limitandam ſententiam.

Quod enim 1mo. de urbibus obſeſſis conſtitit, id in multis aliis obſidionibus, ubi ſimiles cauſæ exiſterent, non ita conſtitiſſe. 2do. In media Vegetabilium abundantia ſcorbuticos effectos eſſe claſſiarios.

Exemplum terribile affert, quod egregius *Huxham* confirmat. Dum claſſis navalis Architalaſſi *Martin* in Freto Gallicano diu obſervabat Claſſem Gallorum, in ſumma abundantia vegetabilium omnium & optimarum aquarum, tanto afficitur Scorbuto, ut inter 4000. claſſiarios 400. numerarentur miſerrime

affecti: sic ut Doctiss. *Huxham* cernens redeuntem in *Pleymuti* portum classem, graphice ac lamentabiliter conditionem descripserit ægrorum. Unde Cl. *Lind* defectum Vegetabilium, scorbuti feracem, non nisi causæ occasionalis vice fungi putat.

Sed ut certius, quid de Scorbuto proferatur, quid causæ est, quod plebs navalis infima hoc morbo maxime laboret? minus, aut vix proceres? 1. Proceres navis & præpositi nautarum habent mutatorias vestes, ut madefactas exuere, siccas induere queant. 2. Lectos suos pellibus animalium munitiores adversus frigora, quàm plebeii, habent. 3. Omnes suas vestes habent præpositi, quam classiarii, crassiores, arcendo frigori aptiores. 4. Habent navium Gubernatores, & supremi Ministri, Tamarindos, Aurantiorum ac Limoniorum poma, horumque defectu varia Limoniorum genera muria condita, succum Limoniorum qui in doliis, & melius adhuc in lagenis diu servari possit, conditas sale brassicas, rapas, phaseolos, endiviam &c. vina, cerevisias lupulatas, &c. hæc omnia simul sumta & nòn vegetabilia sola, concurrere videntur, quo minus navium Proceres hoc morbo affligantur.

Vita laboriosa naùtarum an non deberet illos eximere potius a Scorbuto, ita ut minus eo, quam Proceres, laborarent?

Si solus labor exercitus Scorbutum præcaveret, labor neglectus conciliaret, utique nautæ essent ab eo proceribus navis exemtiores; sed ut, non obstante sua vita laboriosa, magis tamen Scorbutum contrahant, plures inevitabiles ipsis causæ, evitabiles Proceribus, efficiunt; ut jam vidimus.

An machina *Suttoniana* apta non est, ad Scorbutum præcavendum in navibus?

Juvat ad aëra puriorem reddendum, ac renovandum; in eoque sane egregia nautis est: si autem humi-

miditate diuturna peccet aër, nil machina juvat; cum pluviosa tempestate expulsum aëra humidum, humidus subsequatur. Unde gravissimus *Ansonio* Scorbutus, *Mexico* redeunti, & omni genere abundanti vegetabilium. Pluviis saturo aëre explente naves, nulla dies serena illuxit, quæ navem permitteret siccari. Venti interim & procellæ spumantes undas in naves invehebant, nautas reddebant madidos & frigidos. Cum nunc inter causas occasionales nulla sit aëre humido ac frigido pejor, cum is diuturniore tunc obtineret tempore, Scorbutum pessimum nasci oportuit.

Ex cunctis liquet victum corruptum, aëra humidum ac frigidum, vestes tenues & humidas, humidos tenuesque lectos, Vegetabilium succulentorum defectum, animi mœrores ac tædia longi itineris, unà concurrere ad Scorbutum generandum; aëra humidum ac frigidum, cum vestibus & lectis nautarum frigidioribus, Scorbutum creare posse in media Vegetabilium opulentia; Vegetabilium defectum solum sine humiditate & frigore & mœroribus, vix creare Scorbutum, ut optimus *Lind* in *Scotiæ* Montanis incolis, & in *Finnis* evicit.

§. IV. Ex mirandarum curarum collectione constat illas peractas esse herbis calidis, & frigidis; alcalescentibus, & acidis: *Cochlearia*, *Nasturtio*, *Brassica*, *Cœpis*, *Nymphœa*, *Lactuca*, *Acetosa*, *Rubi baccis*, *fructibus Tamarindorum* aliisque, maxume pomis *Aurantiis*, *Citreis*, ac *Limoniis*: quovis *graminum* genere: nec non quibusvis succulentis *Vegetabilibus*: *Vino*, *cerevisia*, *aceto*.

Quamvis remedia, quæ morbum curaverint, oppositæ sint naturæ, Scorbutus tamen navalis, symptomatibus descriptus suis, unius modo speciei fuisse apparet; maxime id concludere licet ex curatione eorundem hominum primo per cochlea-

riam, deinde per Rubi baccas; ut supra constitit.

An vero Cl. Viri *Pringle* experimenta, acescentis cochleariæ, dum chemicis quibusdam operationibus eandem exponebat, præcipuam difficultatem haud tollant, docendo unicum Scorbuti genus unico medicamenti genere curatum esse?

Si hæc experimenta aliis clarioribus elucidentur, lubens Viri Doctissimi sententiam amplectar: verum ne huc usque amplexus sim, me alia experimenta remorantur. De acore in ipsius experimentis ex Cochlearia percepto, ideo non concludo acidum in Cochlearia adesse, quia didici propriis experimentis, dum alcalina vegetabilia, dum ipsa jura carnium, certum quendam corruptionis gradum consequuta, quid acidi redoleant, id fugax acidum, licet syrupo violarum detectum, ideo non docere naturam rei acidam, cum brevi post totum abeat in alcalinum. Ergo vix video, cur, ob fugax tale acidum, credamus & alcalescentia vegetabilia, & jura carnium, in corpore humano ut acida agere? Equidem in experimentis clarissimi Viri alcali volatile cochleariæ avolavit multum, indeque natura herbæ alcalina vehementer mutata est; sed an mutata tota? An mirandæ curationes putridi scorbuti ægris, armentorum instar, crudam de pratis herbam vorantibus factæ, præsens non habuere alcali, idque copiosum? Deinde in Pringleanis sufficiens distinctio inter fermentationem & putrefactionem desiderari mihi videtur. Desiderari etiam arbitror debitam distinctionem putrida inter & alcalina. Putrida multa cum acidis non effervescunt, donec certum adipiscantur putredinis gradum, quo fiant alcalina. Necdum etiam mea experimenta me convicere de vera putredine, etiam nondum alcalina, in vivente corpore animali. In tot morbis putridis, etiam conclamatis, dum sanguis vena tusa eductus, aut aliunde effluens, exami-

examinatus eſt, nunquam, ne in pêſſimis quidem variolis, putredinis ſigna vel minima mihi dedit. *Mortono* putridus ſanguis de vena exiliens deſcriptus, ob raritatem hic vix memorandus eſt. Et demum non datur in tota Chemia machina, quæ utcumque Machinæ humanæ ſimilis ſit: Comparentur alimenta & potulenta cum excretis ſecretisque omnis generis, an huic ſimilem poſſideat Chemia machinam? Unde donec clari, quem veneror, ſemperque venerabor, Auctoris, experimenta elucidentur, cochleariam, naſturtium, allium, &c. vocabo calida alcaleſcentia, imo alcalina Antiscorbutica.

Nunquid ergo in vegetabilibus, præter prædominans acre, aliquid aliud eſt, quo ſic operentur, ut acre illud nihil obſit, & illud aliud, quidcumque demum ſit, curam ſcorbuti peragat totam? Foretne vis eorum ſaponacea? an aliquid aliud?

An non his, qui ſaluti publicæ vi muneris coguntur invigilare, incumbit ut ſupremæ poteſtati ea indicent, quibus horrendus hic morbus præveniatur? Et an inter hæc conſilia etiam hoc ſalutare non ſuadendum, ut loco tantorum vegetabilium ſiccorum, parentur in doliis ſucculenta vegetabilia omnis fere generis ſale condita, ut nunc pauca modo parari ſolent? Si Viri Clariſſimi *Poiſſonier* aquas marinas levi negotio potabiles reddendi ſuccedat conatus, laudes merebitur æternas.

An ad ſtupendas & celeres ſcorbuti curas plurimum non contulit aura ſerena, in quam ex navi deducti ſcorbutici inducerentur, & qua compluribus fruerentur diebus?

Purus, ſiccus, tepens aër, partem medicinæ in his expleverit neceſſe eſt, dum humidus frigidusque aër ſymbolam adeo magnam morbo generando contuliſſet: ſed abſoluta talis puri ſicci tepentisque aëris neceſſitas non demonſtratur ex eo, 1mo. quod

 ægri

ægri ſæpe jacuerint in littore ſub tentoriis, ubi certo & humidus aër, & frigidus ſæpe eſt. 2do. Quod plures tales celeres curæ peractæ ſint, ægris in continentem non expoſitis, verum nave detentis. Curam vero fortunatiorem ac celeriorem bono cum aëre expectare oportet.

§. V. Quid demum cauſæ, quod marini ſcorbuti, ejusque peſſimi, ſæpe tam celeris, atque perfecta cura fuerit; quodque terricolarum ſcorbutus curam noſtram toties diuturnam, laborioſam, ac ſæpe impoſſibilem arguat? An doſis eſſet medicamentorum, quam ad guttulas, ad cochlearia, ad vaſcula aliquot nucthemeri ſpatio evacuanda, præſcribimus (interea dum hiſtoria marina homines curatos oſtendit illos, qui vegetabilia cruda integris manipulis, qui poma aurantia & limonia denario numero, qui præterea herbas & fructus, coctos, elixos, aſſos, juraque eorum, ad victum ſic adhibebant, ut nulla re alia veſcerentur?



CAPUT XXIII.

De Machina ad Curandum Ileum deſperatum.

§. I. *Communicantur duæ Epiſtolæ agentes de Machina, nuper in* Italia *excogitata, qua tres homines, Ileo deſperato laborantes, integræ ſanitati brevi reſtituti ſunt; referentes quoque facta in canibus eadem experimenta.* §. II. *Traduntur novem mea experimenta cum hac Machina capta; qua occaſione etiam phænomena, quæ circa vermium in corpore animali domicilium, & circa vitales actiones, obſervabantur, noto.* §. III. *Quatuordecim Corollaria tam Theoretica, quam Practica, ex dictis deducta.*

§. I.

§. I. Eruditiſſimus ac ſolertiſſimus Medicus *Joannes de Videmar*, celeberrimus *Mediolanenſis* Practicus, ad promovendam Medicinam natus, jam pluries de ejusmodi Machina ad me ſcripſit, quæ excogitata in *Italia*, ad deſperatum Ileum morbum, præſente jam vomitu ſtercoreo, ſolvendum pluries admota, nonnullos homines mortis faucibus eripuiſſet, eosdemque ſpatio incredibiliter parvo reddidiſſet ſanitati.

Primæ ejusdem literæ ad me datæ XII. Kal. Jan. 1762. ſic ſe habent: „ Machinam, de qua alias ſer„ mo fuit, a Domino Phyſico *Molinari* huic noſtro „ Fabro *Laurentio Mazzoni* demandatam, iſtuc „ brevi deferendam intelligo; ita binas alias hiſto„ rias, ad eam ſpectantes, quæ bis fortunatum ob„ tinuere eventum, tibi communicatas volo; eaque „ ſimul in denatis per me capta experimenta coram „ Archiatro *Vandelli*, ejusque nepote D. *Dominico* „ *Vandelli*, ut de ejus uſu certiores apud Littera„ tum orbem rationem reddere queamus." Et primo:

„ Ruſtica mulier toroſa, quartum agens luſtrum, „ poſt magnam ſalſamenti, fructuumque horæo„ rum, ingurgitationem, quatuor miliarium iter „ ſuſcepit. Domum redux doloribus *ad ileum dex*„ *trum* vexatur, cum abdominis intumeſcentia, vo„ mitu, anxietatibus: nihil profuere enemata ſæ„ pius applicita, nihil iteratæ V. S. nihilque fotus „ emollientes, & oleum lini magna ſatis copia epo„ tum; ita *ut ad octavam diem* increbeſcentes, jam„ jamque morituram proclamantes, ut transferre„ tur machina, conſcii ſuadeant nonnulli: qua ap„ plicata magna tepentis aquæ copia quatuor die„ rum ſpatio, ſed per intervalla, injecta, mirum! „ dextram abdominis intumeſcentiam ſe movere vi-

„ ſum

„ ſum eſt, doloresque demulceri ceperunt, multiſ-
„ que brevi poſt dejectionibus liberata fuit.

„ *Frater Joſephus Fidelis a Mediolano*, Capucinus,
„ moribundis in Xenodochio adſtans, quadragenarius,
„ poſt diuturnam toleratam febrem vix reconvales-
„ cens, in vomitum fere continuum incidit, ma-
„ teriei primo aquoſæ, virideſcentis, magnæ co-
„ piæ, ſingultibus identidem comitantibus, nullis-
„ que trium dierum ſpatio ſedibus. Omnibus in-
„ caſſum adhibitis, fœtentes jam incipiebat vome-
„ re fœces. Re in anguſto ſic poſita, adſtans Chi-
„ rurgus & Lithotomus magni nominis *Dominicus*
„ *Ocelli*, machinam experiri ſolitus, ad eam confu-
„ giendam eſſe autumavit, motum periſtalticum
„ inverſum revocandi ergo. Manu operi admota,
„ paulatim, ſed repetito, injicitur tepida: pau-
„ cæ, ſed crebræ redduntur ſedes, (qui effectus
„ machinæ hujus ſingularis & proprius alvum cre-
„ bro irritandi,) brevi ceſſat emeſis, permanente
„ adhuc ſingultu; verum analepticis recreatus, in-
„ tegre convaluit, prout mihi retulit idem ægro-
„ tus.

„ Ad ea, quæ in denatis ipſe animadverti coram
„ teſtibus, nunc devenio. Nudatis igitur inteſti-
„ nis, aqua per machinam injecta paulatim præter-
„ fluere omnes inteſtinorum convolutiones, usque
„ dum continuato per os exiret rivo, conſpexi; ne
„ guttula quidem in cavo abdominis ejecta, intac-
„ tis, etiamſi ſatis extenſis, inteſtinis; neque tam
„ impleta ac diſtenta inveni, ut rupturæ periculum
„ minarentur, quin majori extenſioni locus foret.
„ Iterato periculo in cadavere, cui Ileum pone
„ valvulam apertum fuit, aquam vix ad libram in-
„ jectam per aperturæ locum exire vidimus, nihil
„ prorſum reſiſtente valvula, haud ſecus, ac ſi

„ nul-

„ nulla adeſſet: ex quo vera ſcripſiſſe *Matthæum de*
„ *Gradibus*, *Guainerium*, aliosque, intelleximus,
„ qui ſuppoſitoria in anum intruſa, abrupto vi filo,
„ per os ejeciſſe ægrotantes nobis tradiderunt; quin
„ imo digito immiſſo in colum, deſurſum verſus
„ absque ulla reſiſtentia in ileum tranſiviſſe animad-
„ vertimus.

„ Nec per conſtructam Machinam iſtuc quanto-
„ cyus translaturam experti fuimus aliis duobus in
„ cadaveribus; hinc pari modo injecta aqua ultra
„ valvulam præterlapſa non fuit; ita ut non ſem-
„ per æque conſtructam, neque in omnibus æque
„ validam eſſe fateamur oporteat; quemadmodum
„ & *Hales* in canibus, aliique in hominum cadave-
„ ribus Anatomici annotavere. Horum duorum ca-
„ daverum inteſtina ad ſpithamæ longitudinem, ſu-
„ pra & infra valvulam, de induſtria diſſecui, at-
„ que e corpore extraxi, in diem ſequentem peri-
„ clitaturus, quid inde eſſet. Injecta igitur in co-
„ lon aqua, in Ileum pertranſiit; minime miratus
„ ſum, eo quod partes in ſitu quandam habeant
„ actionem, quam non retinent divulſæ, quemad-
„ modum partium uſus in denatis valde laceſſitur.

„ In vivo cane de induſtria parato iterum pericu-
„ lum fecimus, in eoque facillime tepidam omnes
„ inteſtinorum anfractus, ad pylorum usque, per-
„ vaſiſſe vidimus. Ex quibus patet Inſtrumentum
„ hoc nullum neque in vivis conatum inferre poſſe;
„ eo magis, quia dum ſatis eſt, injectio de ceſſa-
„ tione admoneat, atque extracto tubulo immedia-
„ te poſt rejiciat aquam". Hæc de Machina ſatis.

In ſecunda Epiſtola data *Mediolani* ſept. Kal. Jun.
1762. ſic ſcripſit: „Habes hic annexam delineatio-
„ nem, atque deſcriptionem Machinæ, clyſteris
„ vice adhibitæ. En caſus! Mulier fere quinqua-
„ genaria, colicis doloribus quatuordecim dierum
„ ſpa-

„ ſpatio vexata, nihil prorſum per inferiora emit-
„ tens, omnia evomebat; incaſſum adhibitis clyſte-
„ ribus emollientibus, acribus, ipſoque tabaci fu-
„ mo, atque oleo amygdalino cum hydrargyro de-
„ glutito, nec repetitis V. S. ac balneis, levari
„ potuit. Ipſo momento, quo Machinæ ope in-
„ jecta fuit ſaccharata aqua, tot dejecit prædura
„ ſcybala, ut vix credi poſſit; quibus exacte in-
„ ſpectis, præmulti uvarum acini, jam multis men-
„ ſibus retro comeſti, reperti ſunt.

„ Verum quidem eſt, quod mulier hæc multos
„ ſuſtinuit labores in aquæ violenta injectione,
„ quemadmodum optime notat Exp. *Hales* in Hæ-
„ maſt. Exp. 25. ac parum affuit ne in animi deli-
„ quium laberetur in fœcum dejectione; aſt analep-
„ ticis roborata, in diem ſequentem injectione ite-
„ rata, iterumque interpoſitis aliquot diebus repeti-
„ ta, optima nunc fruitur valetudine, quæ iliaco
„ morbo mori proxime videbatur.

„ Haud abſimilis ei hæc machina eſt, quæ ad
„ extinguenda incendia apud *Martin* deſcribitur, in
„ *Grammatica ſcientiarum*.

„ Jam in cadavere Machinam hanc experti ſu-
„ mus, vidimusque aquam ad pylorum usque ad-
„ ſcendiſſe; aſt ignoro usque dum, an in omnibus
„ cadaveribus hoc eventurum ſit? Repetitis expe-
„ rimentis te commonefaciam. Dubium tamen eſt
„ an, poſito quod æque eveniant in omnibus de-
„ mortuis, in vivis pari modo eventura ſint, (quem-
„ admodum & tu notas ſuper *Haleſiana* experimen-
„ ta,) majorem propter *Tulpianæ* valvulæ vim in
„ his, quam in illis.

Clariſſimus *Hales* loco citato, & tu quoque in ca-
„ pite *de Tympanitide & Ileo morbo*, Medicos admo-
„ nes ut hujusmodi caſibus enemata excogitent tan-
„ tarum virium, quæ inteſtinorum obices tollere

„ poſ-

„ possint. Hæc tibi communicata historia satis e-
„ vincit, quantæ sit efficaciæ similis aquæ injectio.

His ita a dignissimo viro perceptis curavi mihi juxta delineatam calamo effigiem Machinam ejusmodi parari: quam tabulam lubenter communicaturus essem, si in actis *Bononiæ*, aliusve Italicæ Eruditorum Societatis, non prostaret brevi; & nisi, ut ante monitum est, fere similis haberetur in *Martini Gram. Scient.*

Die Martis 28. hujus anni, primum experimentum in nosocomio fecimus in cane viva, mediocris magnitudinis. Injecimus tribus iteratis vicibus in intestinum rectum libras medicas unciarum XII. propemodum sex aquæ tepidæ.

Post singulas injectiones canis incredibili impetu aquam cum stercoribus ad 4. 5. pedum distantiam expulit ano. Has tres injectiones spatio horæ quadrantis absolvimus.

Liberata Canis per 3. 4. minuta spatiosum cubiculum circuivit, corpus posticum totum madidum ubique affricans. Postea cucurrit alacriter, bene dormivit, saltavit, manducavit eo, & seq. die.

Violenta hæc vis, qua injecta aqua ad tertiam usque vicem resiliret, nosque injectionem ter repetere cogeret, suspicionem dabat an valvula *Bauhiniana* transitum non denegasset.

Unde die 29. & 30. & 31. Martii eodem modo experimentum repetivimus, eundem an effectum e-diturum esset curiosi. Et phænomena injectionis eadem erant, & æque bona canis post injectionem valetudo.

Unde 1. Aprilis experimentum sic mutavimus, ut ano bene circum siphunculum clausô, & cane melius intra manus firmata, sex ad minimum libras continuata opera injecerimus. Porro dum libræ pene quatuor injectæ erant, canis vomere cepit, pri-

mo

mo aquam, dein cibos, vermes tandem teretes vivos. Injectione interim pergente, vomitus rivi lati instar prosiliit ad distantiam 3. aut 4. pedum.

Vis ergo machinæ continuatior resistentiam valvulæ superavit.

Animus erat ilico interna examinare. Strangulavimus canem, & aperuimus. Crassa intestina modicè, tenuia minus, ventriculus immense distentus erat.

Apertis colo & ileo, oblongum in valvula hiatum deprehendimus.

15. Aprilis sano ac vegeto cani unica continuata vice, nisi quod semel quidquam alvus resiliret, injecimus ultra octo libras aquæ tepidæ. Post injectas 5. libras vomere cepit, pluriesque vomitum exinde repetivit. Paucis post minutis a sordibus canis mundatus, ac linteo siccatus, hilaris ac sanus fuit per plures dies; postea dimissus adiit ilico suum in vicinia herum, reditque adhuc sæpe nos blande salutaturus.

18. Aprilis in cadavere humano vires exploravimus Machinæ. Sexagenario major cum calculo in vesica in nosocomio obierat. Vesicam cum calculo primum eduxeramus, ne utilissima demonstratio, quam posthac communicabo, turbaretur. Injecimus tunc ope Machinæ tepidam per anum, quæ ut facilius progrederetur, intestina plurium manibus molliter compressimus; sic tamen ut aquæ progressum levatis sæpe manibus bene contemplaremur. Vidimus intestina crassa cito impleri; nonnullam quidem nasci ad valvulam remoram, sed brevi sublatam; injectam aquam momento citius intestina tenuia permeare; non extendi ea notabiliter; ventriculum autem valde turgidum fieri, oreque mox elabi aquam. Valvula hiabat; antequam vero perscinderemus, ex colo aquam in ileum promovere satageba-

gebamus, haud æque feliciter in quovis inteſtini ſitu: certus ac determinatus ſitus requirebatur, ut ex Cæci ſacco aqua in Ileum tranſiret.

3. Maji canem maſculum 16. menſium, fortem, nacti, experimentum iteravimus. Valida corporis contorſione & ejulatu tres primæ tepidæ libræ vi expellebantur ano. Qua dein accuratius circum cannulam firmata, tres alias libras commode, & non interturbate, injecimus: aqua interim vomitu quidem valido, ſed eo, qui in primo cane obſervatus, debiliore, ejectabatur, cum paucis cibis, & teretibus lumbricis, ad tertiam usque vicem.

Decreveramus etiam hunc extemplo aperire; ſed cum inde minus recte, quam priores canes, ſe videretur habere, pepercimus ejus vitæ, viſuri an quid ab operatione infortunii obſervari daretur. Aſt hora elapſa canis per omnia ſe ſanum eſſe demonſtrabat. Cum haud illepidus cuiquam placeret, qui pro ſuo magno ac vetuſtiore cane libenter eum mutaret, dedimus illi noſtrum, poſtquam per novem dierum ſpatium certiores nos de ipſius perfectiſſima ſanitate reddidiſſemus.

Canem ergo majorem illum 12. Maji ad experimentum ducentes, ſpatio binis minutis breviore injecimus aquæ tepidæ 8. vel 9. libras, quæ incepere tunc violento ſaltu, minus tamen violento, quam in primo experimento, ore exſilire. Vomitus iterum ut in prioribus ter repetierat, isque ſingula vice copioſiſſimus. Materies ejecta partim aqua erat, partim copioſa caro, partim lumbrici teretes, digitum, ſesquidigitum, longi, valde graciles, partim copioſiſſima tenia, & gluten multum.

Apertis per longitudinem inteſtinis deteximus innumerabilium teniarum copiam, ſic ut catena cohærentium ſibi cucurbitinorum vermium, ſive Aſca-

ridum planorum, hinc inde, forte per vim aquæ, fracta, plus vigesies iret, rediretque per totam tenuium intestinorum longitudinem, glutine involuta copiosissimo. Lumbrici teretes Teniam concomitabantur ubique.

Peculiare in hoc cane fuit, quod Colon in medio ventre sub umbilico originem haberet, rectaque descendens, mox Rectum formaret; longitudinem igitur una cum toto Recto 8. vel 9. pollices emensum duntaxat: quale quid & in homine *Dionis* se testatur observasse. Ceterum breve hoc Colon ab injecta aqua probe elutum erat, compactas modo fœces & in ortu suo, & in magno suo processu verniculari, gerens.

Utrique cani, quem strangulaveramus, effectum machinæ contemplaturi, laxato post apertum abdomen & thoracem fune, vita pulcerrime redibat. Quo animadverso, mox ad actiones vitales contemplandas, reliquo examine ad tempus dilato, nos accinximus. In priore cane, aperto pericardio, cor pulsabat uno tempore æquabiliter, alio inæqualiter: vita labascente, per vices quievit & palpitavit. Levis digiti attactus momentaneam vitam reddebat. Attenti ad ultimum cordis motum, vidimus utrumque ejusdem ventriculum æquabilissime agere, & æque fortiter; idque etiam ubi post aliquantillam quietem, sive sponte, sive flatu, tactuve, suos redintegraret motus. Quo autem certiores hujus essemus, cor parum invertebamus, ut cum sinu & auricula sua ventriculus sinister sub liberiorem conspectum caderet; unde sinistrum cor pulcerrime agere cernebamus, ut ante videramus pro parte.

Quod autem diu, distincteque, ac de industria, notabamus, vix cuspis dici poterat ad basin in systo-

le

le multum accedere, idque etiam a principio, dum cordis validior motus exiſteret, notavimus. Dicendum potius eſt in ſyſtole cuſpidem, & latera ventriculorum, ſe ſimul leviter contrahere.

Arteria intercoſtalis perſciſſa pulcre oſtendebat velociorem illum ſaltum, quem arterioſus ſanguis ad ſingulam cordis contractionem edit.

Uterque cordis ventriculus apertus multum, ſiniſter autem plus, ſanguinis continebat.

In altero cane pericardium ægre a corde ſecedebat. Attenti ad omnia, vidimus clare in ſyſtole cordis baſin, æque ac mucronem, & parietes, ad ſe invicem accedere, & cor facere ſe ipſo minus: motus vero vitalis ad finem usque pergebat æqualiter in utroque thalamo, inverſo corde, quemadmodum in cane priore, ut cordis ſiniſtri motus apte conſpici poſſet. Tandem, quod non in cane priore, ceſſante motu vitali ventriculorum, auricula dextra quater vibrabat, quo tempore ſiniſtra ſemel. Cor ſiniſtrum cum ſua auricula æque plenum ſanguine, quam ſua cum auricula dextrum. In ſinu dextro polypus magnus.

In utroque canum experimento dextrum cor non vixit ſiniſtro diutius. An quod, corde in ſitu manente, cor ſiniſtrum minus conſpicuum ſub ultimis vitæ ſcintillis mortem teſtari maturiorem videatur? Igiturne aliqua cordis inverſione opus, ut certi quid affirmemus, detegamusque errores?

In humanorum Cadaverum examine cor ſiniſtrum ſæpe minus quam dextrum repletum inveni, ſæpe æque repletum, aliquando repletius. A methodo ſecandi multum pendet: qui cor dextrum prius aperiunt, hi motu, preſſione, evacuant cor ſiniſtrum plus, quam aliter; qui ſiniſtrum prius eandem ob cauſam poſſunt dextrum inanire.

Finem Capiti huic, & ſimul operi, imponam quibusdam Corollariis & Problematibus.

1mo. Patet in Canibus facta Machinæ operatione ſic, ut aqua injecta bis, ter, cum fæcibus alvo expelleretur, vomitum non adfuiſſe.

2do. Canes poſt hanc operationem minime ægrotaſſe.

3^{tio}. Quod vomitus non ſucceſſerit, violenteque ex ano fuerit expulſa aqua, id minus videri valvulæ reſiſtentiæ tribuendum, quam quidem canis motui, contorſioni, clamori, elabendi conatibus.

4to. Id evidenter patuiſſe, quando, cane prudentius firmato, injecta continuatim aqua vomitu repetito expulſa fuerit.

5to. Experimento eo usque producto, ut violentus, repetitusque ſequeretur vomitus, unàque cum aqua cibus, gluten, multusque tum teres vermis, tum latus; igitur eo usque, ut vis valvulæ coli penitus ſuperaretur, ut motus periſtalticus naturalis ſufflaminatus, & ut motus antiperiſtalticus eſſet præternaturaliter auctus; experimento, inquam, ſic aucto, canes tamen nullam inde habuiſſe, imo ne a ſæpius quidem repetita eadem actione, ſanitatis jacturam aut læſionem.

6to. Canibus ſtantibus, ac quatuor pedibus ſuis ſupra menſam detentis, cum injectionem fecerimus, quæritur utrum injecta aqua faciliorem hinc habuerit, an difficiliorem motum ad os usque? Et an ſaltem in homine iliaco, dextrum in latus pro more verſo, injectione minus ſuccedente, ſitus non foret, qualem in canibus obſervavimus, conciliandus?

7mo. Et in canibus, & in hominum Cadaveribus, quæ *Cl. Widemar*, quæ nos, aperuerimus, apertave contemplati fuerimus, omnia inteſtina modice tan-

tantum turgida inventa esse: videri hinc eam vim Machinæ esse, ut omnes in via resistentias multo leviore negotio superet, quam ut per resistentes potentias suam viam amplificare cogatur. In vivis quidem intestinorum vis contractilis juvare dici potest; in cadaveribus autem haud ita.

8vo. Cur in iisdem experimentis (n°. 7.) ventriculus maxime expansus? Replendus is erat donec vel finderetur, vel per orificia evacuaret se sua: per orificium inferius sive dextrum non poterat, impellente fortius machina; ergo per superius tantum, ubi primum sic repletus, ut capere ultra non potuerit.

9no. Haud in canibus duntaxat, verum nec in hominibus, hucusque inventam esse per se letalem eam, superna versus, *Tulpianæ* valvulæ aperturam, ut aqua, ut stercora, ut enemata, ut etiam suppositoria, ex recto & colo adscendant, & ore evomantur. Casus *Matthæi de Gradibus*, *Guainerii*, Pueri, de quo Rat. Med. Tom. 1. pag. 184. tandem & trium illorum, quibus, referente *Cl. Widemario*, hæc Machina vitam servavit, aperte hoc evincunt.

10mo. Casus dari ex observationibus, quos Machina hæc minime curet: quales enim binos expertus sit *Cl. Widemar* insuperabilitatis valvulæ, tales plures reperiundos fore. Jure proinde *Italos* Medicos & Chirurgos laudandos, qui in vivis hominibus, ne una vice nimium urgendo obessent, lente adeo & prudenter progressi sint.

11mo. Meditationi Pathologicæ multam materiem a vermibus in canibus repertis suppeditari. Ac primo quidem ope Machinæ in binis canibus vermes teretes plures vomitu ejectos; in tertio magnam copiam teretium & latorum. 2. In Anatome

canis posterioris teniam copiosam, multosque illos teretes vermes, intestina fere tota explevisse. 3. Eosdem copiosissimo ac tenaci inhæsisse glutini. 4. Cur tota hæc moles, aut cur saltem primo in ortu, motu peristaltico, & transeunte chylo, depulsa non fuerit, mirum videri; cum quo affigat sese, quove retineatur, nullibi appareat quidquam. 5. Retinereturne hæc vermium ac glutinis moles a motu antiperistaltico naturali? Sed cur tunc chylus, cur incipientes non retineantur fœces? 6. Nunquid copiosi adeo vermes suo motu & reptatu non plus, quam alia ibidem contenta, canalem intestinalem stimulent? & cur haud expellantur tamen? 7. Possiderentne vim sustinendi se, motui peristaltico resistendi, affigendi se, dum pelluntur, tuendique domicilium? 8. Ideone inefficax toties Antihelmintici vis, quod tenaci glutini involuti vermes, tutique hæreant? 9. Visne Antihelmintici ea præcipua sit, quæ gluten incidere, pellereque, sit potis? 10. An allium, asa fœtida, fuligo cruda caminorum, &c. sæpius sumta, vermes in medio suo glutine sic afficerent, ut sede mutari cogerentur, & vel sponte sursum deorsumve exitum quærerent, aut catharctico fortiore tunc facile expellerentur? An vero hæc tantum in gluten destruendum potenter agendo insecta fugent?

12mo. An inde forte capiatur cur alvo nonnunquam prodeant corpora ulna longiora, intestinum cavum longitudine, amplitudine, cavitate, referentia; quale quid stupenda eruditione clarus *Justus Lipsius*, teste medico suo *Heurnio patre*, excrevit? Et quale præstantissimum Collegam, variis portionibus, quas inter unam quatuor spithamarum, excrevisse vidi? Utique glutinis immensi, intestina opplentis, copia, sive genita cum vermibus, sive ali-

aliunde, poſſetne aliquando inſpiſſari, condenſari, conglutinari cum cavo inteſtino, & poſt Leienteriam, poſt Atrophiam a tot obſtructis lacteorum oſculis, Naturæ demum bonitate ſub hac expoſita forma excerni?

13mo. Si tandem, plurium Iliacorum curatorum exemplis, cunctis meridiano ſole clarius conſtiterit *Tulpianam* valvulam a Machina innocue aperiri, totumque inteſtinalem tubum ſe tuto per os evacuare; an tunc in difficillima cura vermium, cum maxime latorum, Machina applicanda non foret vicibus repetitis, ut *Itali* fecerunt; quandoquidem viderimus ab unica applicatione, ſed fortiore, & lumbricos multos, & copioſam, cum muco abundantiſſimo, expulſam Teniam? Animus eſt, ſi denuo canem teniofum nactus fuero, ſingulo tertio quartove die experimentum toties repetere, donec ultra nihil de verme prodeat; incidere demum canem, viſurus num penitus a vermibus immunis ſit, nec ne?


14mo. De experimentis, circa actiones vitales in vivo animali utroque hic captis, notandum id cenſeo, quod in omnibus canibus ac felibus, quos ad contemplandam hanc actionem unquam vivos contemplatus ſum, rem non ſemper, ut hic, invenerim; verum perpetuo cum mira in aliis atque aliis varietate: unde concludo 1mo. illegitimam quancumque regulam phyſiologicam fore, quam ex ejusmodi phænomenis, adeo inconſtantibus, obtrudere quis vellet. 2do. magis illegitimum eſſe actionem ſani vegetique animalis ſic exponere, & per ea explicare velle, quæ in eodem vulnerato, convulſo, agitato, cum morte luctante, cum abſentia reſiſtentium potentiarum, quæ olim partes in debito ſitu detinebant, fulciebantque, obſerventur. 3^{tio}. Ma-

Maxume illegitimum vitalitatem humanam, ſanam, explicare, & comparare cum phænomenis, quæ animal vulneratum, & cum morte luctans, inſigni varietate & inconſtantia offert contemplantibus.


Atque hic tandem finem operi impono, ſolito jam protractiori, quam ut notabiliores caſus Chirurgicos & Anatomicos, quorum tamen ſcire intereſt, adjungam eidem: unde hos ad proxime ſubſequentem tomum reſervabo.




TAB. I.




TAB. II.
O
C
D
P
R
E
Q
F
A
G
B
H
I
M
L
N
K
T
S


I
G
K
H
L
E
M
F
T
U
C
B
W
A
O
R
Q
P
r
q
p
S


B
D
C
I
H
K
G
A
L
F
E

I N D E X

Præcipuorum in hoc Volumine contentorum tam Remediorum quam Monitorum Practicorum &c. Ordine Alpha-Betico.

A.

Con-

D.

E.

F.

Hy-

M.

M.

N.

O.

P.

R.

S.

T.

Thy-

